ROGERI ASCHAMI ANGLI, ... FAMILIARIUM EPISTOLARUM LIBRI 3. MAGNA...

Roger Ascham, Edward Grant, Johann Sturm, ...

ROGERI ASCHAMI ANGLI, REGIÆ OLIM MAiestati à Latinis Epistolis,

FAMILIARIVM EPISTOLARVM LIBRI III.

Magna orationis elegantiâ conscripti, nunc postremò emendati & aucti.

QVIBVS ADIVNCTVS EST COMMENdatitiarum, Petitoriarum, & aliarum huius generis similium Epistolarum, *aliorum nomine, ad alios Principes & Magnates ab eodem* R. Aschamo *conscriptarum*, Liber vnus.

ACCESSERVNT HAC POSTREma editione IOANNIS STVRMII, HIERONYMI OSORII, aliorumque Epistolæ ad *R. Aschamum* aliosque Nobiles Anglos missæ.

ADDITA SVNT PAVCA QVÆdam ROGERI ASCHAMI poëmata.

OMNIA IN STVDIOSORVM gratiam collecta operâ & studio E.G. & nunc primùm in Germania edita.

ADIECTA EST IN FINE EIVSDEM E.G. Oratio, de *vita* & *obitu Rogeri Aschami*, & eius dictionis elegantiâ.

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCX.

AD ILLVSTRISSIMAM REGINAM ELIZABETHAM,

Liber de se.

NOn vaga mordacis metuo conuitia vulgi,
Non ego curo tuas improba turba minas.
Indoctos sperno, rabiosaque murmura Momi,
Reginæ satis est posse placêre meæ.
Illa fuit Domini semper gratissima Princeps,
Illi semper erit cura benigna mei:
Illa solet gratè doctos admittere libros,
Illa solet cupidè voluere sæpè libros.
Consilio pollet prudens, pia, docta, diserta,
Ingenio præstat, præstat & arte potens.
Iudicio insignis, rerum vsu, mente, loquêla,
Ac præceptoris grata memorq; sui.
Principis ast dubito penetralia visere gressu:
Quid? Non est clemens Elizabetha suis?
Elizabetha suis decus & tutêla Britannis,
Clemens, clementi suscipit ore libros.
Te precor (Elizabeth) grato me suscipe vultu,
Protege, volue lubens, sum tuus ecce liber.
Turba maligna vale, fuge tu dignissima morte,
Turba benigna veni, perlege, disce, vale.

SERE-

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQVE PRINcipi diuæ Elizabethæ, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ reginæ, &c. Collegii Scholæque Westmonast. liberalissimæ fundatrici: E.G. lætissimum imperium, florentissimas felicitates, longissimos annos cum felicissimo rerum omnium statu exoptat.

Rogerus Aschamus, eximiæ eruditionis laudibus vir ornatissimus, qui tuam olim adolescentiã, illustrissima Princeps, præclaris & literis, & linguis effinxit, ingeniumq; illud tuũ omni immortalitate dignum egregiis artibus excoluit, has conscripsit Epistolas, cõcinna admodum, vt omnes putant, dulcissimâ, vt ego existimo, orationis elegantiâ & venustate compositas. Quarum ego nactus

exempla, & scriptionis suauitate delectatus, & dictionis allectus lenociniis, tredecim abhinc annis in vnum fasciculum colligebam, & iustissimis adductus rationibus, tuæ consecrabam Excellentiæ. Eas tua serenitas, quâ es clementiâ & bonitate, lætissima fronte aspicere, & propensissima voluntate accipere dignata est. Mirari possum, exprimere nunquam valeo, tam admirandam humanitatem, tam inusitatam inauditamq; clementiam tuam, quæ sic doctissimorum virorum opera gratissimè admittere, & infimæ conditionis hominum conatus libenter amplecti solet. Ex omnibus certè virtutibus illis, quib. diuinum tuum pectus abundè cumulatur, eam vel summam esse iudico, vel summæ sanè proximam, quòd non tàm ipsis literarum

studiis

ſtudiis amantiſſimè faueas, ſed ipſos etiam literatorum libros benigniſſimè amplectaris, & ſtudioſiſſimè legas. Nec hii ſolum Epiſtolarum libri, quòd ego infimæ homo conditionis obtulerim, tuæ Excellentiæ grati fuerunt, ſed quòd R. Aſchamus, tuæ inſtitutor adoleſcentiæ, vir honorato in loco conſtitutus, & de meliori nota tuæ Maieſtati cognitus, conſcripſerit, gratiſſimi extiterunt. Fuit enim Excellentiæ tuæ R. A. probè perſpecta probitas, prudentia, vſus rerũ, induſtria, orationis ſuauitas, ſcribendi facultas, & præcipua etiam erga tuam Maieſtatem obſeruantia atque fides. Cui ille omnia, non ſolùm amoris officia, ſed honoris etiam & feliciſſimi ingenii ornamenta libenter detulit: quæ vel eius in tuam Excellentiam amor, vel tui tantæ

Principis dignitas postulare videbatur. Is enim omnem suam voluntatem, operam, studium, curas & orationem ad Maiestatis tuæ egregias dotes exornandas, & ad præclarissimas Excellẽtiæ tuæ laudes illustrãdas & propagandas, semper aggregauit. Felicem te putãt multi, quæ talẽ habuisti præceptorem: Ego illum multò beatiorem iudico, vt IOANNES STVRMIVS *de te ad illum olim scripsit, cui talis contigit discipula. Cuius ingenium in concipiendo diuinum, & admirabile: cuius memoria in retinendo certa, felix, firma, stabilis: cuius voluntas in discendo permagna: cuius studium in progrediendo auidum: cuius animus ad laborem in studiis perferendum promptus: cuius industria ad quasuis deuorandas tædii molestias paratissi-*

ma:

ma: cuius etiam in omni florentissimi regni obeunda ratione, tanta semper elucet, cùm veræ prudentiæ laus, tùm summæ nobilitatis amplitudo, vt felicior ne sis, vel quia nata es ex tam illustri felicissimæ memoriæ Principe, Henrico octauo patre, vel quia instituta es à tam erudito præceptore, non possum quidem facile statuere. Quamobrem, diuenditis omnibus priorum editionum voluminibus, cum ad quartam librarius editionem accelerasset, rogauit me, vt aliquam in perlegendis prioribus addendisque nouis, si quas haberem, operam nauarem meam, vt nouæ harum editioni, nouus etiam Epistolarum cumulus accederet: huic Librarii petitioni, vtpotè honestæ & licitæ, lubens acquieui: & priores tres Epistolarum libros, quarti libri ad-

iectione, locupletaui. Quas omnes magna orationis suauitate condîtas, ad MAIESTATIS TVÆ *genua prouolutus, Excellentiæ tuæ iterùm offero: quæ certè & Rogeri Aschami, qui scripsit, singularis erga tuam Maiestatem studii manifestum testimonium, & paratissimæ meæ, qui non sine omni meo labore, & studio collegi, & disposui, in tuam celsitudinem obseruantiæ officiique, apertissimum argumentum esse possunt. Accipe igitur rursus, (clementissima Princeps) hæc quæ ego offero, perexigua, si me spectes; non indigna, si Aschamum consideres; præclara, si tuas non despicias laudes, obseruantiæ & officii testimonia: ac scribentis præclarum in literis conscribendis artificium, cum colligentis industriâ, eo quo semper soles vultu, suscipe, eaque,*

quæ

qua prius, voluntate accepisti, benignissimè complectere. Deus Opt. Max. tuum felicissimum imperium latissimè propagatum extendat, adaugeat, fortunet: vt vel maiorum tuorum Henrici tertii, ac Edwardi tertii, regnandi annos felicissimè attingas, vel Henrici nobilissimi patris, si humana te fragilitas sinet, triginta & ferè octo annorum imperium, cum summo tuorum gaudio lætissimè conduplices. E Schola tuæ Maiestatis Westmon. Februarii 7. An. Domin. 1578.

Serenissimæ M. T.

Fidelissi. subditus, & humilimus Sacellanus

Ed. Grant.

LIBER DE SVO DOMINO VITA defuncto.

HEu nimium mortis crudelia fata malignæ!
Heu nimium triplicis stamina torta Deæ!
Quò tua se rabies tandem iactabit acerba?
O mors præstantes quò rapis atra viros!
Sanguineus nullis satiatur cladibus ardor?
Pars iræ expletur nulla cruore tuæ?
Quid premis insontes telis audacibus artus?
Quid rapis eximios Palladis arte viros?
Nil te doctrinæ mouit præstantia raræ,
Quique erat in dulci melleus ore lepos?
Heu Rogere iaces fulua tumulatus arena!
Iamq; lutosa suum terra recepit onus:
Et tua iam tristi sunt membra inclusa sepulchro;
Corpus humi recubat, spiritus astra colit.
Conscius integræ floret super æthera vitæ,
Inq; domos superas carcere liber abit.
Nescia mens sceleris, recti & sibi conscia gaudet,
Quæ modo corporea compede vincta fuit.
O tibi quis Rogere fuit pietate secundus?
Floruit aut rerum cognitione pari?
Turpis auaritiæ rabies, nec inutilis auri
Sollicitos sensus extimulauit amor.
Diuitias & opes didicit contemnere vanas,
Quæ curis animos exagitare solent.
Viuere sorte sua potuit contentus, & arcta
Sollicitè seruans fœdera pacta fide.
Ignarus fraudis, technaq; doliq; maligni,
Eximia præstans simplicitate fuit.
Par fuit in rebus peragendis semper honestas,
Par fuit in sacra religione fides.
Assidueq; puer scripturæ verba legebat
Sacra animo infigens, lecta tenensq; suo.
Adfuit ingenii certé admiranda facultas,
Et vena pectus uberiore fluens.
Tullius eximia mentem dulcedine mulsit,

Et Plato fluminibus ora repleuit aquis.
Magnus Aristoteles concessit munera larga,
Et Demosthenèos suxit vbique sonos.
Salsus Aristophanes perfudit lumine mentem,
Euripidem voluit nocte dieq; puer.
Et Xenophon linguam condiuit sæpe loquela,
Herodotus docuit, Thucydidésque simul.
Diuitis eluxit facundia maxima linguæ,
Et lepor in multa non minior arte latens.
Copia multorum perstrinxit amabilis aures,
Illectos animos in sua vota trahens.
Egit & ornatè caussas, & dixit acutè,
Flumine verborum diuite scripta rigans.
Dictio dulcis erat verborum lumine splendens,
Est Καὶ τοξεύειν testis aperta satis.
Hic capta astantis stupuerunt pectora cœtus:
Mirata est vnum doctaq; turba virum.
Et vixit clarus famâ trans æquora notus,
Deliciæ multis scripta fuere viris.
Sturmius, Osorius, Toxites, Wolfius olim,
Admirabantur scripta, diserte, tua.
Quæ redolent clarum clari Ciceronis acumen,
Tinctaque Cæsarea scripta fuere phrasi.
Clara viri poterat magis efflorescere virtus,
Sed mors inceptum sæua moratur iter.
Solaque ab exequijs reuirescit viuida virtus,
In quam iura fugax non habet vlla dies.
Viuis adhuc Rogere tuis clarissime scriptis,
Quæ tibi perpetuum sunt paritura decus.
Chare iaces, sed scripta vigent, tu viuis in illis,
Illa dabunt nullo posse perire modo.
Nam liber eccè tuus volitabo per æquora tutus,
Et domino eximium spero parare decus.
Post mortem latui tenebras detrusus in atras,
Dispersus varijs per tua scripta modis.
Exero sed tandem caput, vtilis omnibus Anglis,
Qui tua percupidè scripta diserta legunt.
Colligor ex varijs chartis compactus in vnum

Fasciculum, vt volitem docta per ora virûm,
Is qui me gratè iam sic cogessit in vnum,
Hac opera gratus nititur esse tuis.
Elizabetha sui decus indelebile Regni,
Me capit atque legit, diligit, ornat, amat.
Non satis hoc, Rogere, tibi qui dulcè quiescis?
Te moriente, vigent gloria, fama, decus.
Chare vale, Rogere vale, tua funera fleui,
Sum tuus, & nunquàm desinis esse meus.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

EPiſtolas omnes, optime lector, prima editione impreſſas in tres diſtribui libros: primus eas cõplectitur, quas ad ornatiſſimum diſertiſſimumque virum Ioan. Sturmium Argentoratenſis Academiæ rectorem ſcripſerit, ſuaues illas quidem & ſumma elegantia conſcriptas, dulci lepôre & mira orationis venuſtate condîtas. Has ego præpoſui, non quòd tempore erant priores, aut anteà ad Ioan. Stur. miſſæ, quàm aliæ quæ ſecundo libro ſequuntur, ad alios ſcriptæ: ſed eo conſilio de induſtriâ hoc feci, quòd & literarum longitudine, & orationis præſtantia cæteras præcedunt. Et fateor equidem illam primam epiſtolam, de imitatione, primo libro præfixam, commouiſſe me, vt literas poſtremò miſſas, priore libro collocarem. Liber ſecundus eas literas continet, quas ad amicos miſerit, cùm Cantabrigiæ bonis literis ad ſuam magnam gloriam, ad illuſtriſſimæ Elizabethæ felicem in literis progreſſum, ad totius Reipub. maximam vtilitatem, feliciſſimè operam nauaret. Tertius eas compræhendit, quas & poſt abitionem ex Anglia, in Germaniam, & à reditu ex Germania in Angliam ad amicos

ederit. Neque hîc omnes in sua propria loca eo quo erant tempore scriptæ, detrusi & compegi (hoc enim fieri à me non poterat,) nec à Bembo, Sadoleto, Longolio, aut P. Manutio hoc obseruatum video: nam multæ defuerunt, variæ amissæ, complurimæ aut combustæ, aut nonnullorum incuriâ laceratæ, nonnullæ in eorum manibus, ad quos erant scriptæ: ita vt per omnia, tempus & ordinem nullo modo obseruare possem. Habes igitur perelegantes epistolas, sed ineleganter & inornatè à me dispositas. Hisce tribus familiarium Epist. libris, prima editione excusis, adiunxi Commendatitiarum, Petitoriarum, & similium huius generis Epistolarum, aliorum nomine, ad alios conscriptarum, librum vnum. Quæ certè ex eâdem officina prodire, & eandem orationis suauitatem redolêre videantur. Addidi hac postrema editione IOANNIS STVRMII, HIERONYMI OSORII aliorumque epistolas ad Rogerum Aschamum aliosq; Nobiles Anglos missas. Eas omnes & priùs editas, & nunc postremò adiunctas, eo tu animo, optime lector, complectere, vt soles: sic rem, & tibi vtilem, & mihi non ingratam feceris. Benè vale.

Pro captu lectoris habent sua fata libelli.

AMPLIS-

AMPLISSIMI VIRI THOMÆ WILSONI LEGUM DOCTORIS, sacratissimæ Reginæ Elizabethæ Angliæ, &c. à secretis,

Carmen Encomiasticum.

Lis magna est, Cicero fuerit Romanus an Anglus;
At Romæ, Arpinas dictus vbiq; fuit.
Sed dubitant Angli, Ciceronis origine nati,
Atque Britannorum sede locare volunt.
Scilicet hoc Regno natum, post tempora Bruti,
Indigenamque tuum terra Britanna ferunt.
Vnde Britannorum decus est, & gloria magna;
Plurima quòd Cicero pignora laudis habet.
Inter & eximios, Aschami est fama diserta.
Filius eloquio qui Ciceronis erat.
Vim Demostheneam Cicero, grauitate Platonem
Exprimit, Isocratem dulcis vbique sonat.
Vis eadem Aschamo est, grauis est, dulcedine plenus:
Discit ab indigena filius iste patre.
Anglia ter felix Anglo Cicerone parente,
Talia quòd tanti pignora patris habet.

IN DOCTISS. VIRI ROGE-RI ASCHAMI laudem, Sylua.

MArmore de Pario statuas si ponere possem,
Pingere vel vultus, viuoq; polire colore:
Ducere si possem referentes ære figuras,
Carmine vel dignos memori committere famæ,
Siue viros meritos cælo stellisque beare,
Aschamum statuæ, color, æs, carmenque referrent:
Staret & in cælo radiantibus inclytus astris,
Quà Draco Iunonis sublimes diuidit Arctos,
Aut vbi cum Iouio, lyra voluitur Orphica, cygno.
Sola sed in cælum diuina potentia tollit,
Et mea non docilis manus est, heu scribere doctè
Nulla potest, cælare nequit, depingere nescit.
Inuidet ingenium Cyllenius, inuidet artes,
Sola valet, quæ cuncta velit, propensa voluntas,
Hæc cupit Aschamum famâ celebrare perenni,
Cumque nequit, luget, stupet, admiratur, & eccè
Non benè deductum parit admiratio carmen:
Carmen at in tanti laudes timet ire magistri,
Qui solus veteres æquat, superatq; futuros,
Solus & eripuit laudem præsentibus omnem.
De patria laus nulla sibi, de stemmate nulla
Quæritur, & patria est regio celebrata Brigantum,
Et genus antiquo proauorum stemmate ducit.
Ille sed ingenio nomen quæsiuit, & arte,
Quo genus & patriam celebrat, celebratur vt ille
Auspicibus diis natus erat, Iunone fauente,
Ingeniique dator supera Cyllenius arce
Nascenti affulsit, dedit ingeniumq; facetum,
Quod dii suspiciunt, homines mirantur, & vnde
Ni Ioue nata foret, velit ipsa Minerua renasci.
Nec leuis ingenium varias coluisse per artes
Cura fuit, studiis melioribus abdidit ipsum,
Euoluit veteres, doctum Ciceronis in æuum
Se retulit, secum placidè Romana venustas
Cecropiusq; lepor secum sunt sæpe loquuta,
Iura Deûm, moresq; virûm percalluit omnes,

Spe-

IN R. A. LAVDEM.

Spectaris terras, tenuit terrestria quæque
Spectaris cælum, cælestia singula nouit,
Omnia sic nouit, rectéque est omnibus vsus.
Præstitit eloquii facundi diuite vena,
Larga sibi fandi, scribendi gratia larga:
Inuidiam superat scriptis, hoc nemo repertus
Materiem vel nosse prior, vel scribere maior.
Perlege quæ scripsit monumenta, reuise libellos,
Quàm benè rem sermo digesserit ordine verbis,
Hic facilis, simplex, & illa faceta, diserta.
  Quique suos laudant, non ego dignis
Laudibus inuideo, sed non viburna Cupressum,
Non Cedrum coryli, non æquat Cynthia solem,
Attollit magnum Batauus vicinus Erasmum,
Belgica Longolium loquitur, deplorat ademptum,
Sturmius est doctis Germanis Tullius alter,
Deliciæ Venetum Venetos Manutius ornat.
Præsulis Osorii vim Lusitania laudat,
Roma Sadoletum iactat, Bembóque triumphat,
Gallia clara suum prætendit vbique Bunellum,
Aschamum iactet, celebrétque Britannia nostrum,
Hic est Mercurius, Suadæque medulla Britannis.
  Hos superet dicam? dubio mens fluctuat æstu,
Quod ratio proferre velit, reuerentia cælat:
Hoc saltem dicam, si non supereminet omnes
Viribus eloquii, tamen omnes vnus adæquat:
Dumque sit eloquii, Ciceroni laurea prima,
Fas erit Aschamo palmam deferre secundam.
Sedulitas solers: solertia sedula mentis
Hoc coeunt, iunctimque viget prudentia docta,
Reddidit hunc aptum natura, scientia certum.
Vsus & expertum, referensque imitatio summum.
Maiori sunt digna tubâ, plectróque tonanda,
Hæc cantent alii Musis, & Apolline pleni.
  Et quòd te minimè celebrarim carmine digno,
Ignoscas Aschame precor, voluisse probetur.
Non mihi Musa pedes fundit, non auia Cirrhæ
Noui, non hederæ virides mihi tempora lambunt.

IN R. A. LAVDEM.

Vt Plato Cecropius tantum laudandus honeſtis,
Sic laus Aſchami tantum cantanda peritis.
Sed verbis, metrisq; modus, modus omnibus inſit:
Aſchami longum maneat per ſecula nomen,
Floreſcat, viuat, vigeat, non excidat æuo.
Vindicis & Grantæ ſtudium celebretur, ametur.
Conſulit is nobis, Aſchamo conſulit, illum
Conſuluiſſe iuuet, ſtudium modo conſulis æqui.

Gul. Camden.

Weſtmonaſterienſis.

DI SER.

DISERTISSIMI VIRI ROG. ASCHAMI, ANGLI, regiæ maiestati à Latinis epistolis, familiarium epistolarum ad IOANNEM STVRMIVM:

Liber primus.

R. A. CANTABRIGIENSIS, D. Ioanni Sturmio.

S. P. De Seueniano nomine, quod rogas vt faciam, faciam libenter, & perstudiosè: & effecturum me aliquid planè spero. Pollicentur enim nonnulli: qui cum abundant & re & fide, fiet, non dubito, quod pollicentur. Non fuit tamen nihil, quod scripsit ille ad Montium nostrum, me, in animo habere, non antè literas ad te, quàm pecuniam mittere. Mittere enim quàm promittere malebam. Et te ac tuos, non promissi exspectatione fouêre, sed pecuniæ repræsentatione, aliqua ex parte vobis satisfacere cupiebam. Et quò minùs hoc iam factum sit, in causa planè est, quòd illi longiùs absunt, qui vt spero, libenter volũt, &, vt scio, commodè possunt, atque, vt æquum est meritò

etiam debent, ad hanc εὐλογίαν contribuere. Intelligo nostros Episcopos: qui duris suis temporibus, passim in Germania, sed Argẽtorati potissimùm, per humaniter sunt accepti. Hi, ad Comitia Parlamẽtaria, cùm illa fuerint, frequentes conuenient. Intereà verò quanquam ipse nullum nec tempus amittam, nec hominem prætermittam, in hoc promouendo negotio, tamen, si authoritas Episcopi Londinensis, optimi viri, & apud omnes nostros pergratiosi, cum mea, in hac petendi ratione, assiduitate, coniuncta fuerit, nescio quid certè ampliùs expectãdum erit. Et nosti, quàm sapienter ille omnia σιώπη δὐ' ἐρχομένῳ. Literis igitur tuis hominem vrge, vt vnà mecum, hoc pium suscipiat officium. Ast quid dico vrge: mone tantùm, & pro illo ipse spondeo, non inuitum trahes, sed iam euntem duces: & facies, quod ingeniosus ille poeta prudenter docuit:

Qui monet, vt facias, quod iam facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Et de his, hæc, hoc tempore. Gratum est, mi Sturmi, & mihi periucundum, quod scribis de Imitatione Oratoria, tuis hoc tempore, à te dictata. An mihi placitura sit quæris? Mitte quæso, & quamprimum mitte, quæ dictata sunt: Polliceris enim: & ipsa repræsentatione, nihil exoptatius, nihil longi-

longius mihi existit. Meum iudicium præcognoscere vis. Non mihi tantum sumo, mi Sturmi: nec consilium libenter interpono: Sed meam, de Imitandi ratione, siue opinionem, quæ leuis est, siue desiderationem quæ permagna est, satis quidem fusè, nimis fortasse audacter, aperiam. Et hæc mihi cogitanti sub nde occurrit, quàm verum illud sit, quod dicitur, Amicorum omnia esse communia, non tam commodorum ac fortunæ (vt ego intelligo) mutua munera, quàm animorum & voluntatis eadem studia: nec magis illa humanitatis & officiorum, quàm nostra hæc doctrinæ atque literarum. Scribis tu de Imitatione: & ego nonnihil cogito, de eodem argumento: Sed tu absolutè, eruditis iam, ac viris: Ego inchoatè, rudibus adhuc, & pueris: & hoc quidem consilio. Sunt mihi duo filii, Ægidius & Dudlæus Aschami: (nam Sturmius Aschamus viuit ille quidem, sed nunquam moriturus) Cum his meis filiis non illustrem fortunæ splendorem promittere possum, aliquem certæ doctrinæ cultum illis relinquere ipse cupio. Paro igitur illis Præceptorem, nō illum foris sumptuosa mercede conducendum, sed rudi à me stylo domi iam delineatum. Formam eius, in duos includo libellos: Prior, magnam partem ἠθικός est: alter disciplinabilis. Et

quia meus hic Præceptor, non è Græcia, nõ ex Italia accersit°, sed in hac barbara insula natus & domi intra parietes meos altus est, propterea barbarè, hoc est, Anglicè, loquitur. Sic enim sermo eius, cõuenienter quidem, & propior & proprior horum nostræ Gentis morum est futurus. Et nostris, non alienis: Anglis, non exteris scribo. Præterea officio, quod Patriæ, quod literis, vtriusque in me merito, iure quidem debeo, aliqua ex parte defunctus fuero, si hoc meo studio, studium, in Parentibus, liberaliter fouendi, in eorum liberis, alacriter discendi literas, possit nõnihil excitari. Sed est præceptor hic meus, non Cantabrigiensis, sed Windesorius: Aulicus, non Academicus: Ideoque non illustriorem aliquam ostentat doctrinam, sed mediocrem & nonnullum, quoad potest, ostendit vsum. Neq; tamen ipse sum tam nostræ linguæ inimicus, quin sentiam illam, omnium ornamentorum, cùm dictionis, tum sententiarum admodum esse capacẽ, & esse item hoc argumentum non tam aridum & exile, quin Anglicè etiam αὐθηερογραφεῖσθ possit, si in artificem aliquem, qualis fuit Checus noster, & sunt adhuc apud nos, Smithus & Haddonus, incidisset. At si quid fortasse boni, in hoc tamen libello inerit, illud omne tibi, mi Sturmi, acceptum est referendum. Quæ enim scribo,

ſcribo, ſtudui certè, vt eſſent omnia Sturmiana. Et volo quidem, vt filii mei, per hoc, à Patre, rudi more congeſtum, & perquàm humile veſtibulum, in illuſtre illud & omni artificio perpolitum Sturmii Gymnaſium ingrediantur. Extabit tamen aliquid, & eminens erit in hoc meo χολαςηρίῳ, perpetuum nimirum perpetui mei, & in te amoris, & de te iudicii, teſtimonium. Præceptor igitur hic meus ſatis habet, ſi viam rectè muniat, & quaſi per certos gradus, facilem paret aſcenſum, ad ſublimiores illas rite aperiendas fores Academiæ Sturmianæ. Gradus ſunt hi: primus, linguarum verſio: non dico ſimplicem explicationem ignotæ linguæ, quæ in Scholis quotidiana eſt: & ore Præceptoris ſolùm traditur: ſed iteratam, & quaſi reciprocantem duarum linguarum, vtriusque vtrobique vertendarum rationem, nimirum, vt Græca Latinè, & tum vt eadem ipſa Latina Græcè denuò conuertantur, iuſta commentatione, & diligenti ſcriptione cum proprio, non alieno ſtylo, ſemper adhibita. Et ſic ego intelligo vtile illud inprimis & prudens conſilium, cùm L. Craſſi in primo de oratore, tùm Plinii Secundi ad ſuum Fuſcum in ſeptimo. Atque vix credibile eſt, ad quàm excellentem cùm Latinè tùm Græcè intelligendi facultatem, ipſe Diuã noſtram

Elizabetham, hac geminatæ cõuersionis ratione, ſcripto ſemper reddita, breui tempore perduxi. Sequuntur reliqui gradus. Paraphraſis, Metaphraſis, Epitome, Imitatio, Commentatio, Scriptio, & Declamatio. Per hos gradus, Pręceptor meus cautiùs & timidiùs, porrecta ſua nonnunquam manu, diſcipulos ſuos deducit. Sunt enim hi gradus nonnihil lubrici, & facilis in illis eſt prolapſio, ni cautio & iudiciũ adhibeatur. At quò feror? Nę ego temerè nimis, qui cum faciem tantum Præceptoris mei tibi oſtendere volui, non ſolùm cætera membra aperio & explico, ſed interiora illa eius conſilia & ſenſus omnes nec prudẽtèr nec pudẽter effero. Sed quid ni planè ac palam omnia ad te? Accipe igitur quod dicere inſtitui etiam de imitatione. In loco de Imitatione longiuſculus eſt Pręceptor meus. Fatetur ſe omnes ferè & veteres & recẽtes, qui de Imitatione ſcripſere, cupidè perlegiſſe: probare ſe multos, admirari verò neminem, præter vnũ Sturmium: Aliqui certè rectè, qui ſint imitãdi: ſed quomodo inſtituenda ſit ipſa imitandi ratio, ſolus docet Stur. Itaque, ſi cum illa perfectione præceptorum, quæ in literata tua nobilitate, & amiſſa dicendi ratione, pleniſſimè tradita ſunt, copiam etiã exemplorum coniunxiſſes, quid prætereà requirendum eſſet ampliùs, nõ video. Neque, vt in vitæ & morum,

rum,

rum, sic in doctrinæ & studiorum ratione omni, longè plus possunt exempla quàm præcepta. In illarum verò rerum siue arte, siue facultate, quę sola imitatione perfici videntur, præcepta, aut nullum, aut perexiguum habent locum: cum exempla istic vel solitaria planè regnant. Pictores, Sculptores, Scriptores hoc, & prudenter intelligunt, & perfectè præstant. Atque vt oratores etiam in horum numero collocem, mouet nonnulla ratio, iubet, quæ illa est, Quintiliani authoritas: qui dicit Ciceronem (nec Cicero de se hoc ipse tacet) iucũditatẽ Isocratis, copiam Platonis, vim Demosth. effinxisse. Et effingere, in imitatione nec ne propriam sedem habeat, omnes vident. Verum enimuerò ostendere, & iudicare solùm vbi hoc facit Cicero, mediocris diligentiæ, vulgaris & quotidiani est laboris. Hoc Perionius, Victorius, Stephanus, & alii in Cicerone: hoc Macrobius. Heſſus, & nuper diligentissimè omnium Fuluius Vrsinus in Virgilio: hoc accuratè etiam Clemẽs Alexandrinus quinto στρωματέων, in veteribus Græcis Scriptoribus attentauit. Sed hi omnes, perinde sunt, vt operarii & baiuli, qui, cùm comportent materiam, deesse certe in opere faciundo non possunt, mercedem tamen ipsi perexiguam, & laudem quidem non maximam promerentur. Atqui, docere perspicuè & perfectè,

qua ratione Cicero vel Demosthenem vel Platonem imitatur, singularis, fateor, doctrinæ, summi iudicii, & raræ laudis existit. Sed hæc laus adhuc præceptionis tota propria est. Aliud volo, plus requiro. Opifex nobis & Architectus opus est, qui separata coniungere, rudia perpolire & totum opus construere, artificiosa ratione nouerit. Et illud, mea certe opinione, hoc modo. Hinc Demosthenis locum, illinc Ciceronis produci cupio. Tum, digito Artificis, me primum duci volo ad ea, quæ in vtroque sunt aut eadem, aut simillima. Deinde, quæ sunt in hoc addita, & quo consilio tum, quæ sunt ablata, & quo iudicio: postremò, quæ sunt commutata, & quo ac quàm vario artificio, siue id in verborum delectu, siue in sententiarum forma, siue in membrorum circumductione, siue in argumentorum ratione consistat. Nec vno aut altero exemplo contentus ero. Numero multa, genere varia, ex Platone, ex Isocrate, & Demosthene, & ex Aristotele in libris Rhetoricis exempla expeto. Patior præceptorem parcum esse in præceptorum traditione, modò liberalem se & largum in exemplorum, non solum productione, quod laboris est & diligentiæ, verum etiam tractatione, quod est doctrinæ & iudicii, ostendat. Horum volumen, illorum paginam ipse requiro. Nec mihi mole-
stum

stum erit, si eâdem via & ratione, Cæsarem cum Xenophonte, Salustium cum Thucydide, Liuium cum Polybio, Virgilium cum Homero, Horatium cum Pindaro, & Senecam etiã cum Sophocle & Euripide coniungat: nisi forsan satius erit facere, quod hi prudenter faciunt, qui perfectè scribere volunt: hærent enim hi & defigunt se totos in vno, & eo perfectissimo exemplo: nec se, vel distrahi ad varia, vel deduci ad deteriora exempla libenter patiuntur. Tamen si carmen pangere vellem, nihil Virgilio diuinius, nihil Horatio doctius, mihi possum proponere. Sed ad dicẽdi facultatem, ipsum Ciceronem si non solùm, certè potissimùm volo. Et dari mihi exemplum cupio, Ciceronem Imitatorem, non Imitatorem Ciceronis. Equidem amplector vnice Ciceronis imitationem: sed eam dico, & primam ordine, & præcipuam dignitate, qua Cicero ipse Græcos, non qua Lactantius olim, Omphalius nuper aut qua multò felicius, quidam Itali, Galli, Lusitani, & Angli Ciceronem sunt sequuti. Nam quisquis fuerit non solùm diligens, sed etiam cum peritus doctrina, tùm prudens iudicio obseruator, quibus vestigiis insistit, & quos gradus facit ipse Cicero dum Græcos sequitur, assequitur, aut præcurrit: & sciẽter animaduertit, quibus in locis, & qua ratione hic noster, ipsis

Græcis, plerumque par, sæpissimè superior euadit, is demum tutò & recta via, ad imitandum ipsum Ciceronem perueniet. Qui enim intelligenter videt, quomodo Cicero sequutus est alios, perspiciet ille longè felicissimè, quomodo ipse Cicero sit sequendus. Et propterea, non possum probare cõsilium Bartholomæi Riccii Ferrariensis, doctissimi licèt viri: qui, cum sic scripserit de recta imitandi ratione, vt cum à Sturmio discesseris, cæteris omnibus mea certè opinione, anteponendus sit (præcepta enim eius omnia sunt Sturmiana, & ex tuis fontibus hausta atque deriuata) exempla tamen maluit Longolii ex Cicerone, quàm Ciceronis ex Platone sibi proponere: & Virgilii ex Catullo, quàm Virgilii ex Homero producere. Hoc ille, benè quidem, sed nõ optimè: ad aliquem fructum, non ad eximiam laudem: ad nonnullam mediocritatẽ, non ad summam perfectionem instituit. Si verò optarem ipse fieri alter Cicero (& optare quidem nefas non est) vt fierem, & qua ratione fierem, quẽ potiùs ad consilium mihi adhiberem, quàm ipsum Ciceronem? Et, si ipse cuperem eò rectâ ire, quò Cicero ante felicissimè peruênit, qua meliore via, quàm ipsis ipsius Ciceronis vestigiis insisterem? Habuit ille quidem Romæ Gracchos, Crassos, Antonios, rarissima ad imitandum exempla:

empla: ſed exempla alia ipſe aliâs quærit. Proprietatem Romanæ linguæ, ſimul cum lacte, Romæ puriſſima ætate, ex ipſo latinitatis lætiſſimo flore, hauſit: Ille tamen ſermonem illum Latinum ſuum diuinum, ſuperioribus non cognitum, poſteris tam admirabilem, aliunde ſumpſit: & alio modo quàm Latino vſu, quàm Latina inſtitutione, & auxit & aluit. Ille enim ſermo, non in Italia natus eſt, ſed è Græcorum diſciplina, in Italiam traductus eſt. Nec ſatis habuit Cicero, vt lingua eius, proprietate domeſtica, caſta eſſet & ornata, niſi mens etiam Græcorum eruditione, prudens efficeretur & docta. Vnde euênit, vt ſola Ciceronis Oratio, inter reliquos omnes Romanos, qui illi, ætate, aut ſuperiores aut æquales, aut ſuppares fuêre, nõ colore ſolùm vernaculo putè tincta, ſed raro & transmarino quodam plenè imbuta, tàm admirabiliter reſplendeſceret. Itaque, cùm ipſa lingua Latina, feliciſſimo ſuo tempore, in ipſa Roma, in ipſo Cicerone, ad ſummam perfectionem, ſine Græca lingua, non peruênit: cur quiſquam in ſola Latina quærit, quod Cicero ipſe abſque Græca, non inuênit? Et cum nos ſumus, nec feliciores ingenio, nec prudentiores iudicio, quàm ipſe Cicero fuit: cur temerè ſperamus aſſequi, quod ille non potuit? cur imprudenter cõ-

tendimus eam viam inire, qua ipse insistere noluit? præsertim, cum hunc solum, aut hunc potissimum, tanquam summum ducem, sequendum esse ducimus. Et in re literaria, cum Ciceronis inprimis probamus iudicium, cur eius repudiaremus consilium? Cum prudenter illum de hac re semper dixisse, cur illum in eadem re rectè fecisse non ingenuè fateamur? Nisi forsan Cicero ipse, iudicio quidem prudens, aliis tamen & inutilis consilio, & ineptus exemplo, planè esse videatur. Itaque quemadmodum perspicue cognoscimus, quid Cicero de hac re, prudenter sæpe statuit, constanter semper docuit: ita nos libenter sequamur, quod ipse in eadem re felicissime fecit. Quas igitur Cicero, linguas, sibi reipsa vtiliter, aliis, exemplo, prudenter coniunxit: absit vt nos, vel separemus illas, quod est rudis imperitiæ; vel repudiemus alteram, quod est superbæ imprudentiæ. Nam, in hac florere, sine illa, cum summa aliqua laude, tam facilè continget, quam sæpè vsu eueniet, vt auis, vna ala, cũ pernicitatẽ volare, aut vir, vno pede, cum velocitate currere possit. Ex omni enim seculorum memoria, siue ex lectione, siue ex auditione, siue ex noticia, commemorare habeo solum vnum aut alterum, qui absque Græcis literis, ad eximiam

miam eloquentiæ laudem, in Latina lingua peruenerunt. Sed quemadmodum par est, vt hos homines admiremur, ita tutum non est, vt eosdem imitemur. Eos ex animo suspicio, & illis libenter gratulor, hanc suam raram felicitatem. Sed aliis nõ sum author, vt vel parem sperent laudem, vel eandem sequantur rationem; si non alio, hoc certè nomine, quod Cicero hac via insistere, aut prudenter ipse noluit: aut frustra cum multis tentare non sit ausus. Sed ait quis; rectè quidem Cicero; nam ante eum, nemo fuit, præter Græcos, ad imitationem proponendus. Sed nunc habemus ipsum Ciceronem, eum quidem, cum vniuersa Græcia, & cum singulo quoque Græcorum, in ea eloquentiæ laude, qua maximè quisq; floruit, comparandum. Cur igitur non Ciceronem solum mihi, variis illis Græcis relictis, ad imitandum proponerem? Aliquid est quod dicis. Ipse enim Ciceronem præcipuè imitandum volo, sed tuta via, sed recta ratione, suo ordine, suo loco. Et rationem meam, cur hoc volo, & quomodo hoc volo, apertè ostendam. Primùm, si optarem ipse, alter fieri Cicero (quod antè dixi) qua ratione potiùs fierem, quam ea ipsa, qua ipse Cicero, factus est Cicero? Hanc viam, certam, cognitam, & expeditam esse, optimus testis est ipse Cicero. Itaque, cum gressus nostri,

rectè & solidè firmati erunt, in hac ipsa via, quâ præiuit Cicero ad alios, sic, vt omnes eius & abditos recessus, & varia diuerticula, & difficiles anfract⁹, perfectè cognoscamus, tùm tutò quidem, & felicitèr etiam, duce ipsa Minerua, nostram ad Ciceronem viam muniemus. Et hoc quidem modo (vt antè dixi) si illustriora exempla, numero multa, genere varia, è Cicerone selecta, vbi ille optimos Græcos imitatur, per insignē aliquē artificem non solùm, vt quidam faciunt, diligentèr indicata, sed vt Sturmius docet, eruditè explicata fuerint. Et hæc est illa via, mea certè opinione, qua, ad Ciceronis imitationem rectâ pergendum est. Nō, quomodo Riccius ostendit Longolium fecisse, hoc est, vt ipse putat, excellenti ratione: vt ego existimo valde laudabilitèr: vt multi sentiunt, mediocritèr & tolerabiliter: vt Erasmus & P. Manutius indicant, ineptè, frigidè, & puerilitèr: sed qua ratione Sturmius Ciceronem imitandum esse, & præceptis in literata nobilitate perfectè docet, & exemplis in Quintiana explicatione insigniter ostēdit. Et hoc in loco, opportunè mihi in mentem venit insignis ille in Quintiana locus, nimirum; Etenim, si veritate Amicitia, fide Societas, &c. Quæ sententia, bis est à te, mi Sturmi, mirabili imitationis artificio expressa; primùm, in amissa dicendi ratione: post-

posteà, in ipsa explicatione Quintiana. In vtroque loco, eandem orationis formam, diuersis quidem in rebus, sed varia tractatione elegantissimè effinxisti. Praeceptor meus, à me petit, timidè quidem & verecundè, rogem vt ipse te, tua pace, vt illi liceat, in suo Commentariolo, hac duplici tua vnius loci Ciceronis insigni imitatione, pro exemplo, abuti. Et spondeo ipse pro eo, illum hoc, cum honorifica de te, & amabili mentione, facturum. Sed quorsum tantopere, mi Sturmi, laboramus de Imitatione; cum nō desunt, qui docti & prudentes videri volunt, qui Imitationē, vel nullam esse putant, vel nihili prorsus æstimāt, vel omnem temerè permiscent, vel eam totam, quæcunque sit, cuiuscunque sit, vt seruilem & puerilem repudiant. Sed hi sunt & inertes, & imperiti; laborem fugiunt, artem nesciunt: Qui cum naturæ omnia, falso iudicio tribuunt, eandem tamen, optimis suis præsidiis iniquo consilio spoliant. Et res semper coniungendas, magna temeritate, extrema imprudentia distrahunt. Artis enim & naturæ dissidium faciunt, quicunque casu, non delectu fortuitò, non obseruatione, in literarum studiis versantur. Isti idem sentiunt, de eleganti illa Eloquentiæ parte, quæ in Numerorum ratione collocata est. Illam enim aut nullam

Elizabetham, hac geminatæ cõuersionis ratione, scripto semper reddita, breui tempore perduxi. Sequuntur reliqui gradus. Paraphrasis, Metaphrasis, Epitome, Imitatio, Commentatio, Scriptio, & Declamatio. Per hos gradus, Præceptor meus cautiùs & timidiùs, porrecta sua nonnunquam manu, discipulos suos deducit. Sunt enim hi gradus nonnihil lubrici, & facilis in illis est prolapsio, ni cautio & iudiciũ adhibeatur. At quò feror? Nę ego temerè nimis, qui cum faciem tantum Præceptoris mei tibi ostendere volui, non solùm cætera membra aperio & explico, sed interiora illa eius consilia & sensus omnes nec prudẽtèr nec pudẽter effero. Sed quid ni planè ac palam omnia ad te? Accipe igitur quod dicere institui etiam de imitatione. In loco de Imitatione longiusculus est Pręceptor meus. Fatetur se omnes ferè & veteres & recẽtes, qui de Imitatione scripsere, cupidè perlegisse: probare se multos, admirari verò neminem, præter vnũ Sturmium: Aliqui certè rectè, qui sint imitãdi: sed quomodo instituenda sit ipsa imitandi ratio, solus docet Stur. Itaque, si cum illa perfectione præceptorum, quæ in literata tua nobilitate, & amissa dicendi ratione, plenissimè tradita sunt, copiam etiã exemplorum coniunxisses, quid prætereà requirendum esset ampliùs, nõ video. Neque, vt in vitæ & morum,

rum, sic in doctrinæ & studiorum ratione omni, longè plus possunt exempla quàm pręcepta. In illarum verò rerum siue arte, siue facultate, quę sola imitatione perfici videntur, præcepta, aut nullum, aut perexiguum habent locum: cum exempla istic vel solitaria planè regnant. Pictores, Sculptores, Scriptores hoc, & prudenter intelligunt, & perfectè præstant. Atque vt oratores etiam in horum numero collocem, mouet nonnulla ratio, iubet, quæ illa est, Quintiliani authoritas: qui dicit Ciceronem (nec Cicero de se hoc ipse tacet) iucūditatē Isocratis, copiam Platonis, vim Demosth. effinxisse. Et effingere, in imitatione nec ne propriam sedem habeat, omnes vident. Verum enimuerò ostendere, & iudicare solùm vbi hoc facit Cicero, mediocris diligentiæ, vulgaris & quotidiani est laboris. Hoc Perionius, Victorius, Stephanus, & alii in Cicerone: hoc Macrobius. Hessus, & nuper diligentissimè omnium Fuluius Vrsinus in Virgilio: hoc accuratè etiam Clemēs Alexandrinus quinto στρωματέων, in veteribus Græcis Scriptoribus attentauit. Sed hi omnes, perinde sunt, vt operarii & baiuli, qui, cùm comportent materiam, deesse certe in opere faciundo non possunt, mercedem tamen ipsi perexiguam, & laudem quidem non maximam promerentur. Atqui, docere perspicuè & perfectè,

qua ratione Cicero vel Demosthenem vel Platonem imitatur, singularis, fateor, doctrinæ, summi iudicii, & raræ laudis existit. Sed hæc laus adhuc præceptionis tota propria est. Aliud volo, plus requiro. Opifex nobis & Architectus opus est, qui separata coniungere, rudia perpolire & totum opus construere, artificiosa ratione nouerit. Et illud, mea certe opinione, hoc modo. Hinc Demosthenis locum, illinc Ciceronis produci cupio. Tum, digito Artificis, me primum duci volo ad ea, quæ in vtroque sunt aut eadem, aut simillima. Deinde, quæ sunt in hoc addita, & quo consilio tum, quæ sunt ablata, & quo iudicio: postremò, quæ sunt commutata, & quo ac quàm vario artificio, siue id in verborum delectu, siue in sententiarum forma, siue in membrorum circumductione, siue in argumentorum ratione consistat. Nec vno aut altero exemplo contentus ero. Numero multa, genere varia, ex Platone, ex Isocrate, & Demosthene, & ex Aristotele in libris Rhetoricis exempla expeto. Patior præceptorem parcum esse in præceptorum traditione, modò liberalem se & largum in exemplorum, non solum productione, quod laboris est & diligentiæ, verum etiam tractatione, quod est doctrinæ & iudicii, ostendat. Horum volumen, illorum paginam ipse requiro. Nec mihi mole-

stum

Rum erit, si eâdem via & ratione, Cæsarem cum Xenophonte, Salustium cum Thucydide, Liuium cum Polybio, Virgilium cum Homero, Horatium cum Pindaro, & Senecam etiā cum Sophocle & Euripide coniungat: nisi forsan satius erit facere, quod hi prudenter faciunt, qui perfectè scribere volunt: hærent enim hi & defigunt se totos in vno, & eo perfectissimo exemplo: nec se, vel distrahi ad varia, vel deduci ad deteriora exempla libenter patiuntur. Tamen si carmen pangere vellem, nihil Virgilio diuinius, nihil Horatio doctius, mihi possum proponere. Sed ad dicēdi facultatem, ipsum Ciceronem si non solùm, certè potissimùm volo. Et dari mihi exemplum cupio, Ciceronem Imitatorem, non Imitatorem Ciceronis. Equidem amplector vnice Ciceronis imitationem: sed eam dico, & primam ordine, & præcipuam dignitate, qua Cicero ipse Græcos, non qua Lactantius olim, Omphalius nuper aut qua multò felicius, quidam Itali, Galli, Lusitani, & Angli Ciceronem sunt sequuti. Nam quisquis fuerit non solùm diligens, sed etiam cum peritus doctrina, tùm prudens iudicio obseruator, quibus vestigiis insistit, & quos gradus facit ipse Cicero dum Græcos sequitur, assequitur, aut præcurrit: & sciēter animaduertit, quibus in locis, & qua ratione hic noster, ipsis

Græcis, plerumque par, ſæpiſſimè ſuperior euadit, is demum tutò & rectâ via, ad imitandum ipſum Ciceronem perueniet. Qui enim intelligenter videt, quomodo Cicero ſequutus eſt alios, perſpiciet ille longè feliciſſimè, quomodo ipſe Cicero ſit ſequendus. Et propterea, non poſſum probare cõſilium Bartholomæi Riccii Ferrarienſis, doctiſſimi licèt viri: qui, cum ſic ſcripſerit de recta imitandi ratione, vt cum à Sturmio diſceſſeris, cæteris omnibus mea certè opinione, anteponendus ſit (præcepta enim eius omnia ſunt Sturmiana, & ex tuis fontibus hauſta atque deriuata) exempla tamen maluit Longolii ex Cicerone, quàm Ciceronis ex Platone ſibi proponere: & Virgilii ex Catullo, quàm Virgilii ex Homero producere. Hoc ille, benè quidem, ſed nõ optimè: ad aliquem fructum, non ad eximiam laudem: ad nonnullam mediocritatẽ, non ad ſummam perfectionem inſtituit. Si verò optarem ipſe fieri alter Cicero (& optare quidem nefas non eſt) vt fierem, & qua ratione fierem, quẽ potiùs ad conſilium mihi adhiberem, quàm ipſum Ciceronem? Et, ſi ipſe cuperem eò rectâ ire, quò Cicero ante feliciſſimè peruênit, qua meliore via, quàm ipſis ipſius Ciceronis veſtigiis inſiſterem? Habuit ille quidem Romæ Gracchos, Craſſos, Antonios, rariſſima ad imitandum exempla:

empla: sed exempla alia ipse aliâs quærit. Proprietatem Romanæ linguæ, simul cum lacte, Romæ purissima ætate, ex ipso latinitatis lætissimo flore, hausit: Ille tamen sermonem illum Latinum suum diuinum, superioribus non cognitum, posteris tam admirabilem, aliunde sumpsit: & alio modo quàm Latino vsu, quàm Latina institutione, & auxit & aluit. Ille enim sermo, non in Italia natus est, sed è Græcorum disciplina, in Italiam traductus est. Nec satis habuit Cicero, vt lingua eius, proprietate domestica, casta esset & ornata, nisi mens etiam Græcorum eruditione, prudens efficeretur & docta. Vnde euênit, vt sola Ciceronis Oratio, inter reliquos omnes Romanos, qui illi, ætate, aut superiores aut æquales, aut suppares fuêre, nō colore solùm vernaculo putè tincta, sed raro & transmarino quodam plenè imbuta, tàm admirabiliter resplendesceret. Itaque, cùm ipsa lingua Latina, felicissimo suo tempore, in ipsa Roma, in ipso Cicerone, ad summam perfectionem, sine Græca lingua, non peruênit: cur quisquam in sola Latina quærit, quod Cicero ipse absque Græca, non inuênit? Et cum nos sumus, nec feliciores ingenio, nec prudentiores iudicio, quàm ipse Cicero fuit: cur temerè speramus assequi, quod ille non potuit? cur imprudenter cō-

tendimus eam viam inire, qua ipse insi-stere noluit? præsertim, cum hunc solum, aut hunc potissimum, tanquam summum ducem, sequendum esse ducimus. Et in re literaria, cum Ciceronis inprimis probamus iudicium, cur eius repudiaremus consilium? Cum prudenter illum de hac re semper dixisse, cur illum in eadem re recte fecisse non ingenuè fateamur? Nisi forsan Cicero ipse, iudicio quidem prudens, aliis tamen & inutilis consilio, & ineptus exemplo, planè esse videatur. Itaque quemadmodum perspicue cognoscimus, quid Cicero de hac re, prudenter sæpe statuit, constanter semper docuit: ita nos libenter sequamur, quod ipse in eadem re felicissime fecit. Quas igitur Cicero, linguas, sibi reipsa vtiliter, aliis, exemplo, prudenter coniunxit: absit vt nos, vel separemus illas, quod est rudis imperitiæ; vel repudiemus alteram, quod est superbæ imprudentiæ. Nam, in hac florere, sine illa, cum summa aliqua laude, tam facilè continget, quam sæpè vsu eueniet, vt auis, vna ala, cū pernicitate volare, aut vir, vno pede, cum velocitate currere possit. Ex omni enim seculorum memoria, siue ex lectione, siue ex auditione, siue ex notitia, commemorare habeo solum vnum aut alterum, qui absque Græcis literis, ad eximiam

miam eloquentiæ laudem, in Latina lingua peruenerunt. Sed quemadmodum par est, vt hos homines admiremur, ita tutum non est, vt eosdem imitemur. Eos ex animo suspicio, & illis libenter gratulor, hanc suam raram felicitatem. Sed aliis nō sum author, vt vel parem sperent laudem, vel eandem sequantur rationem; si non alio, hoc certè nomine, quod Cicero hac via insistere, aut prudenter ipse noluit: aut frustra cum multis tentare non sit ausus. Sed ait quis; rectè quidem Cicero; nam ante eum, nemo fuit, præter Græcos, ad imitationem proponendus. Sed nunc habemus ipsum Ciceronem, eum quidem, cum vniuersa Græcia, & cum singulo quoque Græcorum, in ea eloquentiæ laude, qua maximè quisq; floruit, comparandum. Cur igitur non Ciceronem solum mihi, variis illis Græcis relictis, ad imitandum proponerem? Aliquid est quod dicis. Ipse enim Ciceronem præcipuè imitandum volo, sed tuta via, sed recta ratione, suo ordine, suo loco. Et rationem meam, cur hoc volo, & quomodo hoc volo, apertè ostendam. Primùm, si optarem ipse, alter fieri Cicero (quod antè dixi) qua ratione potiùs fierem, quam ea ipsa, qua ipse Cicero, factus est Cicero? Hanc viam, certam, cognitam, & expeditam esse, optimus testis est ipse Cicero. Itaque, cum gressus nostri,

postea, in ipsa explicatione Quintiana. In vtroque loco, eandem orationis formam, diuersis quidem in rebus, sed varia tractatione elegantissimè effinxisti. Præceptor meus, à me petit, timidè quidem & verecundè, rogem vt ipse te, tua pace, vt illi liceat, in suo Commentariolo, hac duplici tua vnius loci Ciceronis insigni imitatione, pro exemplo, abuti. Et spondeo ipse pro eo, illum hoc, cum honorifica de te, & amabili mentione, facturum. Sed quorsum tantopere, mi Sturmi, laboramus de Imitatione; cum nō desunt, qui docti & prudentes videri volunt, qui Imitationē, vel nullam esse putant, vel nihili prorsus æstimāt, vel omnem temerè permiscent, vel eam totam, quæcunque sit, cuiuscunque sit, vt seruilem & puerilem repudiant. Sed hi sunt & inertes, & imperiti; laborem fugiunt, artem nesciunt: Qui cum naturæ omnia, falso iudicio tribuunt, eandem tamen, optimis suis præsidiis iniquo consilio spoliant. Et res semper coniungendas, magna temeritate, extrema imprudentia distrahunt. Artis enim & naturæ dissidium faciunt, quicunque casu, non delectu fortuitò, non obseruatione, in literarum studiis versantur. Isti idem sentiunt, de eleganti illa Eloquentiæ parte, quæ in Numerorum ratione collocata est. Illam enim aut nullam

esse volunt, aut inanem omnem iudicant. Et aurium sensum, cum artificioso & intelligenti animi iudicio, nihil commercii habere existimant. Quem tamen doctrinæ locum (id quod isti, aut imperite nesciunt, aut superbe contemnunt) Principes illi in omni doctrina viri, Aristoteles, Demetrius, Halicarnasseus, Hermogenes, Cicero, Quintilianus, Sturmius tanto studio perpoliuerunt, vt in nulla alia re accuratiùs elaborasse videantur. Sed illos in sua, siue imperita desidia, siue superba imprudētia relinquamus; Et hos alteros nos amemus atque sequamur; Qui cum fuerint optima natura ornati, esse item voluere sic doctrina exculti, vt ipsi, non magis Naturæ beneficio adiuti, quàm Artis præsidio muniti; nec magis ingenio felices, quàm iudicio prudentes, semper habiti sint. Et hæc mihi de imitandi ratione cogitanti, grauis sæpe subit dolor ob amissos illos libros Dionys. Halicarnassei, quos doctissimè & fusissimè scripsit de Imitatione & Oratoria & Historica. Quos libros ipse Dion. in eo Commētario, quo suum iudicium de vniuersa Historia Thucydidis, & quid in ea, vel tutò imitandum, vel caute declinandum sit, eruditè, prudenter, & plenè explicat, cæteris suis libris omnibus anteponit. Sed interim omnes docti plurimum debeant, cum Andreas

dreæ Dudithio Pannonio, tũ tuo Paulo Manutio, quòd nuper hunc eruditum Commentarium, alter Latinè doctissimè vertit (Græca enim non vidi,) alter typis elegantissimè excudit. Nam in eo libro sic omnes Thucydidis virtutes & vitia, & diligenter collegit, & liberè exposuit, vt quicquid in eo, siue in verborum delectu siue in sententiarum forma & cõstructione, siue in rerum iudicio & tractatione, vel prædicabile ad eius laudem, vel vituperabile ad similium devitationem scriptum est, id omne & planè & plenè ab Halicarnassæo demonstretur. Tanta enim eius est, in singula congerendo diligentia, in considerando doctrina, in põderando iudicium, vt si ipse iam reuiuisceret Thucydides, credo equidem non se ipse meliùs noscere, non de se, aut rectiùs aut æquius statuere potuerit. De Imitatione Historica, doctius aut accuratius quicquam, credo nondum extitit. Et quoties ego hunc lego Commentarium, quod sæpè quidem & libentèr facio, toties in hanc sententiam adducor, vt planè ipse existimẽ, neminem, nec Græcum, nec Latinum, maiori facultate ad scribẽdam historiam vnquam venisse, quàm Dion. Halicarnassæum: præsertim, si ad tantam diligentiæ, doctrinæ, & iudicij præstantiam, accessit etiam Augusti beneficio, totus & tantus ille Thesaurus Biblio-

thecæ M. Varronis. Si forsan hunc librum, mi Sturmi, Halicarnassæi, de Historia Thucydidis, aliis rebus occupatus, nondum legeris, rogo, vt meo rogatu legas: Et scribas quæso, an sensus tuus cum mea opinione de hoc libro cõsentiat nec ne. Fatetur etiam ipse in eodem libro, se pari ratione de Imitatione Demosthenica, & alterum librum de ciuili Philosophia scripsisse. Vtinam illi extarent libri. Mẽte enim quasi iam præcipio, tales libros, à tanto viro scriptos, omnibus eruditionis & prudentiæ præceptis (quantum ad Ciuilem cognitionem attinet) plenè abundauisse. Hæ cogitationes de Imitatione, & illa mentio antè facta à me de Christophoro Longolio, qui voluit ipse esse, & aliis etiam visus est, insignis Ciceronis imitator, nonnihil me mouent, vt quid ipse de eius facultate, & aliorum de eo opinione sentiam, tibi aperiam. Qui bene de Longolio sentiunt, habent me non repugnantem: quanquam habeo & foris & domi, quos illi anteponam. Budæus, amicum immerentem, ingrata inuidia, in quadã ad Erasmum epistola, nimis acerbè premit. Erasmus apertiùs insectatur: & illum ineptè furacitèr, seruili & puerili more, nihil præter Centones ex Cicerone cõsuere arguit; id quod ipse credo Erasmum, aliquo potiùs scripsisse stomacho, quã certo suo statuisse iudicio. Nam scio,

scio, vbi, Longolio iam mortuo, non singularem aliquam, sed summam Eloquentiæ laudem tribuit. Miror ipse magis quidem, quid tuo Paulo Manutio in mentem venerit, homini, vt audio, naturâ humanissimo, & vt video, doctrina excultissimo, vt is Longolium, viuus mortuum, bonus non malum, eruditus non indoctum, Italus Italorum delicias, in literis suis ad Stephanum Saulium, etiam in lucem editis, tam acri stylo pungeret. Quo consilio hoc fecit, nescio: parum humanitèr quidem, scio: & an vero iudicio, planè dubito. Dicit enim Longolium esse exilem in sententiis, non luculentum in verbis, inopem à Latina lingua, esse prorsùs nullum. In eo, & iudicium requirit & stultitiam notat. Quanto tu (mi Sturmi) moderatiùs, humaniùs, atque prudentiùs olim ad ducem Iuliacensium: vbi, cùm de Erasmo & Longolio, & eorum tota cõtrouersia, grauissimum iudicium dederis, laudem neutri adimis: sed suam vtriq; ingenuè tribuisti. Atqui in eodem loco, vbi Manutius Longolium eoúsq; deiicere tantopere laborat, nonnihil ipse, mea opinione, labitur. Nam cum eximiam illam suam, & ei, vt ipse scribit, cum paucis communem, augendæ linguæ Latinæ rationem, singulari præconio efferat, nimirum quòd exquisitas sentẽtias de Cicerone excerptas, aliis verbis,

quàm poterat lectiſſimis ornare conſueuerat, annon planè oſtendit, ſe malle cum C. Catone, in errores abduci, quàm cum L. Craſſo recta via inſiſtere? & opinionẽ Quintiliani, iudicio Ciceronis anteponere? Craſſus enim & Cicero, non ſolùm maiori authoritate pugnant, ſed meliori ratione vincunt, inutilem eſſe laborem, malo conſilio aucupari deteriora, cum recto iudicio optima ſunt præcepta: & temerè captare vulgaria, cum ſelectiſſima ſcienter ſunt occupata. Gaudeo præceptorẽ meum loqui Anglicè: ne, cùm tam liberè diſſentit hac in re à Manutio, tantum hominẽ offenderet. Tamen Manutium non nominat: nam cùm diſſentit ab aliquo, hoc tacitè: cùm laudat quenquam, illud apertè facit. Quanquam ſi ipſe Manutius has literas legeret, non eſt, cur offenderetur. Nemo enim melius, quàm ille, nouit, Muſas ipſas eſſe, non ſolùm candidas, ſed etiam prudentes: quæ, inter literarum cultores, aliquam nonnunquã opinionum diſſenſionem, & ferunt patienter, & ferunt, ipſæ aliquando non inutili ...: omnem verò animorum diſtractionem, & fieri ſemper vetant, & eſſe diù non patiuntur. Itaq; Paulum tuum Manutium, meùm quoque eſſe volo: nec ſinam, vt eũ tu plus diligas, quàm ipſe amem. Et quanquam tu loci opportunitate illi propior es, beneuolentiæ tamẽ ſtu-

dio,

dio, & officii etiam repræsentatione, cum vsus ferret, vt sis coniunctior, profectò non permittam. Idem cogito de aliis in Italia clarissimis viris, de Petro Victorio, de Iouita Rapicio, qui eruditè & elegantèr de Numero Oratorio scripsit: de Carolo Sigonio, de Ioanne Baptista Pigna Ferrariensi, de Petro Bargæo Pisano. Nam, quantum Carolo Sigonio omnes docti debent, pro vtraq; vtriusq; vrbis Repub. tanta diligentiâ, tanta doctrinâ, tanto orationis lumine explicata, & imperitus qui non clarè videt, & inuidus, qui non ingenuè fatetur, habendus est. Rara verò illa doctrina & graue etiam illud iudicium, quo, Baptista Pigna aureolum Horatii librum de arte poëtica fusissimè explicuit, magno me commouit desiderio, videndi etiam ea, quæ in tres libros Rhetoricos Aristotelis, pari ratione conscripsit: in quibus vt ille ipse scribit, ad Artis Oratoriç, ab intelligēdi principe optimè traditæ, perfectissima præcepta, ex Græcorū & Latinorum dicendi principum, orationibus: ex Ethicis item, Politicis, & historicis, omnis generis exempla adiūxit. Et quale opus hoc sit, quanquam oculis nondum vidi, animo tamen quàm præclarum illud sit, cū magna voluptate, iam percepi. Scripsit idem Baptista Pigna, vt ipse testatur, alterum librum, quæstiones Sophocleas: vbi, de tota doctri-

na Tragica, de Senecæ vitiis, de Græcorum Tragicorum virtutibus fusè tractauit. Nec minori huius libri videndi desiderio teneor, mi Sturmi: Quoniam Sophocles & Euripides, mea certè opinione, cum Platone & Xenophonte, in omni ciuilis cognitionis explicatione, conferri possunt: præsertim quod attinet ad eorum mores, consilia, instituta, & euenta, qui in splendore aulico vitā suam traducunt. Petrus Angelus Bargæus Pisanus, carmine diuino, κυνηγετικὸ complexus est: nec minus excellit dicendi facultate. Is scripsit, vt ex eius scripto, & Manutii testimonio intelligo, doctissimos etiam Commentarios in eruditum illum Demetrii libellū de elocutione. An hic liber, & illi, quos cōmemoraui Ioannis Bapt. Pignæ, in lucem prodiêre, aut sint prodituri, admodū aueo scire. Si homo es, mi Sturmi, hoc meo rogatu, per literas tuas cognosce, primo quoque tempore, à Paulo Manutio, qui omnium optimè istud intelligit. Et quid ille respondet, ad me quamprimùm perscribas: nihil enim mihi gratius facturus es. Et manibus Longolii æternam felicitatem exopto, qui mihi hoc à te postulandi occasionē dedit. Et tibi mi Sturmi, gratias ingentes ago, quòd de imitatione oratoria scribis: quòd mihi mittere polliceris, quæ dictata sunt. Mitte igitur, & quamprimùm mitte: vt præceptor

meus,

mens, qui nunc est ferè nudus, & planè deformis, istinc aliquem elegantiorem mutuans amictum, nonnihil cultiùs vestitus, & inde superbior factus, in lucem audaciùs prodeat. Interim vero cupio à te scire, an imitatio hoc loco, tam latè patêre debeat, vt eam etiam exercitationem complectatur, quam nos Metaphrasin nominamus: Quæ μίμησις tamen à Platone 3. de Repub. dicitur, vbi ipse Socrates orationē Chrysę sacerdotis ex α.'ιλ. libero sermone elegantissimè dissoluit. Et cur non appelletur imitatio, non video: cùm videam in eo loco, & quædā prudentèr ablata, & multa ingeniosè commutata. Idem sentio de pari consilio Lucretii Latinissimi Poëtæ, qui, diuersa ratione, insignem illam Thucydidis explicationē pestis, erudito & eleganti carmine illigauit. At quid facis, mi Aschame, inquis: quod tu, nō literas, sed libellum hoc tempore ad me? Quod facio, facio libentèr & cum voluptate, mi Sturmi, præsertim in hac dulci & domestica mea, ab omni aulico negotio, otioso hoc tempore, & libera cessatione: dum Princeps mea nunc longiùs ab vrbe, non in Musarum sacrario Palladi, quod reliquo toto anno facit, sed inter syluas Dianæ, de more, hoc tempore seruiat. Et hæc prolixitas mea, mihi quidem non est molesta: & tibi item, spero nō admodum erit ingrata. Cum

enim mihi, nullum in ſcribendo tædium attulerit, ne tibi magnum in legendo faſtidium ſit paritura, non valde pertimeſco. Et ſi nihil aliud, hoc certè efficiam, vt tu certò intelligas, hoc longo ſilentio meo, meum erga te amorem, minimè eſſe diminutum. Intelliges præterea, quod adhuc etiam de literarum noſtrarum ſtudiis, in me reſideat eadem cogitatio, licèt non par facultas, quę tum fuit, cum ego primum, D. Buceri hortatu, literas illas prolixas ad te dederim: quas tu, peramicè quidem, amoris noſtri mutui publicas teſtes eſſe voluiſti. Nunc verò fructus ille otii noſtri Academici, qui tibi aliquis tum viſus eſt, ita iam omnis, in hoc negotio Aulico, quotidie langueſcit, & eò indies tanquã vinum fugiens, paulatim decidit, vt planè verear, tuo ne iudicio, prorſus exaruiſſe videatur. Itaque peropportuna eſt mihi, dulcis illa & peramabilis tua mecum expoſtulatio, cum me vocas, feſtiuè tu quidem, ſed nimis verè, hominem deſidioſum: & cùm amantèr poſtulas, vt nos ipſi noſtram multorum annorum intermiſſam ſcriptionem reuocemus: & nos, inter nos, mutuis crebrò literis ſalutemus atq; conſolemur. De mea verò diutina taciturnitate, nihil dico, nec veniam valdè peto, nec excuſationem admodum quæro, quam licèt iuſtam & probabilem adferre poſſum, vti tamen

men

men illa nolo: ne ipsa esset, mihi quidem molesta, & tibi non lætabilis. Verùm, ne tu in hoc meo desidioso silentio, nimium triumphes, quanquam ipse, in hoc scribendi officio commendationem, tibi magnam libentèr tribuo, mihi verò nullam sumo, tamen sic tecum iure possum contendere: tu, literarum multatum numero, Ego, vnius magnitudine: tu variis schedulis, ego hoc volumine; tu sententiarum pondere, ego verborum cumulo: tu erudita breuitate, ego loquacitate rudi: tu amoris crebra declaratione, ego beneuolẽtiæ perpetuo studio: sic vterque nitimur, vt tu me, an ego te, in hac contentione superem, non multũ quidem laborem.

ROGERVS ASCHAMVS
IOANNI STVRMIO.

S.P. in Christo Iesu. Nec ars ad vsum vitæ, nec scientia ad cultum ingenii, meo quidem iudicio (ornatissime Ioan. Sturmi) vlla inuenta est, quæ cum illius facultatis præstantia comparari potest, cuius præsidio efficitur, vt ratio ad prudenter intelligẽdum, sermo ad disertè loquendum instituatur, & reliqua hominis vita, ab immani feraque consuetudine longissimè abesse, & ad diuinam naturam proximè accedere videatur. Hinc incredibilis ille sensus amoris, quo-

omnes ferè docti etiamnum prosequuntur Athenas illas Atticas, ex qua vna vrbe, vna ætate, vt scis, plures dicendi intelligendiq; & principes & præceptores exorti sunt, quàm ex omni vel locorum, vel temporũ vniuersitate ad hominum memoriam vnquam peruenerunt. Roma verò olim imperii domicilium, virtutis cumulo vel ipsis Athenis longè superior, eloquentiæ laude par, aut non multum inferior, quanquam nunc præsentibus moribus papistico luxu, & imperioso Antichristianismo, se bonorum odio subiecerit, veteris tamen eloquentiæ nomine, & Ciceronis ingenio, sic omni posteritati cõmendata est: vt quamdiu Latinarum literarum vel fructu adiuti, vel laude illustrati vlli homines sunt, tamdiu vrbis Romæ memoria, cùm summa charitate & beneuolentia vsurpata, duratura sit. Neq; antegressę solum memoriæ erudita secula, sed præsentis etiam ætatis præclara ingenia, plurimùm admiramur: potissimùm verò eorum hominum qui hac eloquentiæ laude floruerunt. Ipse enim multos excellentes viros, ex Italia, Germania, Gallia, vehementer diligo, quos nunquam vidi, propter insignem doctrinæ splendorem, quẽ in illis elucere perspicio. At cum tu clarissime Ioannes Sturmi, ex Platone, Aristotele, Cicerone, eum salubrem eloquentię succum hausisti, quẽ in nul-

in nullo alio nostræ ætatis nec longè superioris quidem vnquam animaduerti, & illum etiam totum ad saniorem Christi doctrinam aggregasti, quo in loco te habeam, nisi de te ad te scriberem, libenter explicarem. Quanquam si id facerem, cur adulationis notam vererer, non video. Quæ res si mihi proposita fuisset (quod tu quodam loco ad quendam scribis) alia via ad aliud genus hominum mihi affectanda esset. Iudicium illud diuinum tuum, quo singulos præfers, singula legis, animaduertis, selegis, appendis, expolis, construis, & exædificas; meum si quod est iudicium, in eam admirationem rapit, vt quicquid hactenus scripsisti, sedulò conquisiuerim, auide perlegerim, inciderim etiam in nonnulla manu scripta, abs tuo ore excepta, in ea videlicet, quæ doctissimè dictaueras in integrũ Gorgiam Platonis. Hunc librum Londini ante triennium nactus sum. Ad hunc modum, cum suauitate præsentis consuetudinis tuæ frui non licuit, ope tamen ingenii tui quãtum potui semper, vti placuit. Et me multos iam annos, ardore amoris erga te mirificè incensum: ecce tibi, quotidianus ferè sermo, quem de te mecum reuerendus pater præceptorque meus M. Bucerus habet, sic nunc inflammat, vt nihil libentius facerẽ, quàm ad te scriberem: præsertim cum intel-

eligam, & ex eo quod de te ipse scripsisti, te eum esse, qui humanitate & beneuolentiâ contentus sis: & ex sermone præterea D. Buceri, te non magis esse Ciceronis excultum eloquentiâ, quã ornatum humanitate, qui hominis nihil potius esse iudicat, quàm respondere in amore his, à quibus prouocêtur. Sed vide audaciam meam, qui in ipso amicitiæ nostræ principio, beneuolentiæ meæ nõ solum significationem ostendere volui, sed fructum & remunerationem quandam repetere statui. Statui enim rogare te, vt aliquid facias, literarum, nominis tui, & vtilitatis etiam meæ causâ, nisi hoc hominis nimium sui amantis esse videretur. Ego ad lectionẽ sacræ scripturæ, in qua potissimùm tabernaculum & vitæ meæ & studiorũ collocare, cum Christi benignitate, statui, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, & M. Ciceronem residuo meo studio adiungere in animo habeo. Nec tamen hoc studendi genere sic mihi vel præcisè placeo, vel ignauè contentus sum, vt medicorum & iurisconsultorũ libros, vel omninò cõtemnam, vel nunquam attingam. Hæ enim artes, & præclaram continent cognitionem, & ad omnem humanæ vitæ vsum ac splendorem plurimum momenti habent. Sed in tanta varietate rectissimorum studiorum, sequatur per me quisq; illud non scitè Attilii poetæ, vt

tæ, vt ait Cicero, durissimi: Suam cuique sponsam, mihi meam. Aristoteles doctrinâ & iudicio cùm cæteros omnes, tum seipse quoque superat, mea quidem opinione, in his libris, quibus dicēdi rationem, pulcherrima doctrina explicauit. Diuinam rationis quidem, naturæ, & morum disciplinam diuino ingenio recōdit in reliquos libros: Hîc nihil non ferè ad popularē consuetudinem, & humanæ vitæ quotidianum vsum promit & exponit. Et quò magis hos libros præ cæteris admiratus sum, tantò plus tribuo Danieli Barbaro, & P. Victorio, qui in eis magna quidem cum diligentiâ elaborauerunt. Scire enim dum, quanquam id percupidè aueo, nō possum, quid sit illis Gregorii Nazianzeni Græcis in hos libros commētariis, quos Erasmus (in *Festina lentè*) testatur se apud Aldum perlegisse. Nam hos esse illud ὑπόμνημα ἀνώνυμον in Gallia impressum non credo. Horum omnium & diligentiam libenter agnosco, & voluntatē vehementer probo. Sed cum ex libris tuis, quos frequenter lectito, & ex multorum sermone, quos sæpè conuenio, clarissimè perspicio, te tanto ingenio & iudicio in his Rhetoricis libris versatum esse, vt quid vel illi de ea re prædicent, vel ipse sentiam, non literis exponere, sed in opinione tua relinquere statuerim. Et hoc est, humanissime Sturmi,

quod tantopere abs te contendam, vt summi artificis præstantissimam artem, excellenti artificio tuo explicatam in lucem proferas. Nunc verò, si esset in me vlla vel persuadendi facultas, vel cogendi vis, eam vniuersam ad te vrgendū, vt hoc perficeres, adhiberem. Neque ego solus, sed innumerabiles alii, hoc abs te contendunt: Quorum postulata cum & literarum summa vtilitate, & nominis tui immensa laude implicata sunt, quantum humanitas tua illis tribuere debet, etiam atq; etiam considera. Vt nouos haurias labores, non requirimus: sed veteres vt fasissimè ad veterem studiorum fructum dimanent, expetimus. Vidimus enim, & legimus magnam partem illorum laborum, quos in istis Rhetoricis libris explicādis suscepisti: quibus tantum ardorem in nobis ad videnda reliqua excitasti, vt is nulla alia re, nisi luce ingenii tui, satiari possit. Age igitur optime Sturmi, & perge rogatu vnius prodesse vniuersis. Et quāquam durior esse vis, quod facilè non credo, quàm vt oratu multorum bonorum commoueare, prudentior tamen es, quod certò quidem scio, quàm vt patiare vnius plagiarii scelere committi, vt vel istis Rhetoricis libris, vel Gorgiæ, vel politicis tuis aut aliud, aut aliter accidat, quàm nunc vereri velis, aut in posterum mederi queas. Quod ipsum, in tāta turba excipien-
tium

tium dictata tua, facile alicuius vel stulti amici imperitiâ, vel sordidi typographi auaritiâ contingere potest: hanc iniuriam sæpe Erasmus, sæpè multi docti viri experti sunt, quæ si ad te solū perueniret, negligere eam non deberes. Cum verò ea omnium & literarum, & tui quoque studiosorum communis esset, diligentior quidem cautio adhibenda est. Et hoc siue rectè monentis consilium, siue verè amantis studium, siue impensè rogantis institutum, ea quęso mente, qua ego scribo, accipias, & ea quoque ratione, qua maxime cupio, expleas. His proximis superioribus annis Aristoteles è Gallia prodiit, Latinâ linguâ loquens, vt omnes existimant, alienâ mente nōnunquam sentiens, vt quidam iudicant. Ioachimi Perionii in coniungendo Cicerone cum Aristotele, & voluntatem multi probant, & ex vtroque infinita loca, siue in congerendo diligentiam, siue in compellendo vim, plures in meliorem partem accipiunt, quam illud nimis proiectum Cephæ Chlononii os, qui in exagitando vtroque Græcæ Latinæque doctrinæ, & principe, & præceptore, vtriusque beneficio, & suo ingenio nimis insolenter abusus est. Quāquam vt ipse quoque existimo, præclaram Aristotelis doctrinam, & minus ornatam videri & magis obscuram esse, quàm vt multorum in eo legendo pos-

ſit vel ſtudia allicere voluptas, vel labores compenſare vtilitas, quia vbiuis ferè docetur, ſine accurata exemplorum appoſitione: qua in re & Latini plurimùm, & Græci ipſi peccãt explicatores. Et tamẽ hoc vitio, claudicare nõ debet Dialecticorum ſchola, cum in tota illa ſubtili differendi ratione, ab Ariſtotele tradita, nullum extet præceptum, cui in Socraticis ſermonibus, Platonis, & Xenophontis ingenio, conſcriptis, non reſpondeat expreſſum exemplum. Hoc tu, eruditiſſime Sturmi & prudenter animaduertis, & frequenter doces, potiſſimùm verò in ea ratione interrogandi, collocandique Dialectica, quam Platonis Gorgiæ præfixiſti. Ad quẽ locum legendum quoties accedo, quod ſæpiſſimè quidem facio, toties eum noua quadam & vtilitate laboris mei, & admiratione ingenii iudiciique tui ſemper abeo. Sed ad hanc dicendi facultatem, quæ tota ad illuſtriorem vſum comparata eſt, nihil magis requiro, quàm ex Demoſthenis, Ciceronis, Thucydidis, Liuii, & horum ſimilimorum oratorum, hiſtoricorumque libris, ſic vbiuis exempla comportari, vt quicquid in virtute ſplendoris & æquitatis, in ſcelere fœditatis & fraudis, in prudentiâ prouidæ oportunitatis, in fortunâ inſperatæ temeritatis, ex omni ſeculorum memoria, colligi obſeruarique poſſit, id ſemper ad rhetorica præcepta, diligen-

diligenti vel appositione exempli adiungatur, vel notatione loci referatur. Et quanquam hic cuiusque literarum cupidi proprius labor esse debet, tamen cum ad id præstantis ingenii animaduersio, delectus, & iudicium adhibetur, noua profectò studiorum, & suauitas ad voluptatem, ex hac artis & imitationis coniunctione efflorescit. Et huic meo, si ita vis, siue errori ex imperitiâ, siue torpori ex desidiâ lubentius quidem indulgeo, quòd plerumque video eos, qui in solitariis artium præceptis adhærescunt, exangues, frigidos, ineptos, sine sensu, sine motu, sine vsu esse: Contrà verò nonnullos qui nulla præceptione instructi, sed sola oratorum & historicorum lectione contenti fuerunt, in aliquo loco constitisse. Neq; hæc eò à me dicuntur, quod aut vagam linguæ iactationem, aut effluentem styli insolentiam vllo modo probem, sed quemadmodum in tradenda vera religione, exempla vitæ, cum præceptis doctrinæ coniungi debeant: sic quidem ad omnem artis cultum, imitationis etiam vsus adhibendus est, vt cursus studiorum, neq; obscuritate inutiliter impeditus, neq; erratione licēter abductus esse videatur. Prætereà, cum dicendi facultas ψυχαγωγία sit, vt docet Socrates; & tota illa nobilis animæ doctrina, hanc artem propinquissima cognatione at-

tingat, plurimi plurimum & huic disciplinæ, & nostræ ætati congratularentur, si Phædonem Platonis, & libros Aristotelis περὶ ψυχῆς luce ingenii tui aliquando illustrares. Et quia video, me iampridē, nimis inconsideratè abusum esse humanitate tua, & omnes verecundiæ fines transisse, libet profectò nunc ipsius Ciceronis consilio vti, & benè nauiterque impudentem esse. Ipse quoq; Demosthenes, multorū infelices conatus hactenus reiiciens, te admodū flagitat. Bis nunc Italia ad nos misit Æschinem & Demosthenem Latinè dicentes, sed nec iis oratoribus, nec ea regione mea opinione satis dignè. Illi etiā Germani duo, quos semper admiror, & vnicè amo, in Demosthene multis non satisfaciunt. At verò cum illum primum circuitum, qui est in principio orationis contra Æschinem, à te in libro de amissa dicendi ratione Latinè versum lego, & cùm diligenter animaduerto, quo tu appendis iudicio, quamnā in vtraq; linguâ, vel singula verba vim, vel sententiæ formam habeant, quid putas me primum, doctissime Sturmi, acclamare ne ὦ παῖδες ἐπίτυχ, Quodnam hoc nouū Veneris caput? An maximopere his literis quidem nunc meis, sed votis iamdiu literatorū publicis à te contēdere, vt, quod reliquum est, in his duorum nobilissimorum orato-

rum

rum contrariis inter se orationibus, perficere ipse velis. Hoc labore, & vtriusque linguæ splendorem mirificè excitabis, & illius Ciceronianæ amissæ versionis desiderium, meo quidem iudicio multum mitigabis. Et huic vniuersæ postulationi meæ, audacter quidē scio susceptæ, ad res tamen, spero, & præclaras cupiendas, & iustas petēdas institutæ, te multum tributurum facilè intelligo. Postremò, videndum tibi est, vt expleas eam expectationem, quā omnibus literarum cupidis commouisti, de illis libris tuis, qui de ratione Latinè loquendi, atq; scribendi, à te scripti sunt. Et hæc de te ac tuis: nūc pauca de nobis ac nostris. De religionis cursu, reipub. statu, literarū & cultu, & fructu apud nos in Anglia, satis loquacem tecum instituerem sermonem, si tantæ res in breues potuerunt includi literas. Sed quæ nunc vnius epistolæ modo terminari non possunt, in multas literas quas Deo volente, frequēter tibi scripturus sum, reseruabo. Ea veræ religionis cura, apud Iosiam nostrum, inprimis, & Cantuariensem, & vniuersum consilium regium excubat, vt in nulla re æquè laboratum sit, quàm vt religionis tum doctrina tum disciplina ex sacrarum literarū fonte purissimè hauriatur, & vt sentina illa Romana, quâ tot humanæ sordes, in Ecclesiā Christi redundarūt, fun-

ditùs obstruatur. Populi cõsensus, & obedientia ad hanc rem summa est. In studiis nostris patrum consilia libenter sequimur, vbi ipsi nõ deflectunt à sacra Scriptura. Augustino plurimum tribuimus, cui, quòd tu Græcos Basilium & Chrysostomum anteponis, non tibi concederem, nisi te valdè amarem. D.M. Bucerus, vir Dei, gloriã Christi strenuè apud nos excitat, cuius habet tãtam & doctrina authoritatem, & vita moderationem, vt ne ipsi quicquam aduersarii conqueri possint. Aduersarii enim nõnulli adhuc apud nos sunt, qui cum à nobis nonnihil discrepent, hominum vires, virtutes, & consensum extra modum & ordinem efferentes, tamen quia complures eorum, sine stomacho & aculeis hoc faciunt & plurimum seipsi cum eruditionis laude, tum probitate vitæ cõmendant, non possumus non amore eos prosequi, omnia referentes ad illius prouidentiã, qui extrema etiã die, nonnullos in vineã suam introducit. Publica res in magna expectatione est. Quis euẽtus hanc pacẽ inter nos & Gallos, per obsides principum filios factam cõsequêtur, ignoramus. Illa quidem vox Ciceronis semper mihi suauis esse videbatur. Nomẽ pacis dulce est & res ipsa salutaris: Bellum autem quid aliud est, quàm illa Sophoclea ἐριννὺς πολύχειρ, πολύπους χαλκόπους, Religionis cur-

sum,

ſum, morum diſciplinam, literarum otium, & omnes ſuauioris felicitatis partes funditùs euertens. Gratulor etiam multum ipſi Galliæ, quam gentem vnicè ſemper amaui, quę meo quidem iudicio, in omni literarum & humanitatis laude, nec ipſi cedit Italiæ. Hanc pacem vtriq; genti bonam, fauſtam, felicem, fortunatamq; fore ſperamus, quoniam Comes Bedfordienſis, D. Pagettus, & Ioannes Maſonus noſtrę partis principes legati, non ſolùm longum rerum vſum, multiplicemque eruditionem, ſed verum etiam Dei timorem, ad hanc fundandam concordiam adferant. Linguæ & artes Cantabrigiæ ab his paſſim hauriuntur authoribus, qui cùm dicendi, tũ intelligendi magiſtri optimi ſemper habiti ſunt: vt nec ratio propter infantiam, nimium obmuteſcere, nec oratio propter inſcitiam, loquaciter inſoleſcere diſcat. Ad vtriuſque linguæ doctrinam perdiſcendam, vtriuſque vrbis non eadem quidem, ſed vna ferè ſola vtimur ætate. In hanc ſtudendi viam plurimi, Ioannis Checi & Thomæ Smithi exemplis, præceptis, ingeniis, conſiliis, prouocati, ingreſſi ſunt. Hi duo, olim huius Academiæ, nunc totius reipublicæ, in ipſo ſplendore aulico, præclara lumina eminent. Qui ſi ad ſcribendum ſeſe dedidiſſent, nec in Sadoleto Italia, nec in Longolio Gallia, iuſtiùs, quàm in iſtis duo-

bus Anglia gloriata fuisset. Hoc perspicuum nobis est, vel ex illo libello, quem de recta Græcè pronunciandi ratione, qua nos Cantabrigiæ vtimur, contra Wintoniensem cõscripserat. Sunt quoq; hîc Cantabrigiæ multi præclari viri, inter quos tamen sic elucet summus amicus meus Gualterus Haddonus, huius Academiæ nunc Procancellarius, vt cum illis superioribus duobus comparandus, non in nostrum numerum aggregandus esse videatur. Quid omnes Oxonienses sequuntur, planè nescio, sed ante aliquot menses, in aula incidi in quendã illius Academiæ, qui nimium præferendo Lucianum, Plutarchum & Herodianũ, Senecam, A. Gellium, & Apuleium, vtramq; linguam in nimis senescentem & effœtam ætaté compingere mihi videbatur. Nobilitas in Anglia nunquam magis erat literata. Illustrissimus Rex noster Eduardus, ingenio, industriâ, cõstantiâ, eruditione, & suam ætatem, & aliorum fidẽ longè superat. Non enim aliorum sermone persuasus, sed ipse sæpenumero præsens (quod in suauissimam meæ felicitatis partem deputo) omnium virtutum chorum in eius animum immigrasse perspexi. Gallia non dubito agnoscet summã doctrinæ laudem in clarissimo Duce Suffolciense, & reliquo illo nobilissimorum iuuenum comitatu qui hactenus, vnà cum rege nostro, in Græ-

in Græcis literis & Latinis educati, hac ipsa die qua hæc ad te scribo in Galliam profecti sunt. Thomæ Mori filiab. innumeræ nunc honoratæ fœminæ, in omni literarũ genere præstant. Inter quas tamen vniuersas veluti sidus quoddam, non tam claritate generis, quàm splendore virtutis & literarum, sic eminet illustrissima Domina mea, D. ELIZABETHA regis nostri soror, vt in tãta eius iustè commendandæ varietate, labor mihi non quærendæ laudis, sed statuendi modi propositus esse videatur. Nihil tamen scribam, cuius ipse præsens testis non fuerim. Me enim præceptore, Græcæ Latinæq; linguæ duos annos vsa est. Nunc verò ego Aulica turba liberatus, & veteris otii mei literarii suauitati restitutus, regiæ Maiestatis beneficentiâ satis honestam conditionem & locum, in hac Academia habeo. Fortunæ naturæque ornamenta, in illustrissimã Dominam meam collocata, hæc ne an illa pluris æstimanda, in comparatione adiudicãdum perquam sunt difficilia. Aristotelica laus in eam tota transfusa est. Nam κάλλος in illa μέγεθος, σωφροσύνη καὶ φιλοεργία omnia summa. Ex anno 16 nonnihil excessit, tanta in hac & ætate grauitas, & celsitate comitas inaudita est. Acerrimum veræ religionis & optimarum literarum studium. Ingenium sine muliebri mollitia, labor cum

bus Anglia gloriata fuisset. Hoc perspicuum nobis est, vel ex illo libello, quem de recta Græcè pronunciandi ratione, qua nos Cantabrigiæ vtimur, contra Wintoniensem cõscripserat. Sunt quoq; hîc Cantabrigiæ multi præclari viri, inter quos tamen sic elucet summus amicus meus Gualterus Haddonus, huius Academiæ nunc Procancellarius, vt cum illis superioribus duobus comparandus, non in nostrum numerum aggregandus esse videatur. Quid omnes Oxonienses sequuntur, planè nescio, sed ante aliquot menses, in aula incidi in quendã illius Academiæ, qui nimium præferendo Lucianum, Plutarchum & Herodianũ, Senecam, A. Gellium, & Apuleium, vtramq; linguam in nimis senescentem & effœtam ætatẽ compingere mihi videbatur. Nobilitas in Anglia nunquam magis erat literata. Illustrissimus Rex noster Eduardus, ingenio, industriâ, cõstantiâ, eruditione, & suam ætatem, & aliorum fidẽ longè superat. Non enim aliorum sermone persuasus, sed ipse sæpenumero præsens (quod in suauissimam meæ felicitatis partem deputo) omnium virtutum chorum in eius animum immigrasse perspexi. Gallia non dubito agnoscet summã doctrinæ laudem in clarissimo Duce Suffolciense, & reliquo illo nobilissimorum iuuenum comitatu qui hactenus, vnà cum rege nostro, in Græ-

in Græcis literis & Latinis educati, hac ipsa die qua hæc ad te scribo in Galliam profecti sunt. Thomæ Mori filiab. innumeræ nunc honoratæ fœminæ, in omni literarũ genere præstant. Inter quas tamen vniuersas veluti sidus quoddam, non tam claritate generis, quàm splendore virtutis & literarum, sic eminet illustrissima Domina mea, D. ELIZABETHA regis nostri soror, vt in tãta eius iustè commendandæ varietate, labor mihi non quærendæ laudis, sed statuendi modi propositus esse videatur. Nihil tamen scribam, cuius ipse præsens testis non fuerim. Me enim præceptore, Græcæ Latinæq; linguæ duos annos vsa est. Nunc verò ego Aulica turba liberatus, & veteris otii mei literarii suauitati restitutus, regiæ Maiestatis beneficentiâ satis honestum conditionem & locum, in hac Academia habeo. Fortunæ naturæque ornamenta, in illustrissimã Dominam meam collocata, hæc ne an illa pluris æstimanda, in comparatione adiudicãdum perquam sunt difficilia. Aristotelica laus in eam tota transfusa est. Nam κάλλος in illa μέγεθος, σωφροσύνη καὶ φιλοπονία omnia summa. Ex anno 16 nonnihil excessit, tanta in hac & ætate grauitas, & celsitate comitas inaudita est. Acerrimum veræ religionis & optimarum literarum studium. Ingenium sine muliebri mollitia, labor cum

virili constantia, memoria, qua nihil vel citiùs percipit, vel diutiùs retinet. Gallicè, Italiceque, æquè ac Anglicè loquitur, Latinè, expeditè, propriè, consideratè; Græcè etiam mediocriter mecum frequenter libenterque collocuta est. Si quid Græcè Latinève scribat, manu eius nihil pulchrius. Musicæ vt peritissima, sic ea non admodũ delectata. In quauis adhibenda mundiria φιλόκαλος μᾶλλον ἢ καλλωπιστής, aurũ χρυσύλλυς καὶ κορύμβους sic semper aspernata, vt non Phædram, sed Hippolytem omni vitæ ratione referre videatur. Perlegit mecũ, integrũ ferè Ciceronẽ, magnã partem T. Liuii. Ex his enim propemodum solis duobus authoribus Latinam linguam hausit. Exordium diei, semper nouo testamẽto Græcè tribuit, deinde selectas Isocratis orationes, & Sophoclis tragœdias legebat. Hinc namque illius & linguam purissima dictione, mentem aptissima præceptione, & reliquã eius excelsæ vitæ conditionẽ, ad omnem fortunæ vim rectè instruendam esse existimaui. Ad religionis institutionẽ, post fontes scripturarum D. Cyprianum, locos cõmunes P. Melancthonis, & alios huius generis similimos, ex quibus pura doctrina cũ elegante sermone libari potuerit adiunxit. In omni oratione, si quod inuitum verbum, aut curiosiùs accersitum fuerit, facilè animad-

animaduertit. Ineptos illos Erasmi imitatores qui Latinam linguam in miseras prouerbiorum compedes illigant, ferre non potest: Orationem ex re natam, proprietate castam, perspicuitate illustrẽ, libenter probat. Verecundas translationes, & contrariorum collationes aptè commissas, & feliciter confligentes, vnicè admiratur. Quarum rerum diligenti animaduersione aures eius tritæ, adeò teretes factæ sunt, & iudicium tam intelligens, vt nihil in Græca, Latina, & Anglica oratione vel solutum & peruagatum, vel clausum & terminatum, vel numeris aut nimis effusum, aut ritè temperatum occurrat, quod non illa inter legendum ita religiose attendit, vt id statim vel magno reiiciat cum fastidio, vel summa excipiat cum voluptate. Nihil fingo, mi Sturmi, nec opus est, sed adumbrare tantùm volui tibi speciem eius excellentis ingenii & studii, in cuius rei veluti forma, dum mens mea tota defixa est, hanc illustrissimæ Dominæ meæ memoriam, mihi quidem charissimam, ad te scribendo libenter suauiterque vsurpaui. Ad hanc nobilissimam principem, si tu aliquid scripseris, doctissime Sturmi, illud & grato animo acceptura, & magno iudicio perlectura est. Sed vereor ne ipse iucunda vel recordandi illius, vel scribendi ad te suauitate delectatus, extra modum epistolæ prolixitate prodierim.

Et de literarum apud nos ratione plura alio tempore. Rumor hîc sparsus est, te venturum in Angliam: siue hoc verum sit, siue totum ex eo ortum desiderio, quo plurimi te hîc videndi tenentur, non intelligo. Mihi nihil frequentius in votis. Intereà dum ego aduentum tuum gratissima spe expectem, desiderium quæso meum absentis tui suauissimis literis tuis sic lenias, vt saltem intelligam te meas recepisse. Amorem meum, quem tibi maximè absenti debeo, eum intereà vniuersum ad præsentem patrem Bucerum defero. His literis inclusum dono tibi mitto argenteum nummum C. Cæsaris. In sequentibus Cæsaribus additi sunt semper loquaciores tituli, quod sæpè animaduerti in omnium ferè Cæsarũ nummis, aut aureis, aut argenteis, vsque ad Gotticam illam Barbariem. Hic ex vna parte tantùm, Cæsaris nomen inscribitur. His priscæ antiquitatis reliquiis, quia plurimum ipse capior, hunc nummum tibi mittere volui, plures deinceps missurus, si te hoc antiquæ & beneuolentiæ meæ, & temporum vetustatis monumento delectatum esse cognouero. Vale in Christo Iesu. Cantabr. è Collegio D. Ioan. Euangelistæ, quarto Aprilis. 1550.

ORNA-

ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO, ROGERO ASCHAMO Cantabrigiensi, amico inprimis obseruando: Ioannes Sturmius.

S. P. Vide, mi Aschame, quid epistola tua effecerit. In libello meo, quem de oratorum conuersionibus confeci: προσεφώνησα τῇ Ἐλιζαβήτῃ τῇ ὑμετέρᾳ: vt quoniam oratorum artificiosissimam & pretiosissimam telam potest retexere: iudicet etiam de hoc opusculo: quod leui & denso filo lucubratum est. Opinor enim Penelopes Homericæ telam rectè cum poëtarum versib. & oratorũ comprehensionibus posse comparari. Quorum vtraq; non solùm componi debent, sed etiam dissolui atq; immutari & dissui, quoties emendari posse videantur: ac certè in ætate iuuenili, & sexu fœmineo præsertim puellari, quæ potest esse honestior occupatio? Quæ exercitatio liberalior? Quæ consuetudo suauior? quàm styli, & compositionis, & orationis puræ, ornatæ, perfectę, consummatæ? ad quam enitimur atq; contendimus. Quia vir literatus es, & bonus & dignus glorioso illo cognomento, hoc est, quia Euangelicus: quæ omnia nõ apparent solùm, sed elucent etiam in epistola tua: nihil puto affictum in tuis literis esse virtuti & laudibus puellæ principis atque Regiæ stir-

pis. Sed quid in nostris temporibus magis optabile accidere mortalibus potest: quàm ex principum virorum familiis, & ex nobilitate vtriusq; sexus oriri ingenia quibus literarum studia placeant; qui eas colant: qui condiscant, qui & earum & rerum & artium doctrinam consequantur? Ergo beatiores hoc genere bonorum Angli, quàm Germani: apud quos in nobilibus paucissimi sunt, qui ad suum ordinem literarum putãt insignia pertinere. Cùm istic plerique omnes nobiles vel enitantur, vt literati sint: vel si serò id intellexerint: tamen ad se nunc spectare suosque arbitrentur. Quamobrem spes iam data est, quòd laudem, quam anteà sibi arrogauit semper Italia: & pòst Italiæ Gallia atque Germania æmulæ vindicare conatæ sunt, eam sibi deinceps Anglia cumulatissimè queat assumere. Et quale domicilium quondam Athenis & Romæ; de quibus duabus ciuitatibus scribis: dicendi & sapiendi magistri habuerunt: tale iisdem nunc sit in Anglia constitutum. Vt vester populus, quorum virtutes imitatur: eorum etiam comparet decus & gloriam. Sed vt ad te, mi Aschame, veniam, nescio tibi ne magis gratulari debeam: cui Deus talem dederit discipulam; aut Elizabethæ Principi; cui talem magistrum atque artificem: certè vtrique & gratulor & gaudeo: & se-

& felix illud biennium iudico: quo tu docuisti, & illa didicit. Nunc etiam tibi ob istud otium tuum lætor: quod Eduardus Rex tibi & concessit benignè, & liberaliter est largitus; requirunt enim nostrorum studiorum rationes otia negotiosa: & negotia otiosa: nam in laboribus otiari, & in otio laborare vulgo videmur. Cæteri enim homines cum venantur; cum piscantur; cum fabricant; occupari creduntur laboribus. Literati cum scribunt, legunt, cõmentantur, pro otiosis habentur: cum tamen vitam ingenii laboribus anxiam atque sollicitam agitent; non periculorum metu, aut laborum vexationibus; sed susceptione atque cogitatione rerum maximarum & immortalium. Sed quia otium tibi summum datum est; eius etiam ad me fructus iucundissimus atque vberrimus perueniet: promittis enim mihi in tua epistola multas & frequentes literas; quas auidissimè expecto; cùm propter amorem erga me tuum: quem ex literis tuis perspexi; tũ præcipuè propter doctrinam & artes duas; in quibus ego annis iam multis etiã versor: vnam disserendi, alteram dicendi. Vtrique enim & Dialectici & Rhetorici esse volumus; sed tu es: ego verò vt sim, nitor & elaboro; & profectò absq; eloquentiæ ope obscura & sordida est dialecticorũ professio; & hæc ipsa elo-

quentia absque differendi doctrina inflata tumet, & errabunda vagatur: nihilque via & ratione: nihil artificiosè efficit. Itaque idem tuum & meum est iudicium, idem volumus, idem sequimur, idem consectamur: omnibus etiam idem studium suscipiendum est, qui in literis viuere, & ex literis laudem assequi concupiscunt. Verùm vt ad epistolam tuam reuertar: fuit illa mihi iucundissima, tum ob significationem tuæ erga me beneuolentiæ, tum quia multa nunciat de Regno vestro, quod semper nobilissimum & munitissimū multis ætatibus habitum est: de Rege, de quo præclara & certa est prudentiæ, clementiæ, religionis spes concepta: de Guilielmo Pagetto: cuius ego probitatem & moderationem consiliorum & humanitatem Caleti ante annos quinq; cognoui: de Checo & Smitho, qui nobis à multis sunt prædicati; de Ioanne Masono, quem Montius noster magna beneuolentia complectitur, & laudat mihi sæpenumero: quoties ego Pagetti memini: de Haddono Procancellario vestro, quem tu cum superioribus componis: de nobilitate vestra: & de iis, qui in Galliam cum tribus vestris legatis profecti sunt: postremò de Domina Elizabetha, qui locus quò fuit prolixior quàm reliqui, eò ego longiora legendo requirebam. Hæc, inquam, omnia

fuerunt

fuerunt iucundissima: verùm vbi mihi tantum tribuis, quantum ego minimè possum agnoscere, ibi pudorem, vt Horatii vtar verbis, mihi incussisti, proptereà quòd præstare non possum doctrinam & iudicium, ita vt tu mihi ascripsisti. Vbi verò petis, vt Phædonem Platonis, vt Aristotelis libros de anima, & vt eiusdem Rhetoricos libros Latinè interpreter & explanem: item vt Demosthenis & Æschinis aduersarias inter se orationes conuertam: vt promissos à me de Latina loquendi & dicendi ratione libros diuulgē, non tam laborem fugio, qui suscipiendus esset, quàm in suscipiendo audaciam, & diuulgando temeritatis atque arrogantiæ suspicionem, quæ me superiore anno ingressum in hoc curriculum quasi reuocauit. Statui enim Aristotelis Rhetoricos libros perpetuis explicare differentium sermonibus: quorum aliquam partē Librario dederam, sed mutaui sententiam: primùm, propter eam quam proposui caussam: deinde, quia alia quædam intercedebant, quæ me ab instituto sunt dehortata. Veruntamen cogito hac hyeme resumere eos, & perficere quod est inchoatum, si vitam Deus & potestatem concesserit. Æschinis & Demosthenis orationes, meis interpretor auditoribus, sed ita, vt magis in explicandis illis, quàm conuertendis sim occupatus. Satis enim mihi est,

si sententiam explicem, & verborum vim atque potestatem: reliquum quod laboris est; id in arte demonstranda consumitur. vt inuentionem intelligant, vt diuisiones, vt partitiones considerent, vt collocationem: vt argumentandi modos; vt conclusionum formas; vt ornamenta sententiarum; vt quæstionum infinitarum exornationes; vt finitarum expeditiones, vt in vtrisque amplificationes: vt in omnibus conuersionum genera; vt principiorum & mediorum & clausularum connexiones & numeros. Duplici hoc labore meo hyemali contenti esse debetis; & tu, mi optatissime Aschame, qui petis; & Bucerus qui tibi cohortator fuisse videtur; de Phædone & Aristotelis De anima libris aliâs, cùm erit otium; si vita suppetat, & si potero; non enim si in Gorgia quædam obseruaui, quæ ad dialecticorum pertineant officinam: idcirco etiam in Phædone aliquid elaborare possum; quod perpetuam orationem habeat, & quod literatorũ hominum aures animosque non offendat; neq; si Rhetorica intelligo; & fortassis prodere in lucem aliquo modo possum; idcirco grauissimam illam disputationẽ de vita, de morte, de animorum immortalitate, de bonorum virorũ vitali obitu; de clarissimorum hominum sempiternis præmiis: de æternitate rerum potero disserendo atq; scribẽdo

susti-

sustinere. Quod tamen libros de Latino sermone requiris: in eo me percelluisti; promisi enim eos ante annos aliquot: sed fateor planè, etiam si ingenio possem; tamen non possum facultatibus; vt ex me sæpè Bucerus audiuit. Quantum enim est? eiusmodi opus elucubrare; ex quo breui eã facultatẽ consequare; post præceptionum perceptionem; vt quodcunque cogitatione complectaris, id etiam oratione possis Latinâ exprimere; non solùm vt pura ea sit, sed vt elegans, vt ornata, vt decora; & exempla in promptu habeas quæ res quibus sint & verborum & sententiarum ornamentis expoliendæ. Eaque omnia non solùm congesta, sed etiam distincta locis disposita habeas. Tale opus cum cogitatione inchoatum, cõmentatione demonstratum atque perceptum habeam; tamen facultatibus imperfectum cum aliis iacêre patior; dum compellar: tametsi satis me gymnasiũ nostrum compellet: tamen quia cõpellit, non cogit; satis me hominibus facturũ puto; si in reliquis officiis non sim desidiosus. Iam quod de Augustino scribis, laudo iudiciũ tuũ: & tuarũ literarũ in eo loco humanitate & amore delector; etiã ego sanè huic Theologo præ cæteris plurimũ tribuo: ꝓpter doctrinã: docet.n. omnia: cõcludit acutè: refutat argutè; nihil nec in ꝓponẽdo, nec diuidẽdo, nec argumẽ-

tando, nec expediendo peccans. Sed ego cum meos ad orationis cultum adhortor, non solùm rerũ considero doctrinam; sed eorum etiam ornatũ atq; tractationem; vt illos dicendo superiores putem, sed Augustinũ doctrinâ; veruntamen illos etiam eruditos & literatos, itaque principio anteponendos. Etenim diligenter etiam atq; etiã in sermone Latino aut Græco tradendo cauendum est; ne scriptores dicendo inferiores, propter rerum tractationẽ: Ciceroni, & Demostheni, cæterisq; melioribus scriptoribus anteponantur. Omnib. enim scientiæ sapientiæq; nomen gratum & dulce est: res verò ipsa non solùm optata, sed etiã salutaris. Nam nec scribere quisquam aliquid potest, nec loqui, aut dicere, quod sit præclarum, qui artes & disciplinas, & qui rerũ cognitionem nullã comparauit. Ergo qui hoc iudicio præditus est, & hac inopi facultate nititur, eum nec in eloquentiũ, nec disertorũ, nec Latinorum siue oratorũ, siue scriptorum, siue artificũ numero habendum puto: & cuius inflata verbis tantũmodo oratio est non solùm authorẽ ineptum, sed etiam hominem stolidum existimo. Quamobrem, siue Longolius, siue Sadoletus, siue Bembus, siue Naugerius, siue alius quisquã vel Italus, vel Gallus, vel Germanus verba eorumq; ornatum captauit, res neglexit,

quod

quod tamen hi minimè fecerunt; sed si quis esset, eum laudandū non censeo. Nam quid ego de Budæo excellenti doctrina viro dicā? quē tametsi amemus atq; defendamus, tamen sunt nonnulli, quibus ille in aliquibus libris magis verborū, quàm rerū sectator esse videatur. Non igitur in optimis, sed in deterioribus siue scriptoribus siue oratoribus ponendum puto: qui verbis, non rebus ornatū orationis constare credit. Sed hoc in primis considerandum est, omnibus ne temporibus quiduis legere liceat; an sit in temporibus, & ætatibus, & facultatibus aliqua distinctio. Homerū Græci suis adolescentibus ediscendum proposuerunt, poterat illud fieri absq; incommodo, propterea quòd vnà cum materno quasi lacte imbibissent patriū pueri sermonem. Romani Grammatici etiā Virgilium suis scholis explicabant, nihil periculi erat ob eandem caussam. Iidem Romani de principio Homerū interpretabantur, nihil fuit incōmodi in lingua aliena, Latinè omnibus tū loquentibus Romæ ciuibus, & idē Græci facere poterant, si hic iis placuisset sermo. Sed quas vtilitates ad linguę informationē atq; puritatē puer accipiet, ex Catonis distichis, ex Aquinate; Gersone; Cocca? Paucos nominaui, ex his quamplurimi possunt alii eiusdem gregis considerari, non quòd vi-

tuperem, sed quòd ad id quod volumus, non sint idonei. Sed addamus etiam his barbaram turbam grammaticorũ, dialecticorum, medicorum, theologorum, philosophorum, quibus sordida puris, vtilia spinosis fuerunt potiora. Quorum pars se adhuc magna tuetur in Sophistarũ nostri seculi collegiis, quæ de sua adhuc barbarie tãquã de Palladio aliquo atrociter pugnat. O gregem venustum! ô religiosam conspirationem! in qua vinci gloriosum est, turpissimũ vincere. Quis status literarũ, quis religionis esse possit in hac sermonis & linguæ & orationis fœditate? Quis enim non aspernetur in iis si videat oris sonitũ; verborum deformitatem: sententiarum sordes; opinionum ineptias; animorum pertinaciam; consuetudinem illiberalem; mores peregrinos? qui barbariẽ liberalitati imposuerunt; qui artes & disciplinas corruperũt; qui historias fœdarunt; religionem & cæremonias, non solùm orationis putido genere; sed etiã imperitis opinionibus; remotis ab omni consensu doctrinæ & obscurârunt altercando; & defendendo inquinârunt. Hinc proponendi pueris, & horum scriptis imbuendæ mentes adolescentũ; vt pro puris fœda: pro Latinis Barbara; pro perspicuis obscura; pro cõpositis dissoluta in ciuitatibus audiantur? Quod igitur iudicium

dicium facimus in malis; cur idem non retinebimus etiam in minus perfectis minusq; consummatis? At rerum studium verborum semper præstantius habitum est. Est planè eloquẽtis officium; rerum primùm, pòst verborum curam suscipere. Vitiosum enim est: dicere quod aut inane sit aut stultum. Verũtamen quoniam ab oratore non modò sapientia, verùm etiã verborum ornatus requiritur, separemus ista duo, quæ naturâ cæteroquin coniuncta hærent. Sapientia iubet quærere quid dicas; vt verum; vt probabile; vt certum: vt acutũ; vt disciplinabile; vt conclusione perfectum. Quid ornatus? vt significans, vt sonans, vt plenum, vt concinnum, vt ornatum, vt illustre. Sed si sapientia iubeat, vt ornatus rationem non habeam; puritate contentus sim; reliquum ornatum non affectem; liberari me patiar magnis laboribus, summis curis, diuturnis vigiliis. Si verò etiam vt puritatem negligam, certè isti sapientiæ, quamuis prouida sit, non obtemperabo. Sed si respondeat; magnum esse, præditũ esse doctrinâ, sed præclarum, ad eandem, dicendi rationem & eloquentiam adiungere: & vtrumq; ab optimis potiùs, quàm inferioris ordinis authoribus condiscere; optimeque labores consummatissimis cõsumi; tum ego sapientiæ consilium tãquam oraculum diuinitùs datũ sequar. Et igitur ego autho-

res pueris explicari principio volo: & eos in exercendi consuetudine primos legi: qui ad doctrinam adiunxerunt eloquentiam: non qui doctrinâ contenti: eloquentiã vel contemserunt, vel ad eam non potuerunt aspirare. Et quò magis propè aliquis ad perfectionem accedet: eò plus eum tẽpore ordinéque antecedere placet: & in exemplis anteferri. Hec me causa mouit: quamobrem Augustino Chrysostomũ anteposui: non quod Augustinus nõ sapientior, aut non disertus: sed quia minus disertus, quàm Chrysostomus: & is tamen eruditus atq; doctus. Chrysostomo primum temporis & linguæ, non doctrinæ & ingenii locum tribui: cum tamẽ huic ipsi Chrysostomo multos alios anteponam. In dicendi enim studio nõ solum barbaros omninò fugere: sed ante bonos etiam meliores semper oportet pręcedere: Sed fortassis parum candori tuo confidere videbor, qui hæc tam sollicitè excusem: veruntamen, quoniam permagni referre puto: quo vnaquæque ordine legantur: visum fuit etiam hîc meam tibi exponere sentẽtiam, à qua te etiam non arbitror esse alienum. Feci etiam eò libentiùs, quod tu dulce nomen pacis esse dicis in tuis literis, & rẽ ipsam salutarem: scio quo in loco Cicero idem dicit: & iisdem verbis sentit: cuius loci formam hîc conatus sum exprimere, vt tecum ludam ῥητορικῶς.

Et nisi caueas, non hinc procul sumpto exemplo rursum ludam: si prius de Domina Elizabetha quod volo, & quemadmodũ volo, repetã. Non enim obliuisci possum, quod ad tantarum rerum, de quibus scribis, disciplinam: etiam dicendi artẽ coniungat, eamque exercitationẽ colat, quæ cùm maximè hunc sexum deceat, tamẽ à plerisque omnibus aspernata iacet. Sed rectè secum cogitat: si enim corporis forma in virginibns puellis iucunda est, cur non orationis verecundæ, pudicæ, puræ, pulchra? Deinde cæteræ virginum exercitationes, nere, texere, acu pingere: communes sunt nobilitatis & obscuræ stirpis. Sæpéque ignobiles mulieres, nobilibus artificiosiùs laborare videmus, orationis autem elegãtiam, in nobilitatis velle domiciliis habitare, & præclaris familiis: & vt vestitu atque ornamentis, sic etiam sermonis suauitate nobiles ab obscuris differre. Præterea hæc ipsa, quæ sunt nobilium fœminarum pretiosæ vestes, gemmæ, annuli & ornatus reliquus, fortunæ esse tantùm, & in deterioribus naturis sæpè affluere; at oris elegantiam & vocis formam, non posse ab animi pulchritudine segregari: atq; id signum esse excellẽtis ingenii, nobilisque naturæ: ac diuitiarum insignia & ornatus, domi solùm illustria sunt: vox verò artificiosa posteaquàm semel audita est: sæpè ad-

res pueris explicari principio volo: & eos in exercendi conſuetudine primos legi: qui ad doctrinam adiunxerunt eloquentiam: non qui doctrinâ contenti: eloquentiā vel contemſerunt, vel ad eam non potuerunt aſpirare. Et quò magis propè aliquis ad perfectionem accedet: eò plus eum tēpore ordinēque antecedere placet: & in exemplis anteferri. Hæc me cauſa mouit: quamobrem Auguſtino Chryſoſtomū antepoſui: non quòd Auguſtinus nō ſapientior, aut non diſertus: ſed quia minus diſertus, quàm Chryſoſtomus: & is tamen eruditus atq; doctus. Chryſoſtomo primum temporis & linguæ, non doctrinæ & ingenii locum tribui: cum tamē huic ipſi Chryſoſtomo multos alios anteponam. In dicendi enim ſtudio nō ſolum barbaros omninò fugere: ſed ante bonos etiam meliores ſemper oportet præcedere: Sed fortaſſis parum candori tuo confidere videbor, qui hæc tam ſollicitè excuſem: veruntamen, quoniam permagni referre puto: quo vnaquæque ordine legantur: viſum fuit etiam hîc meam tibi exponere ſentētiam, à qua te etiam non arbitror eſſe alienum. Feci etiam eò libentiùs, quod tu dulce nomen pacis eſſe dicis in tuis literis, & rē ipſam ſalutarem: ſcio quo in loco Cicero idem dicit: & iiſdem verbis ſentit: cuius loci formam hîc conatus ſum exprimere, vt tecum ludam ἐντεχνῶς.

Et

Et nisi caueas, non hinc procul sumpto exemplo rursum ludam: si prius de Domina Elizabetha quod volo, & quemadmodũ volo, repetã. Non enim obliuisci possum, quod ad tantarum rerum, de quibus scribis, disciplinam: etiam dicendi artẽ coniungat, eamque exercitationẽ colat, quæ cùm maximè hunc sexum deceat, tamẽ à plerisque omnibus aspernata iacet. Sed rectè secum cogitat: si enim corporis forma in virginibns puellis iucunda est, cur non orationis verecundæ, pudicæ, puræ, pulchra? Deinde cæteræ virginum exercitationes, nere, texere, acu pingere: communes sunt nobilitatis & obscuræ stirpis. Sæpéque ignobiles mulieres, nobilibus artificiosiùs laborare videmus, orationis autem elegãtiam, in nobilitatis velle domiciliis habitare, & præclaris familiis: & vt vestitu atque ornamentis, sic etiam sermonis suauitate nobiles ab obscuris differre. Prætereà hæc ipsa, quæ sunt nobilium fœminarum pretiosæ vestes, gemmæ, annuli & ornatus reliquus, fortunæ esse tantùm, & in deterioribus naturis sæpè affluere; at oris elegantiam & vocis formam, non posse ab animi pulchritudine segregari: atq; id signum esse excellẽtis ingenii, nobilisque naturæ: ac diuitiarum insignia & ornatus, domi solùm illustria sunt: vox verò artificiosa posteaquàm semel audita est: sæpè ad-

exteras gentes atque nationes volitat: illisque est admirabilis. Quò magis ego Dominę Elizabethæ industriam probo: quæ efficiet, vt puellarum virginum & fœminarum nobilitas, non solum generis antiquitate: sed etiam doctrinæ & sermonis elegantiâ sit æstimanda. Ergo huic ego conuenienter libellum misi. Ineptum enim est, in diuulgandis libris, eos appellare, qui ignari sunt eorum quæ traduntur: aut qui eadem nō maximoperè amāt. Et quoniam pro se liber loqui non potest: est enim indisertus: tu ei deprecator sis, quoties peccabit: & vbi nō peccat, cōmendator: & in vtroq; patronus: præsertim propter Eduardum Regem, cui etiam exemplum mitto; vt tripartito defendatur patrocinio: primùm tuo ad Dominam Elizabetham; deinde huius ad fratrem suum Eduardum Regem: qui si sua authoritate patronus summus esse velit; quis meo libello beatior? Quantum ad me attinet, maximoperè vellē Angliæ placere; amo enim gentem hanc propter religionem; propter famam talis ac tanti Regis; idque in hac ætate; atque vtinam, quam religionem Rex, primis annis didicit: & consilium eius concordibus sententiis constituit: eam possit & tueri & defendere & stabilire; vt non oppugnetur. Quanquam id ad Deum eiusque prouidentiam & numen pertineat;

sed

ſed id quidem reliquum eſt, vt quod inſtitui abſq; perturbatione aliqua non potuit; neque ſine metu periculorũ retineri poteſt, id eccleſiaſticarum pecuniarum diſpẽſatione; & morum diſciplinâ; & Religionis doctrinã & iudiciorum ſanctitate; & ordinum confirmatione atque dignitate corrigatur atq; ornetur. Sed minus iam timoris eſt: in hac conſilii conſtantia; quod de Religione decreuit, quod eam inſtituit, quod edictis ſtabiliuit. Vt autem idem permaneat, dum Regnum atq; Religio requirit & vt rex nulla frãgatur temporum intemperie, id ſummis votis à Deo patre omnium mortaliũ, & Christo omnium hominum Seruatore precandũ eſt, in quo negotio & qui in conſilio Regio verſantur, laudandi ſunt, & Rex arrigendus ad conſtantiã altitudinemque animi; vt neq; conſiliũ ſui decreti pœniteat; neq; Regem tædeat periculorum quæ impendêre videntur. Tribuenda igitur non ſolùm pietatis & religionis, & literarũ laus eſt iis, qui authores fuerũt præclarę emendationis, ſed etiã fortitudinis: qui non extimuerunt ea pericula, quæ propter prudentiã ventura prouidebant, propter religionẽ contẽnebant. O ſanctã curiã, quæ honeſtatem atq; religionẽ, vtilitatibus & vitæ otio anteposuit! Nati in hoc homines vidẽtur, vt Angliæ nomẽ renouẽt, vt in hoc Regno an-

exteras gentes atque nationes volitat: illisque est admirabilis. Quò magis ego Dominę Elizabethæ industriam probo: quæ efficiet, vt puellarum virginum & fœminarum nobilitas, non solum generis antiquitate: sed etiam doctrinæ & sermonis elegantiâ sit æstimanda. Ergo huic ego conuenienter libellum misi. Ineptum enim est, in diuulgandis libris, eos appellare, qui ignari sunt eorum quæ traduntur: aut qui eadem nō maximoperè amāt. Et quoniam pro se liber loqui non potest: est enim indisertus: tu ei deprecator sis, quoties peccabit: & vbi nō peccat, cōmendator: & in vtroq; patronus: præsertim propter Eduardum Regem, cui etiam exemplum in tto; vt tripartito defendatur patrocinio: primùm tuo ad Dominam Elizabetham; deinde huius ad fratrem suum Eduardum Regem: qui si sua authoritate patronus summus esse velit; quis meo libello beatior? Quantum ad me attinet, maximoperè vellē Angliæ placere; amo enim gentem hanc propter religionem; propter famam talis ac tanti Regis; idque in hac ætate; atque vtinam, quam religionem Rex, primis annis didicit: & consilium eius concordibus sententiis constituit: eam possit & tueri & defendere & stabilire; vt non oppugnetur. Quanquam id ad Deum eiusque prouidentiam & numen pertineat;

sed

ſed id quidem reliquum eſt, vt quod inſtitui abſq; perturbatione aliqua non potuit; neque ſine metu periculorũ retineri poteſt, id eccleſiaſticarum pecuniarum diſpẽſatione; & morum diſciplinâ; & Religionis doctrinã & iudiciorum ſanctitate; & ordinum confirmatione atque dignitate corrigatur atq; ornetur. Sed minus iam timoris eſt: in hac conſilii conſtantia; quod de Religione decreuit, quod eam inſtituit, quod edictis ſtabiliuit. Vt autem idem permaneat, dum Regnum atq; Religio requirit & vt rex nulla frãgatur temporum intemperie, id ſummis votis à Deo patre omnium mortaliũ, & Chriſto omnium hominum Seruatore precandũ eſt, in quo negotio & qui in conſilio Regio verſantur, laudandi ſunt, & Rex erigendus ad conſtantiã altitudinemque animi; vt neq; conſiliũ ſui decreti pœniteat; neq; Regem tædeat periculorum quæ impendêre videntur. Tribuenda igitur non ſolùm pietatis & religionis, & literarũ laus eſt iis, qui authores fuerũt præclarę emendationis, ſed etiã fortitudinis: qui non extimuerunt ea pericula, quæ propter prudentiã ventura prouidebant, propter religionẽ contẽnebant. O ſanctã curiã, quæ honeſtatem atq; religionẽ, vtilitatibus & vitæ otio antepoſuit! Nati in hoc homines vidẽtur, vt Angliæ nomẽ renouẽt, vt in hoc Regno an-

gularis Ecclesiæ lapis locum suum rursus occupet, & refugium. sit non solùm nunc recipiendis atque defendendis: sed breui etiam emittendis atque ornandis angelis & nunciis otii literarum, religionis, dignitatis in Republica Christiana. In impietate enim status Rerumpublicarum instabilis: in religione firmus solet sperari. Etenim nulla cõuersio regnorũ, nisi post Religionis contemptũ atque fœdationem est metuẽda. Illorũ igitur incerta Respublica est, qui in turpitudine vitæ etiam religionis atque doctrinæ puritatẽ & sanctimoniam formidant. Qui verò hæc suscipiunt & colunt & defendunt: hi cũ nullo alio statu commutare Rempublicam possunt, nisi cũ diuino & cælesti, in quo perpetua sit & sempiterna felicitas. Nã huius vitæ non solùm Reges & principes & magistratus caduci & breuis æui sunt, sed ipsæ etiam vrbes, & Respublicæ atque Regna breui momento & florentia claraq; : & collapsa dirutáque conspicantur. Hæc æternitatis felicitas bonorũ virorum in omnibus ordinibus finis: in hac eorum præmia constituta sunt: quę nisi essent, quis sapiens in maximis laboribus, & summis periculis, velit pro patria sese deuouere: & pro religione mortem oppetere? Quamobrem sapienter consuluerunt prudentissimi viri: quòd id, sine quo Respublica nulla

stabi-

ſtabilis eſſe poteſt, patriæ recuperârunt: vt quod poſteris ſuis optare debuiſſent: id ipſi ſuo periculo conſtituerunt. Et ſuam ipſi religionem atque pietatem patriæ cum periculo præſtare maluerunt: quàm eam poſteris abſque periculo committere. Hæc laus quouis triumpho præclarior eſt: quæ non cæde hoſtium comparata eſt: ſed pietate atq; religione nititur: quæ non hoſtium ſanguinem: ſed ciuium ſuorum ſanctimoniam requiſiuit: quæ non nouas res affectauit: ſed amiſſas reſtituit. Poſtquam enim decretum de Religione fuit: pax cũ Galliarum Regno conſtituta eſt: morum & vitæ leges promulgatæ ſunt: emendata literatorum hominum Gymnaſia: apparuit rurſus veritatis lux, & Euangelii lumen. Itaque de his bonorum virorũ ſermones nuſquam ſilebunt, dum homines erunt, quibus chara religio eſt, & iucunda fortium virorum memoria. Quanquam huius facinoris vel potius ſapientiæ laus: etiam multò maxima ex parte ad Sereniſſimum Regem Eduardum pertinet: in quo niſi Senatus animaduertiſſet ſimul cum ætate & prudentiam eius ali, & grauitatem creſcere: & religionis cupiditatem ſtudiumq; confirmari: idemque appetiuiſſe & poſtulaſſe, maiore cum periculo ſuſcepiſſet: id quod inſtituit atq; decreuit. Quocirca, omnibus Regni or-

mi Sturmi, vagus est, & errat, & quia diligit, non deligit; præceps non constans esse solet. Sed meus in te tam oculatus est, & si vis, tam Lynceus, vt nulla, non terræ, non Oceani intercapedo, aciem eius impedire possit, quin longissimè penetret & facilè incendatur ardore, vbi illustres virtutis doctrinæque faces prætenduntur. Quòd vis, vtriusque epistolam in lucem apparere, & testem extare perpetuæ inter nos charitatis, facis quidem non plus, quàm ipse exopto, plus tamen quàm ego, vel à quoquam, sine nota impudentiæ, vel à te, sine suspicione imprudentiæ, efflagitare queo: & quia tu me facis impudentem, nisi ipse aliter vis & nisi ipsæ literæ iam sunt impressori traditæ, inprimis cuperem, vt epistolæ nostræ aliquam reliquam paginam occuparent, in dialogis tuis Aristotelicis; sed stultè hoc peto, cum tu scis, quid potissimùm sit faciendum: hæc tamen scribo, quia vereor ne literæ meæ nimis molestæ sint, & quodammodo ægrè ferant, si ab illo libro separētur; cuius tam cupidæ, petaces, & πολυπραγμονικοὶ extiterunt. Quanquam, quod polliceor, non contentæ solùm, sed perquam hilares erunt, si in societatem literarum tuarum vlla ratione admittantur. Si liber tuus imprimatur in Quarto, vt loquuntur, non in Octauo, quod ferè fit in tuis scriptis, ego magis

magis approbarem: & Gallorum in ea re cùm solertiam, tùm elegãtiam semper laudo. Totus gaudio perfundebar, mi Sturmi, cum veni ad illum epistolæ tuæ locum, vbi ais: Regiæ maiestati locum designaui in Aristotelicis meis dialogis, in quib. stylum meum quotidie acuo, vt si quid possit contra barbariem, in his ostendat, tum etiam in celebrandis amicis, &c. Quod Regi facis, optime Sturmi, non illi soli clarissimo principi, sed vniuerso eius regno, vniuersis literis & æternitati facturus es. Nam cum audiet abs te, quàm præclarum sit τὸν ἄρχοντα φιλοσοφεῖν, & remp. consilio, non fortunâ gubernari, consilia autem optima ex optimis hauriri libris, nec meliorem vnquam, cum à sacris fontibus discesseris ad formãdum consilium, ipso Aristotele extitisse, ne dubites, quin, hoc facto tuo, in instituendo principe nostro, vberrimam voluptatem, cum singulari laude tua confluentem in vniuersam Angliã, & singulos Anglos transfusurus sis. Et quanquam princeps, ea est eius præclara natura, calcare non eget ad expeditiorem cursum, doctrinæ & prudentiæ, in quem felicissimè ingressus est, tamen ex suaui & fusa oratione tua, ad id accommodatâ, veluti ex applausu præclari hominis illum currentem excipientis, nouum laboris impetum, ad maiorem laudis spem per-

tuperem, sed quòd ad id quod volumus, non sint idonei. Sed addamus etiam his barbaram turbam grammaticorũ, dialecticorum, medicorum, theologorum, philosophorum, quibus sordida puris, vtilia spinosis fuerunt potiora. Quorum pars se adhuc magna tuetur in Sophistarũ nostri seculi collegiis, quæ de sua adhuc barbarie tãquã de Palladio aliquo atrociter pugnat. O gregem venustum! ô religiosam conspirationem! in qua vinci gloriosum est, turpissimũ vincere. Quis status literarũ, quis religionis esse possit in hac sermonis & linguæ & orationis fœditate? Quis enim non aspernetur in iis si videat oris sonitũ; verborum deformitatem: sententiarum sordes; opinionum ineptias; animorum pertinaciam; consuetudinem illiberalem; mores peregrinos? qui barbariẽ liberalitati imposuerunt; qui artes & disciplinas corruperũt; qui historias fœdarunt; religionem & cæremonias, non solùm orationis putido genere; sed etiã imperitis opinionibus; remotis ab omni consensu doctrinæ & obscurârunt altercando; & defendendo inquinârunt. Hinc proponendi pueris, & horum scriptis imbuendæ mentes adolescentũ; vt pro puris fœda: pro Latinis Barbara; pro perspicuis obscura; pro cõpositis dissoluta in ciuitatibus audiantur? Quod igitur iudicium

dicium facimus in malis; cur idem non retinebimus etiam in minus perfectis minusq; consummatis? At rerum studium verborum semper præstantius habitum est. Est planè eloquētis officium; rerum primùm, pòst verborum curam suscipere. Vitiosum enim est: dicere quod aut inane sit aut stultum. Verũtamen quoniam ab oratore non modò sapientia, verùm etiã verborum ornatus requiritur, separemus ista duo, quæ naturâ cæteroquin coniuncta hærent. Sapientia iubet quærere quid dicas; vt verum; vt probabile; vt certum: vt acutũ; vt disciplinabile; vt conclusione perfectum. Quid ornatus? vt significans, vt sonans, vt plenum, vt concinnum, vt ornatum, vt illustre. Sed si sapientia iubeat, vt ornatus rationem non habeam; puritate contentus sim; reliquum ornatum non affectem; liberari me patiar magnis laboribus, summis curis, diuturnis vigiliis. Si verò etiam vt puritatem negligam, certè isti sapientiæ, quamuis prouida sit, non obtemperabo. Sed si respondeat; magnum esse, præditũ esse doctrinâ, sed præclarum, ad eandem, dicendi rationem & eloquentiam adiungere: & vtrumq; ab optimis potiùs, quàm inferioris ordinis authoribus condiscere; optimeque labores consummatissimis cõsumi; tum ego sapientiæ consilium tãquam oraculum diuinitùs datũ sequar. Et igitur ego autho-

res pueris explicari principio volo: & eos in exercendi consuetudine primos legi: qui ad doctrinam adiunxerunt eloquentiam: non qui doctrinâ contenti: eloquentiã vel contemserunt, vel ad eam non potuerunt aspirare. Et quò magis propè aliquis ad perfectionem accedet: eò plus eum tẽpore ordinéque antecedere placet: & in exemplis anteferri. Hec me causa mouit: quamobrem Augustino Chrysostomũ anteposui: non quod Augustinus nõ sapientior, aut non disertus: sed quia minus disertus, quàm Chrysostomus: & is tamen eruditus atq; doctus. Chrysostomo primum temporis & linguæ, non doctrinæ & ingenii locum tribui: cum tamẽ huic ipsi Chrysostomo multos alios anteponam. In dicendi enim studio nõ solum barbaros omninò fugere: sed ante bonos etiam meliores semper oportet prçcedere: Sed fortassis parum candori tuo confidere videbor, qui hæc tam sollicitè excusem: veruntamen, quoniam permagni referre puto: quo vnaquæque ordine legantur: visum fuit etiam hîc meam tibi exponere sentẽtiam, à qua te etiam non arbitror esse alienum. Feci etiam eò libentiùs, quod tu dulce nomen pacis esse dicis in tuis literis, & rẽ ipsam salutarem: scio quo in loco Cicero idem dicit: & iisdem verbis sentit: cuius loci formam hîc conatus sum exprimere, vt tecum ludam ῥητορικῶς.

Et

Et nisi caueas, non hinc procul sumpto exemplo rursum ludam: si prius de Domina Elizabetha quod volo, & quemadmodũ volo, reperã. Non enim obliuisci possum, quod ad tantarum rerum, de quibus scribis, disciplinam: etiam dicendi artẽ coniungat, eamque exercitationẽ colat, quæ cùm maximè hunc sexum deceat, tamẽ à plerisque omnibus aspernata iacet. Sed rectè secum cogitat: si enim corporis forma in virginibns puellis iucunda est, cur non orationis verecundæ, pudicæ, puræ, pulchra? Deinde cæteræ virginum exercitationes, nere, texere, acu pingere: communes sunt nobilitatis & obscuræ stirpis. Sæpéque ignobiles mulieres, nobilibus artificiosiùs laborare videmus, orationis autem elegãtiam, in nobilitatis velle domiciliis habitare, & præclaris familiis: & vt vestitu atque ornamentis, sic etiam sermonis suauitate nobiles ab obscuris differre. Prætereà hæc ipsa, quæ sunt nobilium fœminarum pretiosæ vestes, gemmæ, annuli & ornatus reliquus, fortunæ esse tantùm, & in deterioribus naturis sæpè affluere; at oris elegantiam & vocis formam, non posse ab animi pulchritudine segregari: atq; id signum esse excellẽtis ingenii, nobilisque naturæ: ac diuitiarum insignia & ornatus, domi solùm illustria sunt: vox verò artificiosa posteaquàm semel audita est: sæpè ad-

exteras gentes atque nationes volitat: illisque est admirabilis. Quò magis ego Dominę Elizabethæ industriam probo: quæ efficiet, vt puellarum virginum & fœminarum nobilitas, non solum generis antiquitate: sed etiam doctrinæ & sermonis elegantiâ sit æstimanda. Ergo huic ego conuenienter libellum misi. Ineptum enim est, in diuulgandis libris, eos appellare, qui ignari sunt eorum quæ traduntur: aut qui eadem nō maximoperè amāt. Et quoniam pro se liber loqui non potest: est enim indisertus: tu ei deprecator sis, quoties peccabit: & vbi nō peccat, cōmendator: & in vtroq; patronus: præsertim propter Eduardum Regem, cui etiam exemplum in tto; vt tripartito defendatur patrocinio: primùm tuo ad Dominam Elizabetham; deinde huius ad fratrem suum Eduardum Regem: qui si sua authoritate patronus summus esse velit; quis meo libello beatior? Quantum ad me attinet, maximoperè vellē Angliæ placere; amo enim gentem hanc propter religionem; propter famam talis ac tanti Regis; idque in hac ætate; atque vtinam, quam religionem Rex, primis annis didicit: & consilium eius concordibus sententiis constituit: eam possit & tueri & defendere & stabilire; vt non oppugnetur. Quanquam id ad Deum eiusque prouidentiam & numen pertineat;

sed

sed id quidem reliquum est, vt quod institui absq; perturbatione aliqua non potuit; neque sine metu periculorũ retineri potest, id ecclesiasticarum pecuniarum dispẽsatione; & morum disciplinâ; & Religionis doctrinã & iudiciorum sanctitate; & ordinum confirmatione atque dignitate corrigatur atq; ornetur. Sed minus iam timoris est: in hac consilii constantia; quod de Religione decreuit, quod eam instituit, quod edictis stabiliuit. Vt autem idem permaneat, dum Regnum atq; Religio requirit & vt rex nulla frãgatur temporum intemperie, id summis votis à Deo patre omnium mortaliũ, & Christo omnium hominum Seruatore precandũ est, in quo negotio & qui in consilio Regio versantur, laudandi sunt, & Rex arrigendus ad constantiã altitudinemque animi; vt neq; consiliũ sui decreti pœniteat; neq; Regem tædeat periculorum quæ impendêre videntur. Tribuenda igitur non solùm pietatis & religionis, & literarũ laus est iis, qui authores fuerũt præclarę emendationis, sed etiã fortitudinis: qui non extimuerunt ea pericula, quæ propter prudentiã ventura prouidebant, propter religionẽ contẽnebant. O sanctã curiã, quæ honestatem atq; religionẽ, vtilitatibus & vitæ otio anteposuit! Nati in hoc homines vidẽtur, vt Angliæ nomẽ renouẽt, vt in hoc Regno an-

gularis Ecclesiæ lapis locum suum rursus occupet, & refugium sit non solùm nunc recipiendis atque defendendis: sed breui etiam emittendis atque ornandis angelis & nunciis otii literarum, religionis, dignitatis in Republica Christiana. In impietate enim status Rerumpublicarum instabilis: in religione firmus solet sperari. Etenim nulla cõuersio regnorũ, nisi post Religionis contemptũ atque fœdationem est metuẽda. Illorũ igitur incerta Respublica est, qui in turpitudine vitæ etiam religionis atque doctrinæ puritatẽ & sanctimoniam formidant. Qui verò hæc suscipiunt & colunt & defendunt: hi cũ nullo alio statu commutare Rempublicam possunt, nisi cũ diuino & cælesti, in quo perpetua sit & sempiterna felicitas. Nã huius vitæ non solùm Reges & principes & magistratus caduci & breuis æui sunt, sed ipsæ etiam vrbes, & Respublicæ atque Regna breui momento & florentia claraq; : & collapsa dirutáque conspicantur. Hæc æternitatis felicitas bonorũ virorum in omnibus ordinibus finis: in hac eorum præmia constituta sunt: quę nisi essent, quis sapiens in maximis laboribus, & summis periculis, velit pro patria sese deuouere: & pro religione mortem oppetere? Quamobrem sapienter consuluerunt prudentissimi viri: quòd id, sine quo Respublica nulla stabi-

ſtabilis eſſe poteſt, patriæ recuperârunt: vt quod poſteris ſuis optare debuiſſent: id ipſi ſuo periculo conſtituerunt. Et ſuam ipſi religionem atque pietatem patriæ cum periculo præſtare maluerunt: quàm eam poſteris abſque periculo committere. Hæc laus quouis triumpho præclarior eſt: quæ non cæde hoſtium comparata eſt: ſed pietate atq; religione nititur: quæ non hoſtium ſanguinem: ſed ciuium ſuorum ſanctimoniam requiſiuit: quæ non nouas res affectauit: ſed amiſſas reſtituit. Poſtquam enim decretum de Religione fuit: pax cũ Galliarum Regno conſtituta eſt: morum & vitæ leges promulgatæ ſunt: emendata literatorum hominum Gymnaſia: apparuit rurſus veritatis lux, & Euangelii lumen. Itaque de his bonorum virorũ ſermones nuſquam ſilebunt, dum homines erunt, quibus chara religio eſt, & iucunda fortium virorum memoria. Quanquam huius facinoris vel potius ſapientiæ laus: etiam multò maxima ex parte ad Sereniſſimum Regem Eduardum pertinet: in quo niſi Senatus animaduertiſſet ſimul cum ætate & prudentiam eius ali, & grauitatem creſcere: & religionis cupiditatem ſtudiumq; confirmari: idemque appetiuiſſe & poſtulaſſe, maiore cum periculo ſuſcepiſſet: id quod inſtituit atq; decreuit. Quocirca, omnibus Regni or-

dinibus gratulandũ est: Regi quòd id, quod voluit, consentientibus omniũ in consilio sententiis obtinuit: Consilio, quòd Rex idẽ voluit, & quod intelligit nihil posse constitui sanctius: Et Populo, quòd quoniam Regis atq; Senatus authoritas intercessit: non populari motu, sed Reipublicæ voce actum videatur; siquidem pars populi melior exoptauit: Omnibus ordinibus, quòd hac cõiunctione animorũ, dissidia non sint extimescenda; sed pax atq; cõcordia refloreścat: Religio vera recolatur: Euangelii vox salutariter resonet: Et CHRISTI imperium in Regno Angliæ authoritatem summam habeat. Hæc commoditas, imò hæc Regni gloria tollere ex animis omnium metum debet, & regem arrigere ad amplificandam hanc gloriam, & senatum cohortari ad fortitudinem; & populum ad charitatem & obseruantiam excitare: vt & Regis authoritas & Senatus consilium & populi placitum; quasi propugnaculum existet, contra dolum & insidias & vim cõmunis Dei hostis, à quo vinci non possumus dũ præstamus constantiã: nam si moriendũ erit, vita mortalis cũ immortali mutabitur; si viuemus, quid præclarius, quàm in hac vita propter Religionẽ cælestem vitam repræsentare? Longiùs euectus, Aschame, sum quàm volebã; excitatus epistola tua; in qua iucun-

dius

dius mihi fuit Regis atq; sororis laudes cognoscere, tametsi, eas anteà à multis audiueram, quàm accipere C. Cæsarem, quem antehac non ita in nummis videram. Sed tamē gratum munus, & quia à te missum est, & quia vetustum, & quia eius imago, qui cum fortissimis & peritissimis & fortunatissimis Imperatoribus belli gloriâ potest comparari. Vale. Argētorati Nonis Septembris. Anno MDL.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S. P. In Christo Iesu. Vtrasque literas tuas, optime Ioan. Sturmi, & superiores Nonis Septembris, & recentiores XVIII. Nouembris ad me missas, tradidit mihi prudens vir, & nunc communis noster amicus Christophorus Montius. Summo gaudio vtrasq; legi, frequenterq; lego, & ab earum lectione nunquam discedo, nisi nouæ semper cumulatus accessione voluptatis. Laudem, quam tribuis mihi, vt alienā non agnosco, sed tanquam vestem, mihi quidem humaniter impositam, sed parùm congruentem, libenter cum rubore exuo, iudiciū tamē laudis, tam laudati viri, in summa laude deputo. Suauis es, in meo, vt tu dicis erga te, cæco amore, & pateris esse cęcū, ne si oculos aperiat, à te discedat, & transferatur in aliū. Cæcus amor,

mi Sturmi, vagus est, & errat, & quia diligit, non deligit; præceps non constans esse solet. Sed meus in te tam oculatus est, & si vis, tam Lynceus, vt nulla, non terræ, non Oceani intercapedo, aciem eius impedire possit, quin longissimè penetret & facilè incendatur ardore, vbi illustres virtutis doctrinæque faces prætenduntur. Quòd vis, vtriusque epistolam in lucem apparere, & testem extare perpetuæ inter nos charitatis, facis quidem non plus, quàm ipse exopto, plus tamen quàm ego, vel à quoquam, sine nota impudentiæ, vel à te, sine suspicione imprudentiæ, efflagitare queo: & quia tu me facis impudentem, nisi ipse aliter vis & nisi ipsæ literæ iam sunt impressori traditæ, inprimis cuperem, vt epistolæ nostræ aliquam reliquam paginam occuparent, in dialogis tuis Aristotelicis; sed stultè hoc peto, cum tu scis, quid potissimùm sit faciendum: hæc tamen scribo, quia vereor ne literæ meæ nimis molestæ sint, & quodammodo ægrè ferant, si ab illo libro separētur, cuius tam cupidæ, petaces, & πολυπρακτικοὶ extiterunt. Quanquam, quod polliceor, non contentæ solùm, sed perquam hilares erunt, si in societatem literarum tuarum vlla ratione admittantur. Si liber tuus imprimatur in Quarto, vt loquuntur, non in Octauo, quod ferè fit in tuis scriptis, ego

magis

magis approbarem: & Gallorum in ea re cùm solertiam, tùm elegātiam semper laudo. Totus gaudio perfundebar, mi Sturmi, cum veni ad illum epistolæ tuæ locum, vbi ais: Regiæ maiestati locum designaui in Aristotelicis meis dialogis, in quib. stylum meum quotidie acuo, vt si quid possit contra barbariem, in his ostendat, tum etiam in celebrandis amicis, &c. Quod Regi facis, optime Sturmi, non illi soli clarissimo principi, sed vniuerso eius regno, vniuersis literis & æternitati facturus es. Nam cum audiet abs te, quàm præclarum sit τὸν ἄρχοντα φιλοσοφεῖν, & remp. consilio, non fortunâ gubernari, consilia autem optima ex optimis hauriri libris, nec meliorem vnquam, cum à sacris fontibus discesseris ad formādum consilium, ipso Aristotele extitisse, ne dubites, quin, hoc facto tuo, in instituendo principe nostro, vberrimam voluptatem, cum singulari laude tua confluentem in vniuersam Angliā, & singulos Anglos transfusurus sis. Et quanquam princeps, ea est eius præclara natura, calcare non eget ad expeditiorem cursum, doctrinæ & prudentiæ, in quem felicissimè ingressus est, tamen ex suaui & fusa oratione tua, ad id accommodatâ, veluti ex applausu præclari hominis illum currentem excipientis, nouum laboris impetum, ad maiorem laudis spem per-

vitiorumq; præceptionibus, ac partitionibus instructa, firmum iudicium adferat ad singula quotidianorum morum exempla, quæ in historiis latissimè sese fundunt. Et quia vix fieri potest, vt ingenii acies, in initio, dulcedine historiarum emollita & obtusa penetret in abstrusas illas & reconditas, sed pernecessarias ad corroborandum iudicium finitæ quæstionis comprehensiones, quanquam nullum præceptum, sine appositione insignis exempli tradi cupio. Quàm felix Anglia sit, mi Sturmi, cum principis eius iuuenilis ætas (nam nuper excessit ex decimo tertio anno) hac præstanti præceptione informetur, nemo meliùs, quàm tu, iudicare potest. Breui absoluet Ethicen, quã sequetur Aristotelis Rhetorica, vt non opportunè solùm, sed diuinitùs etiam videatur tibi oblata occasio huius suscepti laboris tui. Credo enim ego, non sine diuino cõsilio factum esse, vt hæc summa maiestas regia, hac summa ingenii, iudicii, doctrinæq; tuæ facultate excoleretur. Si plusculum otii mihi esset, longiorem tecum de Regia nostra maiestate instituerem sermonem; longiorem etiam de clarissima domina mea D. Elizabetha, de clarissimis Ducis Somersettensis filiabus, & illis quidem optimâ literarum institutione formatis: duas tamen Angliæ fœminas præterire nõ possum, nec à te,

mi Sturmi, præteritas esse velim, si aliquid cogitas de celebrandis amicis in Anglia, quo mihi nihil exoptabilius esse potest: Altera est Iana Graia, filia nobilis Marchionis Dorcetensis: quæ, cum auiam habuit Mariam Franciæ Reginam, arcta propinquitate attingit Regem nostrum Eduardum. Annum nata est decimum quintum. In Aula fui illi valdè familiaris, & scripsit ad me eruditas literas: hac superiore æstate cũ amicos meos in agro Eboracensi viserem, & inde literis Ioannis Checi in aulam, vt hùc proficiscerer, accitus sum, in via deflexi Leicestriam, vbi, Iana Graia cum patre habitaret. Statim admissus sum in cubiculum, inueni nobilem puellam, dii boni, legentem Græcè Phædonem Platonis, quem sic intelligit, vt mihi ipsi summam admirationem iniiceret. Sic loquitur & scribit Græcè, vt vera referenti vix fides adhiberi possit: nacta est præceptorem Ioannem Elmarum, vtriusque linguæ valde peritum, propter humanitatem, prudentiam, vsum, rectam religionẽ, & alia multa rectissimæ amicitiæ vincula, mihi coniunctissimum. Mihi discedenti, recepit se Græcè scripturam, si ego illam meis literis ex aula imperatoris scriptis prouocarẽ: Expecto quotidie Græcas eius literas; cum venerint, ad te statim mittam. Altera est Ethelreda Cecilla, quæ haud alitèr Græcè in-

cè intelligit & loquitur quàm Anglicè: vt dubium esse possit, felicior ne sit, hac præstanti cognitione, an quòd nata sit nobili viro Antonio Coco, & patre eius, & præceptore: qui propter singularem suam eruditionem, in erudiendo rege, Ioanni Checo socius adiunctus est: vel potiùs quòd nupsit Guilielmo Cecillo, iuueni quidem illi, sed tam senili prudentiâ, tanta literarum & rerum peritiâ, & ea in rebus gerendis abstinentiâ prædito, vt laudem illam solidam & quadripartitam, quam Pericli æmulus suus tribuit Thucydides,

Γνῶναί τε τὰ δέοντα, ἑρμηνεῦσαι τὰ γνωσθέντα,
Φιλόπολις εἶναι καὶ χρημάτων κρείττων.

Huic communis consentiensque Anglorum vox impartita sit. Post meum digressum ex Anglia primarius Secretarius regius factus est. Vereor, mi Sturmi, ne prolixo meo sermone molestus sim tibi, sed quia nihil magis cupio, quàm longissimas literas tuas, longè & ipse scribo, scripturus etiam longiùs, si otium mihi suppeditaret. Nam nunquam fui in vita mea minùs otiosus, quàm nunc sum. Noua quæ hîc geruntur, nemo certiùs, nemo oportunius perscribere tibi potest, nostro Christophoro Montio, & quotidiè rogo rogaboque, vt tibi singula perscribat, nec ipse deero, quoties offeratur oportunus Tabellarius, & ne in his grauis-

simis tẽporibus, leues & inanes literæ meæ ad te accederent, ecce tibi, sola Madeburges sic occupat nunc Augustæ, omnium hominũ suspiciones, rumores, sermones, colloquia, consilia, vt cæteris rebus omnib. minimis, maximis, mediocrib. silentium ferè iniecerit. De cuius vrbis aut salutis spe, aut interitus metu, sic omnia sunt incerta, vt rumoribus vel cum dolo excogitatis, vel sine authore disseminatis implicata, vt ipse nihil habeam certi & explorati, quod scribam. De hac re certissimus sum, quòd hæc vrbs nunc est, & ab alienis pressa acriter, & à suis defensa fortiter, quia nec prece, nec pretio, nec minis, nec metu impelli possit, vt eam doctrinam, aut omninò proditam abiiciat, aut fœdè vitiatam accipiat, quam omnes boni, vbi vbi sunt, ex diuinis haustam fontibus amplectuntur. Nec mirum esse debet, si duo illi Tricipites, Cerberus Romanus, & Geryon Hispanus contendant, hanc vnam vrbem expugnare, cuius si porta semel fuerit, vel effracta vi, vel reserata voluntate, patet statim aditus, & Cerbero in totam Germaniam, & Geryoni in vniuersam ferè Europam, vt nec in religione puritas, nec in republica commoditas reliqua esse possit, quæ non breui, aut illius fœdata habitu, aut istius occupata raptu fuerit. Reliqua negotia, Turcica, Papistica, Cæ-

ca, Cæſariana, Diabolica, & Chriſtiana in ſummo ſilentio iacent. Breui ſcribam de his etiam rebus, ſi quid certi ad manus meas peruenerit. Vale doctiſſime Sturmi. Et me, quod facis, ama. XXIIII. Decemb. anno Domini, 1550.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S.P. in Chriſto Ieſu. Nullas ad te literas tam oportuno tabellario dare non poſſum & longas non opus eſt, mi optatiſſime Sturmi, cum vnus Montius noſtrarũ longiſſimarum inſtar eſſe poteſt. Digreſſum à nobis tam honeſti & integri viri, ægerrimè fero, his temporibus, & hoc loco: non ſum tamen tam durus in alios, nec tã mei amans, nec tam meorum obliuiſcens, vt non cõmouear ſenſu deſiderii illius, viſendi eos, qui ei ſunt clariſſimi. Scribis Montio noſtro diuulgatã eſſe vtriuſque epiſtolam. Tu videris ornatiſſime Sturmi, quo tuo periculo hominẽ hactenus tenebris deliteſcentem, in lucem producis. Quanquã id ingenuè tibi, quod ſentio, dicam, pluris facio teſtimonium iudicii tui, vel potius amoris tui, quàm pertimeſco vocẽ aut opinionẽ vllius hominis; hoc dictum aut valdè arrogantis, aut ſui nimiùm amantis videri poteſt. Si pecco, quia error eſt in me, nõ ſcelus in alios, à te, qui me amas, veniam ex-

pecto, ab aliis quos nihil lædo, offensam non metuo. Si epistola mea nondum impressa sit, hæc duo aut tria verba adiungi illi loco vehementer cupio. Vbi Dominæ Elizabethæ gradus & progressus in studio literarum explicabam, videlicet, prima vtriusque linguæ fundamenta felicissimè in hac principe iacta sunt, assiduâ operâ & diligentiâ Guil. Grindalli mei: Grindalli mei, inquã, & si aliud vocabulũ esset in omni ratione amicitiæ, necessitudinis, charitatis, pietatis, quod propinquiorẽ, & arctiorẽ coniũctionem significaret, quàm mei, illud ad memoriam mei Grindalli libentissimè adhiberem: fuit enim is Cantabrigiæ discipulus meus, & à paruulo inter parietes cubiculi mei septem ferè annos, literis Græcis Latinisque institutus. Mores, ingenium, memoriam, iudicium tale habuit, quale vix cuiquam, in Anglia contigit quem ego vnquam vidi. An ego aliquid falsò affingo eius laudibus, intelligunt multi præclari viri, qui in Aula illo coniunctissimè vsi sunt. Adulationis notam non timeo, quia mortuus est: inuidorum reprehensionem contemno, quia virtutis laudem in aliis non ferunt, quòd eandem in se agnoscere nõ possunt. Nam ex Academia in Aulam vocatus est à Domino Checo, & breui doctor ad instituendam hanc principem adhibebatur,

tur. Post aliquot annos, cum clarissima Elizabetha, Et suo ingenio, & talis praeceptoris operâ, ad praeclaram peruenisset cognitionem, atq; meus Grindallus, & suo merito, & D. fauore ad eximiam dignitatem adspirasset, ecce tibi, subita peste correptus, diem suum obit: Aula tantum sui desiderium relinquens, quantum haud scio an quisquam alius hos multos annos, me certè maiori afflixit mœrore, quàm obitus vtriusque parentis, qui vna die, & eadem ferè hora, cùm quadraginta septem annos cõiunctissimè coniuges vixissent, vnà ambo ad Christum morte etiam ipsa iugati commigrârunt. In locum huius & charissimi discipuli, & arctissimi amici suffectus ego sum, vbi inuenio ea vtriusque linguæ fundamenta iacta, vt dubitarim, an istius ingenium quæ didicit, an illius diligentiam qui docuit, magis admirarer: huic ego, quod felicissime à Grindallo meo, quanquam sine mea opera, non tamen absque omni meo consilio inchoatum est, diligenter sanè & assiduè exædificare conatus sum. Hæc verba, mi Sturmi, si in suum locum aptè reponi possunt, & tuo iudicio, & quasi lima sic perpoliantur, vt cum reliquis concinnè cõstrui queant, rem mihi peroptatam effecturus es. Nisi te valdè amarem, & tribuerem omnia nostræ amicitiæ, vererer te ad

hunc modum tam imprudenter abuti; sed familiarem esse oportet, quæ ficta non est amicitia, & nosti illud Ciceronis tui: Qui cum omninò nihil fingam, nihil dissimulē, nihil obtegam: nam illæ sapientes amicitiæ ostendunt fucum, suauitatem non habēt, & plus foliorum quàm fructus semper ferunt. In proximis etiam superioribus meis ad te literis, nobilissimæ virginis Ianæ Graiæ mētionem feci. Non est, si quid in me iudicii sit dignius exemplum, quod in oculis hominum feratur, quod in lucem & conspectum appareat, quo reliqua nobilitas ad veram laudem, & insigne decus euocari possit. Condona mihi hoc, mi Sturmi, si cupiam hæc lumina patriæ meæ, luce ingenii tui sic accendi, vt cum per se illustria sint, tuo tamen testimonio, in eminentem & conspicuum locum excitentur. Literas tuas longissimas auidè expecto, quāquam tempus tuū, quod Aristotelicis dialogis impartis; interturbare nolim: de illa tamen re audire cupio. Cum dicerem Domino Legato, hodie me literas ad te dare, iussit me, suo nomine, te plurimùm salutare, & libentissimè se inire velle rationē tecum arctioris amicitię, quem iam multùm amauit hos multos annos, hoc tamen se malè habere, quòd distineatur pluribus quotidie negotiis, quàm vt possit crebritat[illegible]terarum persequi hoc

studi-

studium, quo te complexus est. Nihil libentiùs facio, quàm scribo ad te, sed nisi inuenero fidelem tabellarium, caueb o quid cui cõmittam: nam vereor ego illud, quod lepide Cicero tuus conqueritur de suis temporibus, Vix quenquam esse, qui epistolam paulò grauiorem ferre possit, nisi eam per lectionem releuârit. Si abs te aut Montio nostro certus nuncius, de meliori notâ, à vobis cõmendatus ad me accesserit, libẽter de motu reipub. de statu religionis, de apertis consiliis, de secretis studiis, quæ ad meas manus peruenerint, vobis significabo. Tuas suauissimas literas, Sturmianis reb. hoc est, eruditione, eloquentiâ, humanitate refertas, omnibus istis negotiis, Turcicis, Papisticis, Cæsarianis, Gallicis longè antepono. De quibus tamen hoc tempore aliquid ad te scriberẽ, nisi D. Montius noster, onustus omnib. grauibus rebus, quæ vbiq; ferè hoc anno gestæ sunt, domũ ad vos rediret. Ex cuius sermone oportuniùs, quã ex mea scriptura singulas res cognosces. Vale. Et saluta mihi Ioannẽ Sleidan. & Valentinũ Erythræũ. Augustæ Vindelicorum, XXIV. Ianuarii, Ann. Domi. 1551.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S. Literæ tuæ, prudentiæ & suauitatis plenissimæ, vnà cum duobus libris à D.

Toxite dono ad me missis, redditæ mihi fuerunt XXII. Iunii. Suauiter scribis de mea offensione silentii tui. Quanquam sic gratus es, quòd scribis, optatissime Sturmi, vt etiamsi non scribas, non possis non esse mihi gratissimus. Amicitiam enim meam, non ineptam tibi, & molestam, sed oportunam & gratam probare cupio. Noui occupationes tuas, tuoque sic otio faueo, vt ægerrimè ipse feram, si vlla eius minima pars ab Aristotelicis dialogis tuis, & Æschinis Demosthenisque contentionibus, ad alias res abstrahatur. Quantum autem Toxitem nostrum amo, de hoc eius in nos cōmuni studio & amore, de beneuolentia vel pietate potiùs, qua patriam meā, qua principem meum exornauit, de animo in veram religionem Christi, de iudicio in elegantem doctrinam Sturmii, de multis denique aliis veræ amicitiæ vinculis, quibus me sibi in perpetuum coniunxit, breui literis meis, semper omni officio meo, illi declarabo. Rogas, vt te, iudicio meo & ope iuuem, in confectione vitæ Buceri: Qua in re, quanquam ope mea opus non habes, voluntati tuæ tamen aliquid, etiamsi non satis, libenter fecissem, nisi librum illum ex Anglia, de obitu Buceri, fusè conscriptum, ad te prius, quàm has literas, peruenturum intellexissem. Mutua voluntas, beneuolentia,

lentia, & Angliæ in Germaniam, & Cantabrigiæ in Argentinam, & vtriusque gentis & vrbis studium in veram religionem, in literas, in sanctissimum & doctissimum Bucerum, ex illo libro facilè perspici potest. Admirabile est quod Carrus noster de Redmanno refert, vt scias, qualis hic vir sit, pauca repetam. Cognatione proximè attingit Guthbertum Tonstallum Episcopum Dunelmiensem, eius consilio, in studio literarum à puero versatus est, Cantabrigiæ & Oxonii aliquot annos vixit: Post Lutetiam vidit, vbi diu commoratus, tandem rediit in Angliam ante vicesimum iam annum aut plus eo, instructus ea peritiâ Græcæ Latinæque linguæ, & sic excultus diligenti Ciceronis lectione, vt eius siue laudis æmulatione, siue præceptionis imitatione, Ioannes Checus, & Thomas Smithus, admodum iuuenes, & omnibus modis æquales, excitati, spretis barbarorũ sordibus vberrimum illũ prudentis eloquentiæ succum, ex Platonis, Aristotelis, & Ciceronis fontibus exhauserunt, quem, in horum discipulis, & meis coniunctissimis amicis, Hiddono & Carro, animaduertis abundare. Redmannus, de quo ego institui scribere, totum se sacrarum literarum studio tradidit, tot præsidiis ingenii, doctrinæ, eloquentiæ munitus, vt omnes ferè supe-

raret. Vsus est semper suauissimis moribus, modestissima vita, communis & bonus omnibus, etiam aduersariis, nemini molestus aut durus. Tam præclarus artifex in concionibus suis ad formandam Christianam vitam, qualem ego profiteor me vix vnquã audiuisse. In doctrina etiam de coniugio sacerdotum, & aliis controuersiis rectissimè in publicis scholis Cantabrigiæ, sententiã & iudicium suũ declarauit. De iustificatione autẽ solius fidei, nonnihil à nobis discrepauit, & id semper laude & sine aculeis, non tã, vti ego de illo existimo quod dubitauit de veritate illius doctrinæ, quàm quod metuit de licentia vitæ, in quam virtutis Manes & tantũ verbosi quidẽ homines præcipites ferebãtur. Hoc igitur illustre iudicium Redmanni, siue hominis multiplicem doctrinã, siue probatissimam vitam spectes Bucero impartitam vniuersis Babylonicis, Ecciis, Billicis, & reliquis audacter potes opponere. Scriberẽ ad te copiosè, qua pietate cõplexa est Bucerũ nobilissima Dux Suffolciensis, qua cura & curatione ipsa præsens noctes diesq; illum fouit, nisi vxor D. Buceri, omnia illa oportuniùs, cõmemoraret. Hunc locũ, & hanc clarissimam principẽ scio, non præteribis, mi Sturmi, vel propter exemplũ reliquæ nobilitatis, vel propter eam beneuolẽtiã, qua hæc nobilissima

fœmi-

fœmina te etiam complectitur, quæ de te in Angliam accersendo sæpè cogitauit. His etiam proximis superiorib. diebus D. Checus pollicetur aliud separatū scriptum de obitu Buceri: cum recepero, statim ad te mittam. Commemoratio harum rerum, mi Sturmi, sensum mihi cōmouet doloris acerbissimi, summiq; desiderii istius sanctissimi viri, qui & multum me amauit, & plurimum doctrinâ iuuit: cuius vnius operâ, hæc nostra inter nos amicitia, qua nihil mihi dulcius arctissimè firmata est. In recentissima mea viget memoria crebri illius mecum instituti sermones, de religionis, de reip. & statu, & motu, de literarum recto cursu, de te, de tua singulari humanitate & doctrina, de eo eius consilio, quando nos coniunctis literis nostris, te ad Aristotelis explicationem cōcitare voluimus. At silebo, ne dolores & augeam meos, & non minuam tuos: quanquā in malis, malorum etiam refricatio, in sinu & sermone dulcissimi amici nōnihil consolatur.
Vale in Christo Iesu. Satis est si intelligam te has recepisse, & cum satis otii & laxamenti, à grauiorib. rebus nactus fueris, vel breuissimas literas tuas, de tuo Aristotele, Æschine, & Demosthene loquentes, omnib. illis Turcicis, Papisticis, Italicis, &c. antepono. Si quid fuerit in Montii nostri literis, tecum communicabit. Iunii 18. 1551.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S. Plus & nostræ amicitiæ, & tuæ humanitati, quàm meæ verecundiæ tribui, ornatissime Sturmi, cum literis meis superioribus ad Montium nostrum scriptis declararem, quàm essem ego cupidus, vt Æschines & Demosthenes, in nobilissimæ virginis Ianæ Graiæ nomine apparerent. Neque tum quidem ignarus fui, quàm operosis implicatus esses negotiis. Si quod peccatum ergo fuerit, fuisse nullum spero, assignabis Montio nostro, qui de diuulgatione illarum orationum paulò antè ad me scripsisset. Nam quod tu vis, maximè probo, & id tamen scripsi, quod ego vnicè opto: Opto enim te, aliquid dedicare lectissimæ virgini, tui semper (quod ego noui) & tuorum studiosissimæ, cuius est cultior animus doctrinâ Platonis, & eloquentiâ Demosthenis; quàm fortuna illustrior, aut regio genere, aut accessione amplissimæ quidem, sed luctuosissimæ hereditatis, clarissimi Ducis Suffolciensis auunculi materni Ianæ Graiæ, quæ eius nunc facta est hæres ex parte dimidiâ. Et semper mihi ante oculos versatur spectaculum illud, cum offendi clarissimam virginem legentem Phædonem Platonis, de qua re, opinor, tibi aliquando

quando scripsi. Et quorsum hæc? minimè, mi Sturmi, vt tibi in hac aut vlla re velim esse molestus, sed vt ostendam, cum diù fuerim vtriusque vestrûm amantissimus, quàm vestræ etiam mutuæ, inter vos amicitię coniungendæ, nunc quoque sum studiosus: amicitiâ, nec tibi dignior adiungi, nec illa optabilior offerri potest. Scripsi ad D. Checum in gratiam Toxitæ nostri, & id perstudiose; scribam etiam, si ita vis, ad Dominum Pagettum: si in Anglia essem, multum nauarem, & aliquid perficerem: Rumores Turcicos, Parmenses, Saxonicos fuse perscriberem, nisi qui has perfert literas, communis noster amicus, oportuniùs ea omnia explicaret. Vter mansurus legatus, an vterque abiturus, quid certi habemus, Montius noster referre potest. Hieronymus Wolfius præficitur bibliothecæ Fuggeranæ. Impetraui à Fuggero scriptum Æschinem cum commentariis, sed librum nondum inuenire potest Wolfius: incidi in commentarios Simonis Grinæi in secundum librum Rhetor. Aristotelis, curo mihi describi: sunt enim mea opinione, eruditi; si intelligam te ita velle mittam ad te, quanquam puto hæredes Grinæi, qui apud vos sunt, & hæc, & multa alia scripta illius viri habere. De recuperatâ valetudine tua, cupidissimè aueo scire. Vale in Christo Iesu. Saluta quæso

Ioann Sleidanum, Valentinum Erythræum & nostrum Michaelem Toxitem. Augustæ Vindel. xxi. Aug. Anno Do. 1551.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S. Nihil libentiùs facio quàm scribo ad te, ornatissime Ioann. Stur. libentissimè verò hoc tempore, cùm intelligerem, hunc clarissimum virum Ioann. Halesium, Argentinam proficisci. Non dubito, quin tu scias, qualis hic vir sit, ex frequenti Montii nostri sermone: & credo, non ingratum tibi fore, pauca quoq; ex me audire. Doctrinâ verissimæ religionis Christi optimè institutus est: disciplinæ morum vt assiduus custos, sic censor valdè grauis, taciturnus, pauloq; grauior naturâ, vt multi putant, consilio, vt ego iudico, cum eo nemo tamen sit, in omni humanitatis ratione, apertior, ac facilior. Omnium rerum Anglicarum peritissimus, in quibus tractandis, hos multos annos cum summa prudentiæ, diligentiæ, abstinentiæ laude, versatus est. Itaque, mi Sturmi, si nostrorum hominum, etiam principum qui sunt sensus & ingenia, & rerum nostrarum his superiorib. annis, vnde tot motus & conuersiones extiterunt, scire cupis, nemo profectò fuit omnium, qui mores hominū meliùs nouerit, qui certio-

res

res causas prudentiùs prouiderit, aut difficiliora eucta, pro sua parte epaessenda, fortiùs prohibuerit. Literarum amore summo, cognitione verò præclara imbutus est. Quę eius laus eò maior existit, quòd non ex quietis Academiarũ fontibus, sed inter medios Anglicos turbulentos fluctus, peritiam Latinæ linguæ perfectam, Græcæ mediocrem, Italicæ absolutam, Gallicæ aliquam, & vestræ etiam Germanicæ nonnullam exhauserit. Et ad hæc omnia est mi Sturmi, & tuæ excellentis doctrinæ admirator summus, & arctiore consuetudine tua fruendi cupidissimus. Libros tuos auidè legit, & sermonem de te mecum frequentissimum habet. Cogitauit adire Italiam, sed totus traduct⁹ in admirationem eruditionis tuæ, tuiq; amorem, Argentinam repetit. Digressum hunc eius à nobis ægerrimè fero, sed tristę hoc desiderium eius solabitur frequens cogitatio vestræ inter vos amicitiæ, quam ego gaudebo esse summam, vt non tantum ipse doleam propter suauissimum vsum eius mihi ereptum, quantum gratulor vtrique vestrûm, vtriusque, & gratam & iucundã coniunctionem. Cùm vestræ notitiæ consuetudo & vetustas accesserit, tum hæc omnia mi Sturmi, illustriora, quàm à me prędicantur, apparebunt. De immani & mutua crudelitate, quã Turcæ Hungariq; inter se exer-

cent, de expugnata Tripoli, de mari infero vniuerso, Turcicis terroribus circumfuso, de vastationibus Pedimontanis, de summo motu belli inter Hispanum & Gallum non ampliùs expectato, sed repræsentato, de legatis vtrinque domum missis, & *Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.* De fortitudine & constantia Parthenopolitarum, de calamitosa conuersione religionis in hac vrbe, de mœrore huius populi, & eius constantia, & aucto odio in falsam doctrinam, de multis aliis rebus longissimum tecum instituerem sermonem, si non hæc omnia Do. Halesius oportuniùs sermone quàm ego scripturâ, tibi fusissimè declaret. Si Cæsar, Spiræ subsidat, vti hîc rumor percrebescit, libentèr visam Argentinam: intereâ, si nihil scribas, quanquā literæ tuæ sunt exoptatissimæ semper mihi, nihil displicebis tamen; plus enim faueo laborioso tuo otio, quàm, vt velim tibi vllo modo esse molestus. Et quàm gratum est tibi, vt ad me in quadam epistola scripsisti, me tam constanter amare te, sine offensione etiam silentii tui, quanquàm tu non siles quidem, tam mihi quoque est iucundum, quod in eodem loco scribis, te aliquando effecturum, vt intelligā, te non pigrum fuisse. Gratulor immortali laude Verterorum, quòd tuo consilio, & eorum merito, tecum in tuo Rheto-

Rhetorico Aristotelico colloquuntur. Tu enim hoc modo efficies, vt nomen huius familiæ, non solùm nobilitatis, sed virtutis & eruditionis insigne posteris esse videatur. Exemplum Vetterorum vsurpaui & ego, & in multis literis meis, ad excitandã nobilitatem Anglicanã, ad idem studium & similem laudem. Cum ad hunc locum venissem, ecce tibi hæ literæ meæ, satis impudenter vt solent, & fortasse nimis impudenter, à me visæ sunt quærere, ecquid illis, de more mandem ad te de Aristotele, de Æschine, & Demosthene, de Analysi Ciceroniana, &c. Substiti tacitus, & quanquam suauiter mecum ridens, nonnihil tamen reprehendi superius factum illarum, quòd non solùm hæc omnia abs te impense rogassent, sed nimis importunè flagitassent. Commemoraui varias & multiplices tuas occupationes, & quantis oneribus premere iam rerum susceptarũ: ostendi te, pro tua prudentia, notare illarum non nimis verecundum os, quanquam id, pro tua humanitate minimè significares: Conticuerunt statim rubore suffusæ, atque si posthæc, mi Sturmi, me insciente & imprudente, pergant porrò tibi esse molestæ, intelligant te esse iratum, & eas tibi fecisse eum stomachum, de quo, ipse suauiter scribis ad Iulium pontificem Neuburgensem. Sed ta-

ceo & ipſe, ne iuſtiùs mihi, quàm meis literis iraſcaris. Vides quantum tribuo amicitię noſtræ, apud quem quaſuis etiam ineptias meas, confidenter promere audeam. Sed, vt quod ſentiam, loquar, mi optatiſſime Sturmi, quanquam fateor me magno teneri deſiderio, (teneor quidem maximo) rerum à te ſuſceptarum, & iam inſtitutarum, & ſedulò etiam ſuperioribus meis literis laborabam, vt nobiliſſima virgo Iana Graia, ſcriptis illuſtraretur tuis: ſcias tamen eò hęc omnia ſpectare, vt ego nihil aliud optare velim, quàm quod tuo iudicio, inſtituto, otioque maximè conuenire videatur. Vale in Chriſto Ieſu. Auguſtæ XXVII. Septembris Anno Dom. 1551.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S.P. Diu, & id auidè expecto, nunc pene neceſſariò requiro literas tuas, Ornatiſſime Sturmi. Ex Anglia enim ad mę ſcribunt certi amici mei, Petrum Ramum neſcio quid ſcripſiſſe contra meas tuasque literas, per te Argentorati impreſſas. Scis tamen, optime Sturmi, quid ego in aliis literis meis de Ramo ſcripſi ad te, quantum ego illius ingenio, doctrinæ, & etiam inſtituto tribui, quòd exiſtimarem eum ineptos & frigidos aliquos Ariſtotelicos potius

con-

conſcindere, quàm ipſum refutare Ariſtotelem. Scis etiam niſi tibi è memoria excidit, aut meæ ſciſſæ ſunt literæ, quantum ego Petrum Ramum antepoſui fratri illi Ioach. Perionio, cuius ego ridebam *** Ciceronianos contra M. Bucerum, & P. Melanchthonem ineptè conſutos, & malè concinnatos, cum putarem Ramum rectè ſentire de Chriſti doctrina, & hoc modo his temporibus, & eo loco, ſuum conſilium tegere; ſtudium tamẽ declarare, ſcribendo contra eos, quos animaduertit intendere ſe apertos aduerſarios in veram religionẽ. Et hoc meum de Ramo iudicium, poſteà Auguſtæ, noſter Hieronymus Wolfius, qui Lutetiæ fuit, verum eſſe confirmauit. Et in illis etiam literis meis, quanquam licentiam oris reprehendi, neque nunc probare volo, ingenii tamen & doctrinæ laudem, & apertè tribui, & tacitè quoque comprobaui illius inſtitutum, meis verbis inſequentibus, cum dico me exiſtimare præclaram Ariſtotelis doctrinam, & minùs ornatam videri, & magis obſcuram eſſe, quàm vt multorum in eo poſſit, vel ſtudia allicere voluptas, vel labores compenſare vtilitas, quia vbiuis fere docetur, ſine accuratâ exemplorum appoſitione. Noſti etiam quomodo ego requirebam, vt ad omnem artis cultum, imitationis etiam vſus adhibe-

retur, ne cursus studiorum, vel obscuritate inutiliter impeditus, vel erratione licenter abductus esse videretur. Ex animo profectò faueo Ramo, & si ita res est, doleo illum reiicere meam amicitiam, & suspicor certos Anglos Cantabrigiæ, qui nonnihil religione à nobis discrepant, eandem ob causam Ramum in nos inflexisse, ob quam ipsi, relictâ Angliâ, Lutetiam concesserunt. Sed quomodocunque res cecidit, de me minus laboro, de re minus miror: Nam vt hoc verissimè, sed apud te dicam, mirum est illius cerebrum, qui nullos alios quos exagitet, sibi proponit præter Aristoteles, Cicerones, Sturmios. Inuidia non solet suscipi, nec vlla inimicitia geri cum mortuis, sed fortasse, quia hoc etiam docet Aristoteles, maluit Ramus inauditum & inhumanum consilium sequi, quàm non in omnibus pugnare cum Aristotele. Contra morem autem & consuetudinem suam facit Ramus, qui me petit hominem obscurum, qui an essem, nunquam audiuisset, absque te fuisset. Sed hoc condonandum est eius ægroto animo. Nam ægroti vt semper reiiciunt optima, sic cum nunquam requiescunt, resiliunt ad extrema. Neque miror neque multum ægrè fero si ego displiceo Ramo, cui Aristoteles, Cicerones, Sturmii placere non possunt. Vigebit, credo, & maiori impetu in te irruet

ruet Ramus, cum intelliget te inuentionẽ, quam ille remouet à sua schola Rhetorica, ad artem dicendi inprimis referre, & actionem, quã Ramuli isti *** faciunt, verè te quidem & cum Aristotele & eruditè, in exercitatione potius quàm in doctrina collocare. Sed ego Rami consilium intelligo, μιμητὴς esse non vult, ne videretur sequi Aristotelem. Si hoc factum est à Ramo, tu opportunè scire potes, & prudenter statues, quod consilium nobis ineundum sit. Tu fortasse aliquando audiuisti à D. Halesio, me aliquẽ esse arcu & sagittis, & esse etiam non magnæ staturæ hominem, quid ergo impedit quò minus ego tanquam Teucer clypeo tectus Sturmiano, aut arceam aut contemnã ictus istos Rami? Potes in Nidrusiano tuo sermone, apto aliquo loco, vel tribus verbis, & illius refutare insolentiam, & meũ purgare consilium, cùm ego non eo animo quicquã scripsi, vt publicè conuellerem Ramum. Sin magis placebit tibi silentium, & id quoq; inprimis placet mihi: præteribo ergo silentio hoc tempore hunc sermonẽ, & referam me in iucundissimam illam cogitationem, quã indies vsurpo, legens tuũ Nidrusianum sermonem. Sed ecce illæ ipsæ cogitationes, verecundia perfusæ recondunt se iterum, & pudentes tuum verentur conspectum; at stultè quidem fa-

ciunt, cùm is ſit noſter inter nos amor, qui nec inſidias adulationis cũ ſuſpicione metuit nec apertam & liberã veritatẽ, propter ruborem, repellit. Cæterùm, quanquam cupiunt quidem educi, tamen non poſſunt iſtæ cogitationes meæ, ſed alio tempore & loco ſe hoc facturas recipiunt. Interim ſæpe mecum mirantur ipſam libri ingreſſionem tam expectato inſtitutam, tum acceſſum ad cauſam tam maturè abs te factum. Idoneas perſonas, Sapidum, vt ſuſcipiat cauſam naturæ, quia poeta eſt, vt difficiliores proponat doctrinæ quæſtiones, quia & grauis & pereruditus eſt: Verteros fratres, & cupidos audiendi, propter ſtudium, & verecundos ad interrogandum, propter ætatem: Quibus magno iudicio abs te tribuitur verborum explicatio. Quo in loco ſi ego in Nidruſiano tuo, intereſſem veſtro ſermoni, nonnihil iuuarem illorũ pudorem: nam plura de coniunctione vtriuſq; linguæ abs te, ſummo in vtraq; lingua artifice, ſciſcitarer propter meam imperitiã, & frequentiùs te ob eam cauſſam interturbarẽ, propter meam impudentiã. Et niſi plurimùm amarem nobiles Verteros, optarẽ eos (iſtos certè nouem dies) ob eam ipſam rem, aut minùs eruditos, aut magis impudentes exiſtere. Atque hoc loco, mi optime Sturmi, videris mihi ſuauiter irridere ſtultas

iſtas

iſtas meas & inanes cogitationes, ſed me aut ſtultum ferre, aut amicum non agnoſcere debes. Ceraſi tuæ anteponuntur, meo iudicio, platano Craſſi, quia imitatio illa in Cicerone, mea opinione, non ſatis tegitur: & hic, credo, me Ramus laudaret, quia aliquid in Cicerone notare audeo. Iure, mi Sturmi, rectéque reprehendis Theologorũ errorem, qui non explicant partes concionis, quæ ab illis diſtributæ ſint. Et quanquam te maximè hortari cupio, vt hos nouem libros quàm celerrimè perficias, quia tamen minus tribuo meo deſiderio, quàm tuæ laudi, quæ parietur tibi immortalis, ex confectione horum librorum, propterea te potius maturare hoc opus, quàm properare vllo modo cupio: ſic tamen, vt hoc ſemper ob oculos præfixum intuearis, quod in concionatoribus ſoles reprehendere. Sermo ille tuus inſtitutus de authoritate legum, de iudicum officio, quo contineri debent, ſupra modum mihi placuit, quanquam ſi omnia, quæ mihi in hoc ſermone primæ diei placent, tibi fusè explicarem, librum potius quàm ad te literas ſciberem. Grempium illum Argentinenſem Auguſtæ libenter vidi, ſed alterum illum Grempium Sturmianum, multò libentiùs audirem, nec dubito quin ille vir grauiſſimas res horum temporum, non aliter quàm Lælius, Philus,

aut Scipio quidam pertractaturus est. Locus nunquam tibi aptior dabitur, mi Sturmi, explicandi grauissimum tuum cõsilium, & iudicium de rebus istorum temporum, Turcicis, inquã, Italicis, Gallicis, Germanicis & Anglicis, & fortasse hoc modo multò commodius, quàm si certum aliquod opus de illis rebus instituisses. Multùm amo Phil. Vertterum, quia te amat, & studia literarum colit, & nobilissimam suam familiam splendore etiam literarum illustriorem facit, sed pius amo, quia ipse tam cupidus est audiendi te fusiùs dicentem de Christi religione, & te hortatur, quod ego quoq; efflagito, vt creberrimum semper longissimumque sermonem semper de Deo eiusque doctrina reliquo colloquio tuo annectas. Et soleo te anteponere omnibus ætatis nostræ hominibus, cum de quauis re sermonem instituis, sed te tibi quidem præfero, quoties de Christo loqueris. Et æquum est, vt is qui tibi, seorsim præ cæteris, summam doctrinam largitus est, abs te, præ cæteris, vicissim dono suo, luce ingenii tui illustretur. Nec te credo aliter iudicare, quàm ego ad te scribo; sed fortasse molestus tibi sum longo meo sermone. Atque cùm ipse cupidissimus sum longissimi sermonis literarum tuarum, prolixior esse volui, &c. Halæ Tirolẽs. xxix. mensis Ianuarii. Anno 1552.

ROGE-

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S.P. Non ego scribere, sed tu facilimè cogitare potes, Ornatissime Ioan. Sturmi, quàm libenti animo ego Argentinam accessi, & quàm mœrenti desiderio illic te non reperi. Libentèr peragraui Germaniæ magnam, & Italiæ aliquã partem: Sed nihil in tota hac peregrinatione, cogitatione mea aut iucundiori, aut frequentiori exoptabã, quam aliquando videre Argentinam quidem, sed potissimùm in suo Nidrusiano, meum Sturmium. Cogitabam ego, longo sermone, tutò, & solitariò, in tuũ sinum infundere, quomodo, his superioribus temporibus, in hac aula Cæsarea, singulæ res gestæ, veri excitati sermones, ficti iactati rumores fuerunt. A fuga enim Oenipontica, ad hodiernum diem, memoriam singulorum dierum continenti ordine conseruaui. Risisses, audiens me narrare, quanto metu, Villaci, secundo Iulii, imò longè maiori, quàm Oeniponti 19. Maii, & vniuersi nos tacti, & singuli ferè disiecti, & ad fugam effusi sumus: Quem terrorem reuera Pan aliquis, aut Nympha ex Alpibus in nos immiserunt, inanes autem, & rumores de Turcis, & suspiciones de Venetis nobis attulerunt. Hæc & multa alia tibi narrauissem,

& à te quoque plurima, quæ aliis in locis, sed iisdem perturbatis temporibus, gesta sunt, accepissem. Sed istam iacturam aliqua ratione, aliàs fortasse resarcire possumus, illam verò ego non queo redimere, quam feci spei mei interueniendi tum temporis eruditissimæ illi disputationi Nidrusianæ, id quod ego ineptè credo & molestè, sed cupidè scio & familiariter fecissem, præsertim cùm puto me potuisse incidere in illum diem, qui sermoni tuo, cum Grempio instituendo, assignatus est. Antonius & Philippus, tam veri Nobiles quàm germani fratres, præsentissima sua humanitate, nonnihil leuauerunt meum absentis tui desiderium: ostenderunt mihi secundum librum, atq; profectò gratulatus sum more, atque negotiis Grempii, & in eo loco, opinor, video tuum cōsilium, certè multū probo tuum iudicium, quòd Grempium, ni fallor, reseruas ad fusissimam explicationem earum quinque rerum, de quibus potissimum, in omni republica, grauissimæ deliberationes instituuntur. Si hæc præsens audiuissem, & ex ore vtriusque vestrûm, præsentibus auribus meis, summa consilia, & illustria exempla, non priscorū solùm, sed potissimū nostrorum, imò istorum & principum & temporū excepissem, putassem me non minùs felicē esse, quàm video illos præcla-

claros viros fuiſſe, qui apud Platonem, & Ciceronem, huiuſmodi ſermonibus interueniunt. Credo te, mi Sturmi, & quantum audeo, te hortor comparare, & inſtituere totum hoc opus, non tam ad eruditiſſimas præceptiones, quàm ad ciuilē horū temporum & morū vſum. Omnia tibi ſuppeditāt, puriſſima religio, rariſſima tempora, partium meliorū ſtudium, rerum experientia, principum notitia, vſus, iudiciū, eloquentia, omnia profectò ſumma. Quid volo, tu vides, & quid potes, ego intelligo. Quantum debes veræ religioni, cauſæ meliori, patriæ libertati, aliorum iniuriæ, tuo etiam ſtomacho, atque omniū bonorū deſiderio tribuere, meo cōſilio, non leuiter æſtimabis. Vides quô euectus ſum, mi Sturmi, & fortaſſe mirari vis, quo iudicio hæc requiro in explicatione præceptorū Rhetoricorū: eo ipſo profectò iudicio, quo ipſe vſus eſt, qui ſuū amicū rogauit, vt in ſe ornando, omnes hiſtoriæ leges negligeret. Et eò rectiùs, in hac cauſa, me ſentire puto, quam ille ipſe intelligendi dicendiq; præceptor, quòd is nonnihil ſe amare, ego ad ſummam amici laudem, ad præſentē maximum vſum, ad poſteram & nunquam interituram admirationem omnia referre videor. Vereor, mi Sturmi, ſtultus tibi videri, ineptus atq; inſolens, in toto hoc loco, ſi non quantū ſem-

per censuræ tuæ prudentiæ ego soleo tribuere, tantum nostræ amicitiæ, cùm ad te scribo, putarē abs te concedi. Sed pergo ad alia. Est hîc Spiræ vnà nobiscum clarissimus vir D. Marcus Antonius Damula, Venetus legatus ad Cæsarem, tui studiosissimus, & mei amantissimus, multiplici doctrinâ, linguarum peritiâ, & vsu magnarum rerum, quibus, in insulis & reliqua Venetorum ditione, summa cum laude prudentiæ & abstinentiæ præfuit, mirificè excultus. Ego ab illo multa audio de Contareno, Bēbo, & Sadoleto, & ille vicissim sæpe à me perquirit de Sturmio. Aiebat mihi, se misisse ad te donū, cùm esset proximè Argentinæ, & maximè indoluisse, quòd tum caruerit expectata consuetudine familiaritatis tuæ. Rogauit me, vt aliquam diligentiam, in suo studio erga te declarando, & te, nomine suo, officiosissimè salutando, adhiberē, & nisi hoc tempore in lecto infirmus decumberet, hunc meū mihi sanè pergratum laborē, suis ipse literis longè gratioribus leuauisset. Intelligat quæso proximis tuis ad me, aut si vis, ad illum literis, & me memorem, & te gratum existere. Accessione præclaræ amicitiæ, nullas opes præclariores esse duco. Rogauit me, vt cras ad se venirem, & mecū adducerem Rhetoricum tuum Aristotelicum, vt illo dulci ser-

sermone acerbos doloris sui aculeos, quib. pungitur, veluti ablineremus. Atque cum ego libentèr legam, & ille auscultabit auidè, vterq; perfectò gratissimam tui memoriam vsurpabimus. Vide quàm prolixus sum, mi Sturmi, quoties ad te scribo, quod facio, vel quia te plurimum amo, vel quia tecum loqui videor, vel quia te ad longissimè scribendum elicere cupio. Cum essem Argentinæ, putabam me veterem Spartam videre, exceptis vestris fortissimis mœnibus & multum laudabam Laconicam illam & frugalitatem in victu, & tristitiam in vultu, mores simplicitate rustica potiùs horridos, quàm ad versutiæ leuitatem comparatos: animos quidem magnos, sed eos quidem Laconico more valdè cunctantes. D. Legatum scias tui esse studiosissimum, qui sic in Angliam de te scripsit, vt nec meliùs nec aliter ego ipse exoptarem. Quando ad illum scribis, scribe diligẽter, nam inter omnes Anglos, neminem reperi, qui, quod prudenter & eruditè scriptũ est, aut æstimet grauiori iudicio aut accipiat gratiori animo. Toxites noster fuit nobis lõgè gratissimus, quem olim eruditũ virum ex literis, nunc optimum hominẽ ex consuetudine & morib. facile esse iudico. D. Legatus, credo nũc tibi rescribit, ex illis spero literis plura intelliges. Saluta quæso, Nobiles illos fratres, Antonium & Philip-

pum Vert. Vale in Christo Iesu. Spiræ. xx. Octobr. Anno 1552.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

FActum est hoc longum, & duorum annorũ scribendi interuallum, non voluntate mea, nõ obliuione tui, non neglectione officii, clarissimi Io. Sturmi. Nec sanè vlla defuit mihi vel scribendi materies, vel mittendi facultas: sed rerum, non quidẽ publicarum cõuersiones & communia tempora, at priuatarũ difficultates & propria negotia, impedimento mihi solummodò fuêre. Nuptias meas intelligo, de quib. ad te allatum est; quas homo turbulentus, irritas facere summoperè contendebat. Sed sententiâ iuris, & æquitate causæ meæ hic homo fractus est, & omnia mea ritè explicata, & ex animi mei sententia constituta sunt. Itaque, quod commissum est hac nimis longa scribẽdi intermissione, literarum crebritate deinceps libentèr reponã. Et ecce tibi percõmodè, Ioannes hîc Metellus, vir doctissimus & tui studiosissimus instat & vrget vt scribam ad te. Nam repetẽs Italiam, Argentoratũ cogitat, tui solius salutandi & conueniẽdi gratiâ. In Angliam venit, comes itineris, & socius cõsiliorum Antonii Augustini, quem Papa Iulius III. ad Reginam nostram superiori anno nuncium legauit. Hi duo Anton. August.

gust. & Ioan. Metellus interlocutores sunt in eo libro, quem Hieronymus Osorius Lusitanus, Ciceronianè, id est prudentèr & disertè conscripsit de gloria. Vt amplectaris Ioannem Metellum, tàm eruditum virum, tàm studiosum tui, & mei valdè amantem, non opus est, vt te rogem. Scio enim quòd humanitas tua efficiet, vt mihi Metellus literas & longas, & gratiarum plenas scribat. Ex sermone Ioan. Metelli omnem rerum Anglicarum statum intelliges, ab eo qualis sit, Nobilissima D. mea, D. Elizabetha, quam ipse meâ operâ alloquutus est. Quantum illa præstat, Græca, Latina, Italica, & Gallica linguâ, imò qua rerum cognitione, & quàm docto & intelligente iudicio prædita sit, ipse tibi fusè enarrabit, vt vel Metello teste, plane cognoscas, nihil vnquam à me affixum fuisse eius laudibus. Sed hæc & multa alia ab ipso Metello. Nunc pauca de me, meisque rebus. Quantum debeo tibi, mi Sturmi, mi optatissime Ioannes Sturmi, pro illis literis quas Pagetto, in meam gratiam scripsisti, non præsentes literæ declarare, nō fortunæ meæ compensare poterunt. Efficiam tamē, Deo volente, vt posteritas intelligat, amicum fuisse & Sturmium valdè gratum, & Aschamum non immemorem. Quæ mihi superiores reges Henricus & Eduardus

concesserunt, ea non solũ integra restituta, sed conduplicata omnia sunt. Factus sum etiam regi & reginæ secretarius pro lingua Latina. Quod munus, vt me Christus amet, non cõmutarem, si quæuis mihi alia pro arbitratu meo viuendi optio proponeretur. Steph. Episcopus Wintoniensis summus Angliæ Cancellarius, summa humanitate atque fauore me cõplexus est, vt paratior fuerit Pagettus ne in me cõmendando, an Wintoniensis in me tuendo atq; ornando, facile diiudicare non queam. Non defuerunt, qui cursum beneuolentiæ illius in me conati sunt impedire, religionis caussa, sed nihil profuerunt. Itaq; plurimum debeo Wintoniensis humanitati, & libenter debeo: Neque ego solus, sed multi etiam alii experti sunt illius humanitatem. Cogitabam & id sæpè, agere cũ eo de tuo præclaro opere Analytico. Scio enim ita fauere studiis literarum, vt plurimũ polliceat mihi de illius largitate. Et si tu ita velis, ad meque scripseris mentẽ tuam, rem libenter, &, vti spero, feliciter tentabo. Nihil incõmodi erit in hac re, mea certè opinione. Gratias ago tibi summas pro tuis ad Pagettum literis: in quibus tã gratum mihi fuit, tui de me iudicii testimoniũ, vt longè optatior mihi sit voluptas, quã capio ex tua beneuolentia, quàm esse possit vlla commo-

ditas,

ditas, quæ proficiſcitur ex Pagetti beneficio. Sed de his aliâs & fuſiùs. Reuerendiſſimus Cardinalis Polus valdè humanus eſt, & haud ſcio an quiſquam Italus, eloquentiæ laude, cũ eo comparari queat. Me vtitur valde familiariter. Hac æſtate cum apud eum panderem, incidens in ſermonem de eruditis viris huius ætatis, honorificam tui mentionem fecit. Tum ego, de tuo Analytico opere, de Rhetor. Ariſtotelico, pro noſtro amore, & meo de te iudicio libenter & copioſè; ille verò probauit valdè inſtitutum tuum, poſtquam ego loquutus ſum de ratione hac & facultate Analyticâ, quæ non in conquiſito literarum ordine, ſed naturali rerũ compage cerneretur. Et palàm & ingenuè affirmabat in te fuiſſe, non ſolùm magnã doctrinam, & raram eloquentiam, ſed moderationẽ etiam atque iudicium. Quærebat porrò à me, an quicquam ego vnquam vidi de libris Ciceronis de republica. Aiebat ſe ſemel 2000. aureorum conſumpſiſſe, mittendo certo quodã homine in Poloniam, qui eos libros perquireret; quorum illic inueniendorum ſpem quidam ei fecerat. Ego ſtatim narraui, quid tu ad me olim de illis libris: Et rogauit, vt ad te ſcriberem, vt ſciremus, ecquid ne certi de illis libris. Valde ſolicitus ſum de quinque Rhetoricis libris quos Ver-

teri fratres, vti ſcribis, ſecum in Italiam deportarunt. Eò ſum ſecurior, quò amantiores tui eos eſſe ſcio, valdè tamē auidus ſum ſciendi, quid fit illis libris & quò progreſſus es in reliquis: Et an mutares conſilium introducendi me in eū ſermonē, quod amanter potius quàm prudenter à te factum eſſe iudico. Sed nihil optatius mihi accidere poteſt, quàm noſtri inter nos amoris, tam præclarum poſteris etiam extare teſtimonium: Omnia præclara in primo & ſecundo libro, (eos tantùm vidi) ſed teipſum ſuperas, quando digrederis, vt in illis inſignibus locis, de vitæ breuitate, & temporis habenda ratione. Cumq; ego tres dies permanſi Argētinæ, valdè credibile erit nos incidiſſe in varios ſermones, de Aula Cæſaris, de belli paciſq; temporibus, de ratione ſtudiorū, & non conſumpſiſſe totū illud tempus, in ſubtilib. de ipſa arte diſputationibus. Et illa apud Platonem potiſſimùm, & Ciceronem etiam τὰ πάρεργα ſuperant, meâ opinione, ipſa τὰ αὐτὸς ἔργον. Sed ineptus ego qui hæc ad te: aſt omnia aſſignabis liberæ noſtræ amicitiæ. De vxore quod cupis ſcire, vultu valdè refert matertera ſuam D.R. Walopi vxorem. Et habeo talem vxorem qualem Ioann. Sturmius Rogero Aſchamo libenter optaret: nomen eſt Margareta, dies nuptiarum fuit primus Iunii menſis 1554. ſi quid

vel

vel in illo nomine, vel illo die læti ominis insit. Si aues scire, quidnam rerum ago in Aula, intelligas nunquam mihi magis optatum otium concessum fuisse in Academia: quàm nunc est in regia. D. Elizabetha & ego vnà legimus Græcè orationes Æschinis & Demosthenis περὶ στεφάνου. Illa prælegit mihi & primo aspectu, tam scienter intelligit non solùm proprietatem linguæ; & oratoris sensum, sed totã causæ contentionem, populi scita, consuetudinem, & mores illius vrbis, vt summoperè admirareris. Sed hæc melius à Metello nostro, qui aiebat se pluris facere vidisse illam, quam vidisse Angliam. Siquis amicus tuus optatissime Sturmi, quicquã negotii habuerit expediendum in Anglia, vel apud Regiam Maiestatem vel apud D. Cancellarium, scribe tu ad me, & intelliget amicus tuus, quantum Aschamus Sturmio suo tribuendum esse iudicat. Si vnquam enim vel tibi gratum quicquam, vel tuis commodum vllum facere possum, si non dixeris, iusseris, mandaueris, ingratum te esse iudicabo. Sed oblitus sum penè illius rei, de qua inprimis ad te scribere volui. Liber Cardinalis Poli de vnitate ecclesiæ, hoc anno impressus Argentinæ, peruenit ad manus illius. Ille ipse ostendit mihi librum. Est hîc cum Cardinale quidam patricius Venetus D. Priulus electus Episco-

biennio. De Thalassio tuo in Angliam mittendo, vel toga Romana, vel Attico pallio, vel Dorica veste induto sæpè cogito, & libenter expecto. Postremò, ego te, & mea tuam vxorem salutat. Vale & rescribe. Grenouici. Septem. 14. 1555.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S.P. Quid hoc est mi Sturmi, Michaël Toxites, tam communis amicus, tam optatus Tabellarius, isthinc huc sine tuis ad me? An Coocus, an Halesius, an quisquam Anglorum omnium, aut tui studiosior, aut tuarum literarum audior quàm ego sum? Ast videor audire te contrà, hem mi Aschame? Tu mecum silentium scribendi expostules, qui nè aliquid quidem literarum hoc triennium ad me? Ex tota hæc mea tecum expostulandi ratio, non iracunda, non obiurgatoria, sed insidiosa prorsus, & à me, data operâ, subornata est. verebar enim ne tu, quod iure quidem poteras, priores de taciturnitate, expostulandi partes occupares. Sed valeant ista, iam verè & apertè scribam mi Sturmi, non voluntate mea, non obliuione tui, non neglectione officii, factum est hoc tam longum scribendi interuallum. Non quia deerat mihi, vel scribendi materies, vel mittendi facultas, tam

diu noſtræ conticuerunt literæ: Sed cum iuſtam cauſſam à me audies, non iram tibi, & ſtomachum contra me, ſed dolorem & mæſtitiam pro me, quem ſcio amas, commouebo. Hos quatuor proximos ſuperiores annos, ita continentibus febribus correptus ſum, vt vna vix me vnquam reliquerit, quin etiam altera ſtatim ſit conſequuta: Atque ſic rationes, ſalutis meæ omnes, iſtis nexis & iugatis ſebribus, ſunt fractæ & conuulſæ, vt iam corpus meum omne, febris illa hectica occupauerit: cui, medicorum filii, alleuamentum aliquando, remedium ſolidum nunquam pollicentur. Iam, qui ſunt veri amici, & inter eos certiſſimus amicus meus Ioan. Haleſius, crebrò occinunt mihi lugubre illud Thetidis ad filium apud Homerum carmen Il. I. ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ, &c. Sed quando refero me ad illum veræ integræque ſalutis præceptorem, qui affirmat, tantum adiici homini interno, quãtum adimitur externo, non mærotibus me dedo, ſed noua nouæ quidem vitæ gaudia, ex hac valetudinis meæ infirmitate percipio. Ac de his rebus plus aliâs, cupio enim hoc tempore, lõgum tecum inſtituere ſermonem, cum reuera minimum otii ad id efficiendum in præſenti mihi ſuppetat; ſic meumque tempus omne, his ipſis dieb. ſereniſſima Regina ad ſcribẽdum tot literas diſtrahit. Recentiſ-

ſimæ

ſimæ tuæ ad me literæ, datæ ſunt 15. Ianuarii, 1560. quarum literarũ duo capita, alterum de negotio Scotico, alterũ de Reginæ connubio me cõmouebant, vt eas ipſas Reginæ legendas darẽ. Illa, in vtroq; ſingularẽ tuam erga ipſam obſeruantiam & prudẽter animaduertit, & amabiliter agnouit, atque prædicauit. De rebus tum temporis Scoticis, tuum valdè probauit iudicium, & te, de tua pro nobis & noſtris etiam nunc deamat ſolicitudine. Locum de connubio, ter (probè memini) perlegebat, ſuauiter quidem ſubinde arridens, ſed pudicè admodũ & verecundè conticeſcens. De illius connubio, mi optatiſſime Sturmi, certò quicquam, nec ego quod ſcribam, nec quiſquam alius, ſcio apud nos quod ſtatuat, habet. Non de nihilo, mi Sturmi, ſed iudicio olim, inprimis ego meis illis prolixis ad te literis, ſcripſi, illam in omni vitæ ſuæ ratione, Hippolyten, non Phædrã referre. Quem locum ipſe tum, non ad corporis cultum, ſed ad animi caſtitatem, omninò referebã: naturâ enim ſuâ, non cuiuſquam conſilio, à nuptiis tam aliena, & abſtinens exiſtit. Cùm ſciam aliquid certi, primo quoque tempore ſcribam ad te: intereà, de rege Suecorũ non habeo vllã, quam tibi ſpem faciã. Cupio vt ſcribas aliquando ad D. Cecillum; eſt enim & in religione integerrimus,

& in republica prudentissimus, & vtriusque
sanè post Deum & principem columen fir-
missimum, & etiam literarum & literato-
rum hominum amantissimus, & in vtraq;
lingua ipse quoque pereruditus. De rebus
nostris, aues, scio, audire ex me: neque ego
habeo, quod potius scribendum putem,
quàm de ipsa Regina. Complectar igitur
breuiter, quàm magnas ipsa atque præstan-
tes res, ex quo gubernacula rerum suscepit,
& prudenter molita est, & feliciter perfe-
cit. Primum officium suum Deo dicauit:
nam religionem, quam miserè fœdatam
inuenit, præclarè perpurgauit: in qua re per-
ficienda eam adhibuit commoderationē,
vt ipsi Papistæ non habeant dicere, secum
duriter actum fuisse. Hanc pacem cū Deo
constitutam, sequuta est pax cum omnibus
principibus, & tamen cum ipsa ad summā
rerum accessit, regnum hoc, gemino impli-
catum bello, Scotico & Gallico, inuenit.
Deinde Guisianis mira spirantibus contra
nos, tam fortiter & prudēter restitit in Sco-
tia; vt iam inter vtrunque regnum, & inter
vtramque principem, tam secura pax, tam
arcta amicitia intercedat, quàm inter duas,
vel quietissimas vicinias, vel concordissi-
mas sorores queat intercedere. Postquam
religio primùm, deinde respublica, tam o-
ptatæ tranquillitati fuerat restituta, ani-
mum

mum appulit ad alia regni magis domestica ornamenta ritè constituenda. Pecuniam deprauatam vniuersam, & totam factam æneam, argenteam & puram effecit: opus arduum & regium, quod, non Eduardus, non Henricus ipse, vel aggredi vnquam ausus est. Armamentarium conquisitissimo apparatu sic instruxit, vt nullus Europæus, scio, princepes, par ostendere queat. Classem itidem ab omni apparatu, siue rerum copiam, siue hominum facultatem spectes, ita ornauit ac muniuit, vt opes opulenti alicuius regni in hanc vnam rem erogari videri queant. Hæc publica & totius regni sunt ipsius magis propria, siue studia, siue amores aspiciamus. Iniuriæ priuatæ facilè obliuiscens, iustitiæ cõmunis seuerè colens est, sceleris gratiã nulli facit, impunitatis spem nemini relinquit, licentiam omnẽ omnib. præcîdit. Hoc denique Platonis præceptũ in omni actione sua, ante oculos suos semper proponit, vt Leges dominæ hominum, non homines domini legum, in toto Angliæ regno existant. Præterea, res & opes subiectorum, minimè omnium principum appetit: suas ad priuatam omnem voluptatem, parcè, & frugaliter, ad publicũ quemque, siue communis commoditatis vsum, siue domesticæ magnificentiæ splendorem, regificè & largitèr attribui iubet. Iam verò

quas ex se laudes habet, & quæ sunt in ipsa ingenii & doctrinæ ornamenta, in aliis literis ad te perscripsi, hoc nunc adiiciam: non esse in Aula, in Academiis, non inter eos, qui, vel religioni, vel reipublicæ præsident, apud nos quatuor nostrates, qui meliùs intelligunt Græcam linguam, quàm ipsa Regina. Cum legit Demosthenē vel Æschinem, admirationem mihi ipsa sæpenumerò mouet, cum video illam scienter intelligere, non dico, verborum potestatem, sententiarū structarum, proprietatem linguæ, orationis ornamenta & totius sermonis numerosam ac concinnam cōprehensionem, sed illa etiam quæ maiora sunt, Oratoris sensum atque stomachum, totius causæ contentionem, populi & scita & studia, vrbis cuiusque mores, atque instituta, & quæ sunt huius generis reliqua omnia. In aliis linguis, quid & quantum potest, omnes domestici, plurimi exteri, testes existunt. Adfui ego quodā die, cum vno tempore tribus Oratorib⁹, Imperatorio, Gallico, Suecico, triplici linguâ, Italicâ vni, Gallicâ alteri, Latinâ tertio facilè, non hæsitātèr, expeditè, non perturbatè, ad varias res, tum illorū sermone, vt fit, iactatas respondebat. Vt ipse videas quàm politè illa scribit, mitto ad te, his literis inclusam schedulam, in qua habes verbū, *Quemadmodum*, propriâ

propriâ Reginæ manu conscriptum. An iucundum tibi sit spectaculum, & gratum munus, proximis literis tuis, significa. Et hæc de nostra nobilissima Regina, & mea seorsum munificentissima Domina, & Ioannis Sturmii etiam perstudiosa. Atque si contigerit vnquam tibi, in Angliam venire, ex ipsius ore, credo, intelliges, Rogerum Aschamum, Ioannis Sturmii, apud tantam principem, memorem amicum fuisse. Hunc sermonem de hac præstantissima nostra Regina, tu credo, legis, ego certè scribo, cum summa vtriusque nostrûm voluptate. Si nuberet, laudi ampliori locum non relinqueret. Vtinam tu, mi Sturmi, quam ex optimis & sapiendi & dicendi fontibus hausisti, siue vim ex Demosthene, siue eloquentiam ex Cicerone, ad hanc rem persuadendam adhiberes. Neque à te honestior causa suscipi, quàm hæc est, nec à me maior facultas optari, quàm in te est, altera vlla potest; vt ipsa deligat quem vult, cupimus: vt alii quenquam ei designent, non cupimus: & nostratem potiùs quam vllum externum, omnes nos expectamus. Nolim te hæc nescire, si fortasse tu aliquid aliquando de hac re cogitare velis: Nam si ad tot illa eius erga hoc regnum beneficia, quæ à me paulò antè commemorata sunt, hoc vnum addat, nulla gens nobis beatior esse poterit. Dea-

liis rebus nostris, aliàs: nunc venio ad te, mi Sturmi. Gaudebam cum intellexi ex tuis ante annum literis, ad Ioannem Halesium scriptis, Aristotelem tuum Rhetoricum esse absolutum: & mirificè mihi placuit illud, quod addidisti. In illis vos omnes, etiā Morisinus & Checus. Cum intellexi ex sermone Toxuæ nostri, eos libros omnes, Verteros fratres secum in Thuringiam deportasse, minimè quidem gaudebam. Cauere debent illi fratres, ne non tam genere & doctrinâ nobiles, quàm hoc facinore nobilitati sint. Iniuriam faciunt tibi, ipsis literarum studiis, & multorum bonorum solicitæ expectationi, & nisi de meipse scriberem, inprimis etiam mihi: qui licèt non author, hortator tamen tibi fui, vt hos præclaros labores luce & immortalitate dignos, tenebris & sordida aliqua cistula indignissimos susciperes. Si verò isti præstantes ingenii tui fructus, per horum iuuenum sordes atque auaritiam putrescant ac intereant, ego ipse profectò experiar: sed reprimā me, nec grauius aliquid in eos dicam, priusquam de hoc illorum facto sententiam tuam intellexero. Itaque si me amas, mi Sturmi, dum adhuc viuo, (nam vt scripsi, hectica mea mihi valdè minitatur) ne permittas me fraudari suauissimo horum librorum fructu. Primum & alterum librum habui: sed primum,

quem

quem legendum commodabam Gualtero Haddono supplicum librorum Magistro, negligentiâ famulorũ eius amisi. His libris sæpè perlectitandis meipse delectaui: his superioribus nundinis reliquos omnes expectabam. Effice quæso ne diu frustretur hæc nostra expectatio, quæ cum tua tanta laude, cum studiosorum omnium tanta commoditate coniuncta est. Vehementèr gaudeo, te, quod scribis ad Ioannem Halesium, scripsisse pro Philippo, contra Staphilum sycophantam. Ex scriptis illius, colligo eum esse nõ solùm Gnathonẽ circumforaneum, sed Thrasonem etiam aliquem, scilicet honorarium: nam quàm inepta sit eius & insolens arrogantia, satis apparet ex subscriptione suarum literarum ad Episcopum Eystatensem, vbi ait, Tuæ D. &c. Fredericus Staphilus Cæsareæ Maiestatis Cõsiliarius, id quod populus curat scilicet. Nec puto ego hanc esse Impressoris culpam, sed ipsius Staphili proiectam impudentiam: nam hoc idem ipse de se, in libello contra Philippum scribit. Liber ad Eystatensem Episcopum, superiori anno, ab eo scriptus est Germanicè, versus Latinè opinor, per fratrem Carmelitanum: impressus Coloniæ, totus virulentus est. Rogo te, non per Sicelides Musas, sed per ipsas sacras literas, vt librum tuum contra Sta-

philum, in lucem exire primo quoque tempore permittas. Mirifica perfundebar lætitiâ, cum legi in literis tuis impressis, ad Coocum nostrum, te scripsisse, de controuersia Cœnæ librum, vt ipse ais, minimè iracundum, tamen vt tu speras, argumentosum. Facilè fidem tibi adhibeo, mi Sturmi: noui enim naturam tuam, ad quietem & pacem, non iracundiam, & contentionem esse propositam. Noui etiam doctrinam tuam, qua facilè soles, & probare quod suscipis, & vincere vbi pugnas, & vbi vires tuas exerendas iure esse censes. Gaudium mihi grandius non contigit hos multos annos, quàm cum Toxites noster mihi narrauit, tua studia sacris literis mirificè esse addicta. Causa religionis plurimũ quidem amisit, discessu Philippi atque Buceri. Sed plus profectò recuperabit accessu Ioan. Sturmii ad illius propugnationem. Precor à Deo patre & Domino nostro Iesu Christo, vt eius spiritus accitu euoceris, è latibulis Parnassi & Heliconis, ad lætissima pascua montis Sionis, montis pinguis: in illius spiritus ductum te totum ipse des. Et quanquã ipsi tibi libenter concederẽ, & hospitium Romæ, & diuersorium Athenis, vt ad vtram velis vrbem, voluptatis causa, & veteris necessitudinis atque familiaritatis recolendæ gratiâ, aliquando diuertas, assiduam

duã tamen habitationem tuam, & tabernaculum non solùm vitæ, sed studiorum tuorum omnium, in ipsa Hierusalem, ciuitate magna Dei, optarem perpetuò collocari. Et credo ego, multa orationis, & clariora lumina, & grandiora fulmina, posse abs te ostendi, in nostris illis, Dauide, Esaia, Ioanne, & Paulo, quàm in omnibus Pyndaris, Platonibus, Demosthenibus, atque Ciceronibus vnquam emicuere. Oro Deum, si fas sit hoc petere, vt eam mihi huius vitæ vsuram concedat, aliquãdo vt videam aculeos styli tui, vel tua sponte exertos, vel quonis alio elisu excussos, contra fucos Pontificum, qui cellas cælatiores, & nidos omnes ferè meliores in ipso Dei templo occupant. Vereor, mi Sturmi, ne plus te hac præsenti mea prolixitate offendam, quàm omni illa mea superiore scribendi taciturnitate, & expostulatione: quanquam si partiri vis hanc loquacem, in varias literas, dici non potest, quin multas ad te iam scripserim. Sed ignosces, vti spero, meæ prolixitati: quam si offensam vllam tibi pariat, vlciscere quæso prolixioribus tuis. Rogo te, mi Sturmi, quid sentias de Dionysio Halicarnasseo? credo ego illum fuisse ipsum Dionysium, qui docuit in ædibus Ciceronis, & cuius frequens mentio est in epistolis Ciceronis: Cicero eius probat eruditionẽ plurimùm, mores non item. Cum

discesseris ab illa vna vrbe, & ab illa vna Philippi & Alexandri ætate, non video, quem Græcum, non Plutarchum ipsum excipio, cum hoc Dionysio Halicarnassæo possis cōparare. Cupio scire ex te, an hęc opinio mea, tuo iudicio, sit aliqua, an prorsus inanis. Libellus enim ad Tuberonem, de iudicio suo, de Historia Thucydidis, mirificè mihi placet. Vxor mea, quia scit te à me amari, ipsa etiam diligit tuam vxorem: & suæ beneuolentiæ μνημόσυνον, annulum aureum in formam sagittæ redactum ei mittit, cum hac inscriptione, *Donum fidelis amici*. Toxites habet annulum. Vale. Londini. 11. Aprilis. Anno Domini 1562.

ROGERVS ASCHAMVS IOANNI STVRMIO.

S. P. Cùm nos inter nos eodem erga literas religionem, Remp. & mutuam amicitiam, studio, iudicio, animo atque sensu coniungimur, opto ego sæpè, adeoq; volo, vt nostri itidem aliquo insigni nexu, nonnulloque paris inter se quoque amoris alēdi incitamento contineantur. Et propterea, cum vxor mea ante octo dies, iam tertiò me patrem fecerit, cui meo filiolo, in perpetuam nostræ amicitiæ memoriam, nomen posui, Sturmius Aschami. Precor à Deo, & in dies singulos precaturus sum, vt is, perinde

de vt nominis, ita doctrinæ virtutisque tuæ aliquam similitudinem referat. Hunc ergo tuum tibi, licèt non agnatione, non gente, sed ipsa nominatione, ac parentum voluntate coniunctum, quomodo fieri potest, tuæ fidei trado, tuæ tutelæ commendo: vt si quid mihi humanitùs accidat, tu eum eâdem humanitate & beneuolentiâ complectare, qua me Patrem eius, anteà semper prosequi, consueuisti: περὶ μὲν γὰρ τῆς ἡμετέρης ἀγγελίας, satis fusè cum fusis lachrymis; & minus dolenter, in prolixiorib. illis meis literis, superiori Aprili, per Toxitem nostrum, ad te missis, ipse scripsi. Solicitus sum & auidus sciendi, an illæ literæ ad manus tuas peruenerint. Scripsi etiam ad te per Henricum Knolles, Oratorem serenissimæ nostræ Reginæ ad Germaniæ Principes: ab eo (est enim tui perstudiosus) commodissimè intelliges omnem rerum nostrarum in Anglia statum. Serenissima Regina est, & optimè animata, & ab omni re commodissimè parata, ad frangendam vim illam & tyrannidem Guisianam: ad propugnandum pro incolumitate impuberis regis, pro salute innocentis populi sine omni, vel iniuria in illum Regem, vel detrimento in illud regnum, vllo modo intentando. Hoc (credo) die, milites nostri ingressi sunt in Normandiam, quod tu priùs ex ipso ru-

more, quàm ex his noſtris literis intelliges. Vtinam, mi Sturmi, tu ſcribere velles ſeparatam hiſtoriam huius coniurationis Guiſianæ. Materies præclara eſt, digna tua doctrinâ, facultate, ſtudio erga puram religionem, amore erga illam gentem, animo in ipſam cauſſam, & ſtomacho etiam contra illos tam impiæ tyrannidis immaniſque crudelitatis authores. Sæpiſſimè legi, meminero ſemper præclari illius loci, quem tu tractas de recta ratione ſcribendæ hiſtoriæ, in quâdam tua Epiſtola ad Eraſmum Epiſcopum veſtrum Argẽtoratenſem. Cum ad illam facultatem, quam in te eſſe, is locus arguit, reſpicio, cæteros facilè contemno, & vt tu tale munus aliquando ſuſcipias, à Deo optimo maximo precibus & voto expoſco. Hoc meum deſiderium, multum leniuit ſermo huc è Germania allatus, tibi à Principibus Germaniæ prouinciam eſſe datam perſequendi ſtylo tuo τὰ παραλειπόμενα Ioannis Sleidani. Hoc ita eſſe, p e Reginæ noſtræ omni aſſeueratione affirmaui. An ita ſit, quæſo, me certiorem facias. De Rhetore tuo Ariſtotelico, de libris, altero contra Staphilum, alterum de cœna Domini aueo ſcire: De reliquis item ſtudiis & rebus tuis. Haleſius noſter ruri eſt, hodiè ad illum ſcripſi. Coocus quoque ruri eſt. Cecilius, ſtudio, ingenio, prudentiâ, & conſtan-

ſtantiâ primum illum verſum ſecundi lib. Iliad. Homeri, cum magna & eius laude, & noſtrorum vtilitate & exterorum, vt ſpero ſalute, præclarè ſuſtinet. Ipſe, nunquam, Deo ſint gratiæ, in maiori gratia fui apud ſereniſſimam Reginam. Aliquid Græcè aut Latinè quotidiè mecum legit. Mea vxor tuam & te ſalutat. Vale. Londini xx. menſis Octobris

1562.

DISERTISSIMI VIRI ROG. ASCHAMI ANGLI, REGIÆ maiestati à Latinis Epistolis, Familiarium Epistolarum,

LIBER II.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO patri, D. Eduardo Leo Archiep. Eboracensi.

CVM satis apertũ & expressum iã anteà, cũm scriptura, tùm corã sermone, audaciæ atq; temeritatis meæ testimoniũ apud dignitatẽ tuã sanctissime pater, reliquissẽ: vsq; eò tamẽ confidentiùs ad nouã quandã interpellationẽ grauissimis tuis occupationib. inferendã adducebar, quòd partim humaniss. D. tuæ ꝓcuratione animatus, partim officii mei ratione concitatus, ad id efficiendum impellebar. Petitiones autem atq; vitæ nostræ rationes omnes plenè & abundè satis in literis nostris Græcè ad D. tuam scriptis exposuimus. Ostendimus enim nos, iam nunc Ægypto relicta, & quamuis non eximiis illis & primariis, haud pœnitendis tamen spoliis illius contentos, ad exoptatissimam & desideratissimam illã patriam studiis nostris

stris

stris colendam, viam propediē acceleraturos. Et cum satis felix & prosper nobis priùs aditus patefieret, ecce subitò oppositis & obiectis immanissimis bestiis lōginqui morbi grauitate, & inde summa rerum collecta angustiâ, sic vndiq; literarum mearum cursus impeditus erat atque retardatus, vt non solùm omnis liberè progrediendi, & expeditum iter habendi facultas esset intercepta, sed vel tardiùs & pedetentim subsequendi spes etiā vniuersa esset erepta. Itaq; si dominationis tuæ bonitas, Musis nostris sic fessis & laborantib. inque confusissima rerum desperatione versantib. subuenerit, & ad studia illa literarum sacrosanctarum iampridē non sine diuino consilio (vt speramus) destinata alacriter reuocauerit, labore & omni animi contētione ad literas paratiss. obseruātiâ & studio ad D. tuæ necessitudines officiosissimè me sibi adiunxerit. Quod sanè ego beneficium; quo studia nostra propè fracta & dissipata, retenta fuerint & conseruata, in perpetua quadam eaq; gratissima memoria sum defixurus. Et cùm nihil frequentiùs in quotidianis precibus & optatis habeā, quàm vt literarum studia ad aliquot annos quieto & tranquillo otio protendere atq; perpetuare possim, tamen post vnū atq; alterum annum literis diligenter impensum atque impartitum, meipsum denique ad amplitudinem

tuam conferam. Si scire velis ad quas res & necessitudines, operâ mea tua D. poterit vti, quæ tantum abest vt præstet summa, cum vix audeat polliceri mediocria, tamen si D. tua aliquid immortalitati tradere, & insigne aliquod summæ eruditionis tuæ monumentum posteritati relinquere voluerit, ego hac in re, vel locis conferendis, relegendis, adnotandis, & si quis liber fuerit, quem tibi aliis negotiis præpedito & detento euoluere non licuerit, in pauca redigendo, aliquibus molestiis & laboribus, D. tuam possim liberare. Græcis etiam transferendis opellam meam libentissimè impenderem & nauarem, cum huius rei non exigua, sed ampla satis & eximia, suppetit copia in Basilio, Chrysostomo, Theophylacto, & in cæteris tam excellentis notæ viris, qui quamuis satis eleganter, nescio an satis integrè & tutè Latinè loquãtur, cum in eorum hominum manus venerint, qui à iusta hæreseωs suspicione liberi & immunes non fuerint. Diligenter itaque videndum est, ne quid sanum polluerint, rectum obtorserint, sincerum deleuerint, nouum obtruserint. Sunt etiam in omnes Pauli & cæteras epistolas canonicas scholia, quæ nominantur Græcanica, ex probatissimis & antiquissimis Patribus selecta, Latinis auribus ad hunc vsque diem

(quod

(quod sciã) inaudita; opus vetustatis iuxtà ac eruditionis plenum, in quo quis stylum suum summo cũ fructu suo & emolumento publicè exercuerit. Hęc & his confinia literarum officia non prorsus (vt spero) ineptè D. tuæ effecta curarem. Tam procaci & arroganti apud D. tuam loquendi licentiæ meæ ignoscet, spero, illa tua omnibus illustrissima & testatissima humanitas, &c.

Desunt pauca.

ORNATISS. PRÆSVLI, D. ROBERTO LAVDAFFEN. EPISCOPO, *Regiæ Maiestatis Senatus & Consilii, Eboratẽ habiti & instituti, præsidi summo & dignissimo.*

CVm tot sustineas ac tanta negotia, Pręsul amplissime præsesque dignissime, magnam ego & iniuriam aliis, & tibi molestiam asportare videar, si tantillum temporis vel causis & negotiis aliorum detrahã, vel ad immensum illũ tuarũ quotidianarũ curarum cumulũ ipse quid adiiciã: videar etiã improbè & iniquè nimis fecisse, cũ cogitationes tuas literis nostris interpellare auderẽ, qui sic omnib. naturæ prudentiæq; præsidiis es munitus, vt cum homines summã illã tuam in decernẽdo prudentiã, in administrãdo iusticiã, in promouendo authoritatem animaduertant: communi quodã cõsensu atq; sermone, te ad hoc munus gerendũ quasi solum natũ esse iudicẽt. Erudi-

ti tamen homines, qui rerum æstimatores sincerissimi semper putabantur, quoties consilia moderationis & prudentiæ plenissima considerent, & animum tuum tam eximiâ omnium literarum vbertate abundantē sciant & agnoscant, collatis omnium hominum suffragiis, atq; vna voce, te præsidem, qualem Iethro in Exodo Mosi descripsit: prælulem, qualem Paulus ad Timotheum expressit: omnes ad vnum prædicēt. An non te nos omnes meritò suspiciamus & admiremur, cū Dei bonitate atq; prouidentiâ (quæ omnium donorum dispensatrix est æquissima) Episcopus fias vigilantissimus, Regiæ verò maiestatis iudicio prudentissimo, magistratus efficiaris summus? Quid est, si istud non sit, Eugè serue bone & fidelis, supra decem ciuitates te constituā: &, Ecce, inueni virum iuxta cor meū. Cum tu sis ergo, amplissime Pater, non tā iudex iustissimus, quàm præsul & antistes literarum ornatissimus, hinc Musæ nostræ animatiores redditæ, licèt lugubres & squallore obsitæ, ad pedes tamen D. tuæ deuolutæ atque prostratæ, manus supplices, vultumque confusissimum ad bonitatem tuam tēdentes, omnium literarū atque Musarum nomine te orant atque supplicant, vt caussam earum contra infestissimum omnis eruditionis hostem & aduersarium patroci-

nio

mio tuo suscipias & complectare. Caussam paucis expediam. Cum vndecim iam integros annos sic sum literarum linguarumq; studio in Academia Cantabrigiensi versatus, vt Ægypto relicta, ad sacrosanctā illam promissionis terrā studio nostro colendam, iam iam viam affectare instituerim, plus minus sexto ab hinc mense, quartanæ febris accessione, in eam rerū angustiam sum adductus, & cursus literarum nostrarum sic est præclusus, vt non solùm omnis expeditè progrediēdi facultas literis nostris intercipiretur, sed ad Academiam etiam reuertendi omnis mihi potestas propè adimeretur. Itaque, si Dominatio tua rebus nostris sic fractis & imminutis, literarum nomine, aliqua ex parte subuenire dignata fuerit, nō solùm studia nostra ope tua atq; munificētiâ retenta & conseruata esse publicè apud omnes doctos prædicabimus, sed etiam in posterum, quoad vsque vixero, omnia nostra studium, officium, operā, diligentiam, obseruentiam D. tuæ nutui paratissima, hoc tam eximio & exoptato beneficio adiunxeris. nec non Christum etiam Opt. Maximum (qui nec sinit poculum aquæ frigidæ, suo nomine petenti, tributum, mercedem perdere) quotidianis precibus fatigabimus, vt quicquid in hoc tempore impartiueris, id vniuersum copiosissimo cum fœnore ipse-

met tibi rependat, qui (quemadmodum ait Paulus) omne donum ipsi abundare potens est efficere. Pater cælestis sanctissimæ dominationis tuę curas atq; studia in omnē temporis longinquitatem promoueat & moderetur. Vale.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. ED. EBOR.

CVm proximo hoc anno, reuerēdissime in Christo pater, officii mei ratio, quâ me tibi obstrinxisti, Londinum vt peterem D. tuæ visendæ gratiâ persuasit, iter illud me in triplicem animi mærorem & doloris acerbitatem coniecit. Nam tui vidēdi & alloquendi fructu (quem sperabam) carere peracerbum, illud tamen incommodum meum, quod me solum tangebat, cum tāto salutis tuę discrimine, quod plurimos vt par erat, angebat, coniunctum esse longè acerbius: verùm ad hęc duo incōmoda, tertium accedere, nimirum eam viam, quā mihi ad maiorem gratiam tuam colligendam muniebam, eandē ipsam ad nonnullam animi tui offensiunculam faciendam perducere, ad omnem sensum doloris longè mihi acerbissimum fuit. Putabam enim ego nunquam fore hos commentarios, quos ex Basilio, Gregorio, & magnam partem ex Chrysostomo quasi horto purissimo,

ſimo, & omni cicuta ac noxiis herbis vacuo, Oecumenius col'egerat, plus veneni & præſentiorem peſtem ad exitium comparandum, quàm ſucci integri atque ſalubritatis ad ſalutem conſeruandam poſſe continere. Hæc res me domum regreſſum in varias cogitationes & anxiferas animi curas atq; ſolicitudines diſtraxit, & eò me grauius premebat, quò nullam eius partem vel intimis meis impartiebam, ſed eam totam mihi ipſi animo meo incluſam tenebam. Et cum iſta me diù anxietas torſiſſet, nec longo tempore ab ea cogitationem meam abducere potuiſſem, tandem id in mentem meam venit, quod ex animo omnem hanc mihi ægritudinem adimebat, & voluntatis tuæ non vllam factam mutationem, ſed illuſtrem ac teſtatam eiuſdem ſignificationem oſtēdebat. Nam hinc facilè perſpexi graues & prudentes viros nonnunquam nutus & obſcuris ſignis imperitorum hominum & rerum inſolentium errores redarguere. Cenſebat enim prudentia tua eam cogitationem ſtultè à me eſſe ſuſceptam, vt ante in tam rebus grauibus vertendi munus attētarem, quàm in aliis rebus vel momenti leuioris, vel periculi minoris vires ingenii mei periclitatus eſſem. Cum igitur D. tua, ſi quid ego video, non tam vllum factum meũ reprehenderit, quàm quomodo quid à me ſit faciendum o-

ſtenderit, ad hoc graue conſilium prudenſque monitum tuum omnes protinus ſtudiorum meorum rationes accommodabam. Statim enim in manus ſumpſi Sophoclis Philoctetem, quæ tragœdia ad imitationē, quantum potui, Senecæ verſa, & verſibus eiſdem Iambicis atque Choricis ferè omnibus (quibus vſus eſt Sophocles) reddita, in tuo nomine diuulgata apparebit, niſi huic meo propoſito Dom. tuæ ſententia palàm aduerſata fuerit. Quo facto officium meum & obſeruantia, qua me obligaſti, tibi erit declarata: & propenſiſſimus Dom. tuæ animus & voluntas, qua indies ſtudia literarum ſuſtentas, aliqua ex parte erit manifeſtata. Reſtat ergo vt rogem Dom. tuam, vt quemadmodum ego omnem obſeruantiam meam ad Dom. tuæ nutum atque voluntatem detuli & ſeruaui, ita Dom. tuæ fauor atque bonitas nullo modo erga me diminuatur. Dom. Ieſus Chriſtus Dom. tuam incolumem conſeruet.

MODERATO ET ERVDITO viro Ioan. Setono.

MOderatiſſimè vir, mundum ex amicitia conſtare, & ſeſe mutuâ quadam & concordi charitate cōplecti prudenter meo iudicio, & Poëta bonus, & Philoſophus grauis Empedocles Agrigentinus iudicabat. Quam ſententiam diuinitùs ad nos delatam,

ram, & in nostras mentes infusam, vel rude illud & imperitum hominum vulgus, ipso rerum vsu & pertractatione tritum, multis retrò abhinc seculis veram esse cōperiebat. Hinc est quòd nobis in nouum quenq; annum ingredientibus, & mundum veluti de integro renatum excipientibus, nihil prius aut maiori cura efficiendum, aut alacriori studio elaborandum esse ducamus, quàm vt summum illud amicitiæ numen, quod omnen hanc rerum vniuersitatem tuetur & conseruat, mutuis ad inuicem officiis conferendis, xeniolisque vltrò citroque missitandis, tanquam sacra facta libatione, auspicatò nobis imprimisq; placare contendamus. Idem censuit & sanctissimum illud vas Dei Paulus, quo, quum à Christo discesseris, nihil maius aut sublimius habes, cum dixerit, totius legis impletionem, mutuam quãdam & coniunctam esse dilectionem. Hi ergo qui distractis animis & voluntatibus, in dies singulos rixis & contentionibus student, præterquam quòd vniuersas DEI leges perfringunt atque violant, hanc ipsam etiam omnem præclaram rerum fabricam, quantum illi maximè possunt, conuellunt & labefactant. Itaque nos, quos idem virtutis & honestatis studium in vnum domicilium conclusit, quos arctior consuetudo coniunxit, quos ciuilior quædam hu-

manitatis nota tinxit, hanc eximiam alendæ quotannis amicitiæ consuetudinem, ab ipsis priscis seculis profectam, insigni quadam hominum humanitate semper cultam & firmatam, ad nostra denique tempora ductam & perpetuatam, in nobis omnis humanitatis cultoribus cessare non permittamus. Quamobrem, cum ego de munusculo, hoc tempore, ad te amicum præstantissimum mittendo, multùm cogitarem, nihil antiquius esse duxi, quàm tale donum parare, vnde, nec de facultatula nostra, vel tantilla facta esset diminutio, sed cumulata potiùs quædam quodammodo accederet accretio, & ex quo tu ipse etiam non vulgarem aliquam, sed solidam, non oculos ad tempus fouentem, sed animum multùm diúque oblectantem perciperes reconderesque voluptatem. Nec velim te existimare quod istud eo animo aut consilio fecerim, quod hoc modo cogitarem amicitiam nostram retinere, quæ est firmissima, aut auctiorem maioremque facere, quæ summa est & expletissima, & ad quam augendam nullus omnino locus appareat, cui aliquid possit accedere, sed partim vt mori atque tempori seruirem, partim vt animi erga te mei significatio, quantum fieri potest, expressior & testatior redderetur. Et hæc hactenus. Quantum ad libellum hunc, vel

vel schedulam si mauis, attinet, Oecume-
nius, quisquis ille fuerat, qui hos com-
mentarios congessit, idem, quod Theo-
phylactus, si quid ego iudico, consilium
intendisse videtur: nempe, vt omnia ea
quæ apud Dom. Ioannem Chrysostomum
vastum illud atque perenne Christianæ
Religionis flumen, fusè ac profluentèr es-
sent dilata, hic coarctaret, & in angustio-
rem quandam expositionem velut in v-
num aliquem alueum referciret. Neque è
solius Chrysostomi hortulis hos excerpsit
flores, sed plurima etiam deprompsit ex
Cyrillo, Gennadio, Theodorêto, Grego-
rio, Basilio, Seueriano, Phocio antiquio-
ris notæ viris, & eximia eruditione cum
summa vitæ integritate coniuncta prædi-
tis. Quorum monumenta in Epistolas
Diui Pauli aut magna ex parte iam tem-
poris iniuria exciderunt, aut certè ad ma-
nus nostras, hominum incuriâ, nondum
peruenerunt. Multum interim debe-
mus Oecumenio, qui sanctas has reli-
quias, veluti ex incendio quodam, & tem-
poris edacis faucibus, eripuerit, ereptas
Scripturæ mandauit, & nobis omni-
que posteritati transmittendas curauit.
Verti etiam commentarios in Epistolam
ad Titum, quos Reuerendissimo pa-
tri ac Domino meo Edoardo Ebora-

censi destinaui, modo illi tuo iudicio digni esse videantur, qui tanto præsuli offerantur. Maiora, DEO volente, aggrediar, si ista non ita displicuisse intellexero: & tu vlterius progrediendi, si non author mihi & impulsor, saltem approbator tacitus esse velis: sin minus, facilè pedem referam. In ipsius Epistolæ versione, Erasmum per omnia sum sequutus, nisi quod pro Rogo, verto ego Deprecor, authorem habens summum illum M. T. C. qui ait nos tum deprecari cum non factum defendimus, sed delicti veniam postulamus, in qua re vna tota hæc ad Philemonem versatur Epistola. Sin vero hoc, in re tam sublimi, summique momenti audacius factum esse videbitur, culpam fassus, veniam pro meo DEPRECOR, me à te facilè deprecaturum non despero. Vale. Et Aschamum tuum, vt soles ama. Anno Domini 1542. Calend. Ianuar.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. ED. ARCHIEpiscopo Eboracensi.

CVm & præteriti nostri officii, & singularis cuiusdam negligentiæ crimine manifesto teneri non immeritò videar, Reuerendissime pater, quòd hac superiore æstate nullas ad D. tuam literas dede-

rim,

tim, quamuis omnem prætermissi muneris accusationem iusta & idonea quadam purgatione redimere potuerim, magis tamen ingenui magisque pudentis ego esse existimarim, errati veniam agnoscendo impetrare, quàm liberationem culpæ occultando vendicare. Vt non scriberem, inprimis me persuaserat magnificus ille Regiæ maiestatis accessus, qui (id quod me minimè latuerat) D. tuam in eas curas demiserat, tantisque occupationibus detinuerat, vt vix tibi respirandi, nedum otiosa nostra relegendi facultas concederetur. Neque hoc tamen sic mihi opposito impedimento destiti, quin tum quidem scriberem, cuius rei, vt est integerrimus vir, ita locupletissimus testis esse poterit D. Ioan. Redmannus, cui eas literas ad dominationem tuam perferendas committebam: quem cum iam esset in itinere, & cæli grauioris, & quartanæ febris metus, qua superiore anno miserè affligebatur, ad nos vnà cum literis nostris reportabat. Sed vtcunque iusta negligentiæ nota mihi inuri possit, nunc tamen facere non potui, quin aliquid sublimitati tuæ offerrem, quo cùm meritorum acceptorum testificationē tū debiti nostri officii & obseruantiæ declarationem tibi significarem. Accipias ergo, ornatiss. Præsul, Præsulem illum Titum, quem vel eo

nomine multò tibi acceptiorem fore existimo, quòd, vt olim Cretensis ecclesiæ summæ moderandæ apud Titum, ita nunc Eboracensis quàm similimam curam apud D. T. excubare nouimus Oecumenius, quisquis ille fuerat, qui hos commentarios congessit, &c. Si quid eruditissime Præsul in hac versione, quæ prima ingenii nostri periclitatio est animaduertatur, quod vel negligentiâ oscitantèr perpendimus, vel imperitiâ non plenè assequuti sumus, in hac re, vt in cæteris omnibus, à D.T. moniti, erratum libentèr agnoscemus. D. Iesus Christus sublimitatem tuam diutissimè seruet incolumem.

EIDEM.

QVo maiore semper studio laborabam Reuerendissime in Christo pater, vt vitæ meæ rationes summis beneficiis tuis non indignissimæ esse viderentur, eò sanè nunc acerbius grauiusque ferre debeo, vllam in me animi Dominationis tuæ (quod mihi ita esse ex fratre tuo viro optimo retulit Thomas Conyerus noster) aliquorum hominum sermone factam esse offensionem. At quamuis non ignorem, quam sit mihi vel accusari graue, de praua & peruersa opinione multò grauius, apud D. T. longè grauissimum: tamen cum sciam has

falsò

falsò de me iactatas voces non posse sic prudentiam tuam occupare, quin plus apud D. T. æquo & bono, quam vlli vllorum peruerso sermoni loci reliquum sit, non credo equidem tam grauia suspicionis vestigia, illorum hominum rumores in animo tuo reliquisse, quin ea omnia vel caussæ meæ innocentia debeat, vel Dominationis tuæ bonitas velit facilimè abstergere. Si res postularet, vel si id D. T. complacitum iri existimarem, illi de me sparso rumore, iudiciorum hominum, qui in nostro Collegio sunt non solùm singularium, sed etiam singulorum, de me testimonia opponerem: quod non sim opiniosus, vel nouitatis alicuius studiosus, ipsæ studiorum meorum rationes, in Aristotelis, Platonis, & Ciceronis lectione quotidiana mea consuetudine solum occupatæ declarant. Quid quod etiam tantum semper abhorruit animus meus ab omnibus cùm Anglicè tum Latinè scriptis libris, quibus noua aliqua importaretur doctrina, vt excepto Psalterio Dauidis & nouo Testamento, eoque Græco, nullum de Christiana religione librum, *ὐδὲ σμικρὸν ὐδὲ μέγαν*, vt verbis Platonis vtar, numquam vsurpauerim. Quamobrem immensum in modum à D. tua contendo, vt veteris tuæ de me existimationis, quàm nouæ

met tibi rependat, qui (quemadmodum ait Paulus) omne donum ipsi abundare potens est efficere. Pater cælestis sanctissimæ dominationis tuę curas atq; studia in omnē temporis longinquitatem promoueat & moderetur. Vale.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. ED. EBOR.

CVm proximo hoc anno, reuerēdissime in Christo pater, officii mei ratio, quâ me tibi obstrinxisti, Londinum vt peterem D. tuæ visendæ gratiâ persuasit, iter illud me in triplicem animi mærorem & doloris acerbitatem coniecit. Nam tui vidēdi & alloquendi fructu (quem sperabam) carere peracerbum, illud tamen incommodum meum, quod me solum tangebat, cum tāto salutis tuę discrimine, quod plurimos vt par erat, angebat, coniunctum esse longè acerbius: verùm ad hęc duo incōmoda, tertium accedere, nimirum eam viam, quā mihi ad maiorem gratiam tuam colligendam muniebam, eandē ipsam ad nonnullam animi tui offensiunculam faciendam perducere, ad omnem sensum doloris longè mihi acerbissimum fuit. Putabam enim ego nunquam fore hos commentarios, quos ex Basilio, Gregorio, & magnam partem ex Chrysostomo quasi horto purissimo,

ſimo, & omni cicuta ac noxiis herbis vacuo, Oecumenius collegerat, plus veneni & præſentiorem peſtem ad exitium comparandum, quàm ſucci integri atque ſalubritatis ad ſalutem conſeruandam poſſe continere. Hæc res me domum regreſſum in varias cogitationes & anxiferas animi curas atq; ſolicitudines diſtraxit, & eò me grauius premebat, quò nullam eius partem vel intimis meis impartiebam, ſed eam totam mihi ipſi animo meo incluſam tenebam. Et cum iſta me diù anxietas torſiſſet, nec longo tempore ab ea cogitationem meam abducere potuiſſem, tandem id in mentem meam venit, quod ex animo omnem hanc mihi ægritudinem adimebat, & voluntatis tuæ non vllam factam mutationem, ſed illuſtrem ac teſtatam eiuſdem ſignificationem oſtēdebat. Nam hinc facilè perſpexi graues & prudentes viros nonnunquam nutus & obſcuris ſignis imperitorum hominum & rerum inſolentium errores redarguere. Cenſebat enim prudentia tua eam cogitationem ſtultè à me eſſe ſuſceptam, vt ante in tam rebus grauibus vertendi munus attētarem, quàm in aliis rebus vel momenti leuioris, vel periculi minoris vires ingenii mei periclitatus eſſem. Cum igitur D. tua, ſi quid ego video, non tam vllum factum meũ reprehenderit, quàm quomodo quid à me ſit faciendum o-

stenderit, ad hoc graue consilium prudensque monitum tuum omnes protinus studiorum meorum rationes accommodabam. Statim enim in manus sumpsi Sophoclis Philoctetem, quæ tragœdia ad imitationẽ, quantum potui, Senecæ versa, & versibus eisdem Iambicis atque Choricis ferè omnibus (quibus visus est Sophocles) reddita, in tuo nomine diuulgata apparebit, nisi huic meo proposito Dom. tuæ sententia palàm aduersata fuerit. Quo facto officium meum & obseruantia, qua me obligasti, tibi erit declarata: & propensissimus Dom. tuæ animus & voluntas, qua indies studia literarum sustentas, aliqua ex parte erit manifestata. Restat ergo vt rogem Dom. tuam, vt quemadmodum ego omnem obseruantiam meam ad Dom. tuæ nutum atque voluntatem detuli & seruaui, ita Dom. tuæ fauor atque bonitas nullo modo erga me diminuatur. Dom. Iesus Christus Dom. tuam incolumem conseruet.

MODERATO ET ERVDITO *viro Ioan. Setono.*

MOderatissimè vir, mundum ex amicitia constare, & sese mutuâ quadam & concordi charitate cõplecti prudenter meo iudicio, & Poëta bonus, & Philosophus grauis Empedocles Agrigentinus iudicabat. Quam sententiam diuinitùs ad nos delatam,

ram, & in nostras mentes infusam, vel rude illud & imperitum hominum vulgus, ipso rerum vsu & pertractatione tritum, multis retrò abhinc seculis veram esse cōperiebat. Hinc est quòd nobis in nouum quenq; annum ingredientibus, & mundum veluti de integro renatum excipientibus, nihil prius aut maiori cura efficiendum, aut alacriori studio elaborandum esse ducamus, quàm vt summum illud amicitiæ numen, quod omnen hanc rerum vniuersitatem tuetur & conseruat, mutuis ad inuicem officiis conferendis, xeniolisque vltrò citroque missitandis, tanquam sacra facta libatione, auspicatò nobis imprimisq; placare contendamus. Idem censuit & sanctissimum illud vas Dei Paulus, quo, quum à Christo discesseris, nihil maius aut sublimius habes, cum dixerit, totius legis impletionem, mutuam quādam & coniunctam esse dilectionem. Hi ergo qui distractis animis & voluntatibus, in dies singulos rixis & contentionibus student, præterquam quòd vniuersas DEI leges perfringunt atque violant, hanc ipsam etiam omnem præclaram rerum fabricam, quantum illi maximè possunt, conuellunt & labefactant. Itaque nos, quos idem virtutis & honestatis studium in vnum domicilium conclusit, quos arctior consuetudo coniunxit, quos ciuilior quædam hu-

manitatis nota tinxit, hanc eximiam alendæ quotannis amicitiæ consuetudinem, ab ipsis priscis seculis profectam, insigni quadam hominum humanitate semper cultam & firmatam, ad nostra denique tempora ductam & perpetuatam, in nobis omnis humanitatis cultoribus cessare non permittamus. Quamobrem, cum ego de munusculo, hoc tempore, ad te amicum præstantissimum mittendo, multùm cogitarem, nihil antiquius esse duxi, quàm tale donum parare, vnde, nec de facultatula nostra, vel tantilla facta esset diminutio, sed cumulata potiùs quædam quodammodo accederet accretio, & ex quo tu ipse etiam non vulgarem aliquam, sed solidam, non oculos ad tempus fouentem, sed animum multùm diúque oblectantem perciperes recondere sque voluptatem. Nec velim te existimare quod istud eo animo aut consilio fecerim, quod hoc modo cogitarem amicitiam nostram retinere, quæ est firmissima, aut auctiorem maioremque facere, quæ summa est & expletissima, & ad quam augendam nullus omnino locus appareat, cui aliquid possit accedere, sed partim vt mori atque tempori seruirem, partim vt animi erga te mei significatio, quantum fieri potest, expressior & testatior redderetur. Et hæc hactenus. Quantum ad libellum hunc,

vel schedulam si mauis, attinet, Oecumenius, quisquis ille fuerat, qui hos commentarios congessit, idem, quod Theophylactus, si quid ego iudico, consilium intendisse videtur: nempe, vt omnia ea quæ apud Dom. Ioannem Chrysostomum vastum illud atque perenne Christianæ Religionis flumen, fusè ac profluentèr essent dilata, hic coarctaret, & in angustiorem quandam expositionem velut in vnum aliquem alueum referciret. Neque è solius Chrysostomi hortulis hos excerpsit flores, sed plurima etiam deprompsit ex Cyrillo, Gennadio, Theodorêto, Gregorio, Basilio, Seueriano, Photio antiquioris notæ viris, & eximia eruditione cum summa vitæ integritate coniuncta præditis. Quorum monumenta in Epistolas Diui Pauli aut magna ex parte iam temporis iniuria exciderunt, aut certè ad manus nostras, hominum incuriâ, nondum peruenerunt. Multum interim debemus Oecumenio, qui sanctas has reliquias, veluti ex incendio quodam, & temporis edacis faucibus, eripuerit, ereptas Scripturæ mandauit, & nobis omnique posteritati transmittendas curauit. Verti etiam commentarios in Epistolam ad Titum, quos Reuerendissimo patri ac Domino meo Eduardo Ebora-

censi destinaui, modo illi tuo iudicio digni esse videantur, qui tanto præsuli offerantur. Maiora, DEO volente, aggrediar, si ista non ita displicuisse intellexero: & tu vlterius progrediendi, si non author mihi & impulsor, saltem approbator tacitus esse velis: sin minus, facilè pedem referam. In ipsius Epistolæ versione, Erasmum per omnia sum sequutus, nisi quod pro Rogo, verto ego Deprecor, authorem habens summum illum M. T. C. qui ait nos tum deprecari cum non factum defendimus, sed delicti veniam postulamus, in qua re vna tota hæc ad Philemonem versatur Epistola. Sin vero hoc, in re tam sublimi, summique momenti audacius factum esse videbitur, culpam fassus, veniam pro meo DEPRECOR, me à te facilè deprecaturum non despero. Vale. Et Aschamum tuum, vt soles ama. Anno Domini 1542. Calend. Ianuar.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. ED. ARCHIEpiscopo Eboracensi.

CVm & præteriti nostri officii, & singularis cuiusdam negligentiæ crimine manifesto teneri non immeritò videar, Reuerendissime pater, quòd hac superiore æstate nullas ad D. tuam literas dederim,

tim, quamuis omnem prætermissi muneris accusationem iusta & idonea quadam purgatione redimere potuerim, magis tamen ingenui magisque pudentis ego esse existimarim, errati veniam agnoscendo impetrare, quàm liberationem culpæ occultando vendicare. Vt non scriberem, inprimis me persuaserat magnificus ille Regiæ maiestatis accessus, qui (id quod me minimè latuerat) D. tuam in eas curas demiserat, tantisque occupationibus detinuerat, vt vix tibi respirandi, nedum otiosa nostra relegendi facultas concederetur. Neque hoc tamen sic mihi opposito impedimento destiti, quin tum quidem scriberem, cuius rei, vt est integerrimus vir, ita locupletissimus testis esse poterit D. Ioan. Redmannus; cui eas literas ad dominationem tuam perferendas committebam: quem cum iam esset in itinere, & cæli grauioris, & quartanæ febris metus, qua superiore anno miserè affligebatur, ad nos vnà cum literis nostris reportabat. Sed vtcunque iusta negligentiæ nota mihi inuri possit, nunc tamen facere non potui, quin aliquid sublimitati tuæ offerrem, quo cùm meritorum acceptorum testificationẽ tũ debiti nostri officii & obseruantiæ declarationem tibi significarem. Accipias ergo, ornatiss. Præsul, Præsulem illum Titum, quem vel eo

falsò de me iactatas voces non posse sic prudentiam tuam occupare, quin plus apud D.T. æquo & bono, quam vlli vllorum peruerso sermoni loci reliquum sit, non credo equidem tam grauia suspicionis vestigia, illorum hominum rumores in animo tuo reliquisse, quin ea omnia vel caussæ meæ innocentia debeat, vel Dominationis tuæ bonitas velit facilimè abstergere. Si res postularet, vel si id D. T. complacitum iri existimarem, illi de me sparso rumore, iudiciorum hominum, qui in nostro Collegio sunt non solùm singularium, sed etiam singulorum, de me testimonia opponerem: quod non sim opiniosus, vel nouitatis alicuius studiosus, ipsæ studiorum meorum rationes, in Aristotelis, Platonis, & Ciceronis lectione quotidiana mea consuetudine solum occupatæ declarant. Quid quod etiam tantum semper abhorruit animus meus ab omnibus cùm Anglicè tum Latinè scriptis libris, quibus noua aliqua importaretur doctrina, vt excepto Psalterio Dauidis & nouo Testamento, eoque Græco, nullum de Christiana religione librum, *οὐδὲ σμικρὸν οὐδὲ μέγαν*, vt verbis Platonis vtar, numquam vsurpauerim. Quamobrem immensum in modum à D. tua contendo, vt veteris tuæ de me existimationis, quàm nouæ

vllorum contra me delationis cursus liberior esse possit. Quod beneficium, si reliquis tuis cumulatissimis adiiciatur, Deo adiuuante, perficiam, vt nec mea in D. T. obseruantia, in literas diligētia, nec in religionem sinceritas vnquam desideretur. Duas homilias D. Ioan. Chrysost. è Græco in Latinum, operâ Ioannis Checi nostri, viri doctrinæ singularis, conuersas, & eius eruditionis & meæ obseruantiæ testimonium D. tuæ mitto. Dom. Iesus, &c.

ORNATISSIMO PRÆSVLI LANDAVENSI, PRO COLLEGIO.

OPtimè semper hii de Republica merentur, Ornatissime Præsul, qui vt publicæ iuuentutis animi atque mores fingerentur, nullum aliquem priuatum sumptum nimis magnum esse iudicant. Ex huius enim initiis atque fundamentis, & rempublicam florere, & priuatam sibi laudem excitari rectissimè quidèm sentiunt. Cuius præclari facti atque instituti laudem cum Dominatione tua, quod nos omnes intelligimus, licèt non parem, communem tamen ante aliquot annos commeruit piæ memoriæ vir D. Rogerus Luptonus, qui scholam publicam, vbi literis & humanitate iuuentus excoleretur, apud Sedbarienses instituit, institutam prædiolo quo-

dam

dam ad ludimagistrum sustentandum donauit, donatum nostrę fidei ac quasi gubernationi cōmisit ac commendauit. Huic scholæ nos nuper præfecimus honestum, moderatum, & eruditum virum R. Hebil. Hic cum sentit nonnullam iniuriā de prædiolo isto per Blandum quendam & Couperum, homines apud suos & opum & amicorū copia potentes, sibi intentari, perfecit, vt nos nostris literis D. tuam rogaremus, ne qua vis aut iniuria huic scholæ imponatur, sed ita prudentiæ tuæ authoritas horum hominum libidinem reprimat & coerceat, vt hinc reliqui discant, quid sit in scholas & otia iuuentutis, quæ sunt ipsa melioris Reipublicæ fundamenta, impetum facere: id quod si feceris, nos, literas, & Rēpublicam vno hoc beneficio tibi multùm obligabis. Vniuersam caussam fusiùs enarrabit is, qui has perfert literas, cui vt fidem adhibeas, vehementer D. tuam rogamus. Dom. Iesus D. T. diutissimè seruet incolumem.

CVIDAM AMICO.

ISocratem tuum, colende vir, cuius vsum eo vsque mihi pateris, dum repetiturus fueris, tandem recepi, in quo certè libro cōmodando, adeò me præter æquum & iustum audacem facilitas ac diuina illa tua humanitas, vt alium etiam porrò librum,

nempe cõmentarios in Hermogenẽ, à fratre tuo, primùm tamen cautio Cheirographi mei datâ, mutuò itidem sumerem. Pro vtroq; libro gratias non magnas, sed vt ait ille, ingentes, hoc tibi egissem tẽpore, nisi satis mihi prius compertũ cõpræhensumq; fuisset, quàm vehementer, à tritâ illa & populari gratiarum actione dicam an assentatione sanè dubito, animus tuus abhorreat. Verùm si qaunta mihi ad referendas gratias est voluntas, tanta ad easdem aliquando præstandas suppeteret facultas, animũ certè meum non beneficii immemorem aut ingratum argueres, sed singulari erga te studio affectum persentisceres. Audio, verum sit nec ne incertus sum, Reuerendiss. Cicestrensem ordinem illum Psalmorum à D. Herefordiensi inchoatum, in manus sumpturum, & ad exitum perducturum. Gauderem si opella mea D. Cicestrensi ea in re vsui esse possit, quem & propter summam eruditionem suspicio, & propter eximiam vitæ suæ sanctimoniam colo veneror que. Libentissimè scire vellem, an tu pagellas eas, quas pro D. Herefordiensi descripsi, & ad te per D. Deium misi, habeas nec ne? Sed quid pergo molestus esse, condones quæso ei, quia ita exigit res, dum tui studiosus (quod maximè velit) annitatur, perquam tibi operosus (quod omnium nolit)
repe-

reperiatur. Græcè tibi pro libris tuis gratias agere animus fuit. Quod nunc facere non potui, propter tabellionem iam iter arripientem. Id quod aliàs tamen effectum dabitur. Dominus Iesus, &c.

R. BRANDISBÆO, AMICO SVO CHARISSIMO.

S.P. ornatissime Brandisbæe, Tennandus noster hîc apud nos fuit his proximis nundinis, à quo ego lubens admodum de te rebusque tuis quærebam, id quòd eò lubentiùs feci, quia de te ante hoc tempus hos duos integros annos nihil accepi. De Brandisbæo iucundissimus mihi sermo fuit; cuius semper in me vel puerum beneuolentiam eximiam, & singularem experiebar. Committere non potui (quamuis vix vnam aut alteram horam apud nos se manere posse dicebat, Ten.) quin aliquid ad te, non tam loci intercapedine à nobis seiunctum, quàm quotidiana quadam tui recordatione animis nostris propinquum, de reb. quæ hîc aguntur, scriberem, iam vsu & experientia vel ipse edoctus, quàm verum illud Cœlii sit ad Ciceronem: Nihil posse peregrinantibus esse gratius, quàm vel minimarum rerum, quæ domi geruntur, fieri certiores. Hoc ita esse, biennium hoc præteritum, cum ab amicis literas receperim,

commonstrabat, quod tempus ferè mihi omne, à grauioribus studiis abripuit, & domi apud parentes in agro Eboracensi à musis omnibus feriatum detinuit vis quartanæ febris. Expostularem tecum grauitèr, quod nunquam ad me scripseras, nisi ipse in eodem vitio essem. Sed consultius esse puto, vt vterque quicquid vtrinque in hac parte peccatum sit, assiduitate scribendi redimamus. De Cantabrigia, si quid aues audire, en iam penè noua tibi videri potest, tam diuinis & immortalibus literarum præsidiis & ornamentis auxit eam optimi principis nostri munificentia. Wigginus Theologiæ, Smithus iuris prudentiæ, Checus linguæ Græcæ, Wakfeldus Hebraicæ, Blitus, qui sororem D. Checi duxit, medicinæ, publici professores sunt instituti, salarium quadraginta librarum singuli quotannis sunt accepturi: Aristoteles nunc & Plato, quod factum est etiam apud nos, hoc quinquennium, in sua lingua à pueris leguntur. Sophocles & Euripides sunt hîc familiariores, quám olim Plautus fuerat, cum tu hîc eras. Herodotus, Thucydides, Xenophon, magis in ore & manibus omnium teruntur, quàm tum Titus Liuius. Quod de Cicerone olim, nunc de Demosthene audires. Plures Isocrat. hîc in manibus puerorum habentur, quàm tum Terentii.

rentii. Nec Latinos interim aspernamur, sed optimos quosque & seculo illo aureo florentes, ardentissimè amplexamur. Hunc literarum ardorem & incendit & fouit Cheei nostri labor & exemplum, qui publicè gratis prælegit totum Homerum, totum Sophoclem, & id bis, totum Euripidem, omnem ferè Herodotum. Id quod fecisset in omnibus Græcis poetis, Historiographis, Oratoribus, Philosophis, nisi pessimum fatum, tam felicem literarum progressum nobis inuidisset. Nam cum Checus ad tantam diligentiam, summum ad Græcas literas perdiscendas præsidium, veram & antiquam pronuntiationem adiunxisset, ecce tibi Reuerendissimus Wintoniensis, quorundam inuidorum hominum precibus victus, edicto quodam admodum seuero promulgato, ne ea pronuntiandi ratione vtatur, non solùm pronuntiationem illam, quæ summum veluti literarum fomentum fuit, nobis tota ferè Academia reclamante, extorsit, sed omnem penè Græcę linguæ perdiscendæ ardorem, in animis nostris funditùs extinxit. Putas enim tu leue ad Græcas literas discendas impedimentum nobis esse obiectum, cum omnes hoc sciunt omnem rerum cognitionem, sensuum nostrorum officio ad animum deferri, cùm (inquam) nos sumus aurium præsidio sic

ſpoliati, & in eas anguſtias compulſi & redacti, vt niſi oculos ſemper in literas defigamus, ne tenuem quidem literarum vmbram percipere poſſimus, ſic omnes ſoni Græci nunc ſimiles & iidem ſunt, tam tenues vincti, & graciles, & ſic vnius literæ ἰῶτα poteſtati ſubiecti, vt nihil iam in Græcis literis præter inanem quandam paſſerum pipitationem, & anguium moleſtam ſibilationem diſcernere queas. Hunc Græcæ linguæ interitum penè & occaſum eò acerbiùs ferimus, quòd eum, omnibus literarum, prudentiæ, conſilii, authoritatis præſidiis ornatiſſimus, abſque hac vna re eſſet, literarum & Academiæ noſtræ patronus ampliſſimus nobis quodammodo importauit. Sunt de hac re, inter Dominum Wintonenſem & Checum, vltrò citroque miſſæ epiſtolæ, inſtar librorum quorundam. Nemo poteſt doctius tam Barbaram & à Barbaris ipſis inuectam pronunciationem propugnare, quàm Dominus Wintonenſis facit. Sed hoc tantum dicam: ille ſuperiores, nos meliores partes tuemur. Non facilè crederes, quantus ſit in hac cauſſa Checus, & quantis literarum, rationũ, authoritatum præſidiis eandem muniuit, niſi fortè ipſe literas eius, quas de hac re ſcripſit, legeres. Vale. Salutant te Checus, Madæus, Setonus, Tongus, Langdaldus, Billus. Literas

lon-

longissimas optimas semper esse putaui, tales abs te expecto.

CVIDAM COGNATO.

DIu in animo habui ad te scripsisse, Ornatissime vir, vel quia tibi cognatione & sanguinis propinquitate coniunctissimus, vel quia magno amploque beneficiorum cumulo tibi sæpè sæpiusque obstrictissimus. Quod si non suscepto consilio, quod in animo iam deliberatum fixumque habui, aliquando meipsum liberarem, partim in ipsam naturam, quæ nos arctissimis coniunctissimisque propinquitatis vinculis coniugauit, non leuitèr peccarem: partim ipsi diuinæ iustitiæ, omnis ingratitudinis: vltrici seuerissimæ, & vim iniuriamque facerem & insigne etiam flagitium designarem. Gratias ago itaque aliquando, vt spero, relaturus nõ vulgares, sed quas possum summas & singulares, pro amplissimis tuis beneficiis tum, cum primum apud te essem, mihi vix de facie tibi noto collocatis, tùm per M. Foxum vtrique nostrûm & amicum eximium, & affinitate propinquum, optata & in pera[...] tempestate allatis. Nihil habeo, o[r]natissi[m]e vir, quod tibi [p]ro tanto meritorum cumulo rependã, nisi gratum erga te animi mei studiũ & propensissimam voluntatem, quæ tibi gratam rem facere nunquam desistent,

modò aliquid contigerit, in quo certā voluntatis meæ significationem tibi ostenderem, & firmum beneuolentiæ testimoniū relinquerem. Valeas in Christo Cantab. è Collegio D. Ioan. Euangelistæ. Festo D. Marci.

CVIDAM AMICO.

CVm magnitudinē cumulumq; beneficiorum tuorum, integerrime vir, iucunda subinde recordatione repetam, & meam rursus in ferenda gratia nimis angustam facultatem agnoscam, facilè quidem perspicio, gratias me pro tantis meritis referre nullas posse, agere verò perexiguas, & tamen debere longè maximas. His ita sese habentibus, non leuis mihi est incussus timor, ne tu putes, harum rerū non solùm cōmemorationem omnem mihi excidisse, sed vniuersam etiam earundem vel cogitationem quidē perpetuò è memoria nostra effluxisse, cùm tot præsertim dies mensesque præterierunt, ex quo aliquid à nobis literarum accepisti, quibus vel beneficam saltem nostram voluntatem, cum res non suppeteret, ostenderemus, quod propter honestatis rationem factum esse oportuerat: vel quibus receptarum à Lepero nostro pecuniarum mentionem faceremus, quod propter vtilitatis magnitudinē omissum

sum esse non debuerat. Atque vtrumque sanè diù ante hoc tempus præstitissem, omnemque prætereà negligentiæ maculam, si qua tibi tanta silentii diuturnitate visa esset aspersa, eluissem. In hac ineunte æstate, patriam, parentesque nostros senio ætateque prouectissimos; quos non prius hoc septennio videram, pietatis ardore inflammatus visissem. Nactus itaque tam oportunum tabellarium, virum sanctum & honestum, tui semper studiosissimum & eo etiam nomine, vt puto, tibi multò gratiorem, quòd Baino, Redmannoque vnicè probaretur, iudicabam officii mei rationem postulare, vt, cùm accepti beneficii recordationis certum aliquod testimonium manifestarē, tùm gratæ voluntatis & ardentis erga te studii mei non obscurum iudicium declararem: namque in eas sunt adductæ & compulsæ angustias Aschami tui facultates, vt aliud nihil pro tanto officiorum cumulo rependere queat, præter grati animi significationem. Dominus Christus te perpetuò tueatur & conseruet.

ORNATISSIMO VIRO D. D. T. COLLEGII DIVI IO. EVANgelistæ Magistro.

FVit tempus, Ornatissime vir, cum multò oportunior ad te scribendi occasio

mihi erat oblata, & animus meus ab eodem non solùm non abhorrebat, sed perquam ingenti id præstandi desiderio commotus gliscebat. Quo tempore attemperata admodum data præstitaque est εὐκαιρία, quâ licuit non modo omni animi nostri cogitata, multò liberiùs quam ἐν τῷ νῷ, apud te deponere, verùm singulare etiam enixumque studium erga te nostrum, gratamque semper voluntatem multò credibilius, ostendere. Quod ipsum si nunc facerem, verendum esset, vt ne non iustè potuerim, iniustam, vt videretur, & apertam assentationis, ϗ κολακείας, reprehensionem effugere. Cogitâram enim olim te certiorem fecisse, quanta omnium alacritate hunc magistratum, quem, in nos feliciter, & magna cum laude tua geris, omnes ad vnum hucvsque pertulerint, quam iucundam omnem studiorum suorum, hos duos propè annos, quietem & tranquillitatem, non intestinis odiis fractam & dissipatam, non grauibus dicendi iuris litibus impeditam & retardatam, sed diuino quodam felicitatis cursu proiectam, & confirmatam, prudentiæ tuæ, post Deum solum, omnes vno ore retulerint. Perspeximus enim te tanta animi moderatione & grauitate, singulis in rebus, vsum fuisse, & omnes animi tui curas & cogitationes ita dispensasse, vt eorum propè
omni-

omnium mores vitæque rationes, qui prudentiæ tuæ, fidei & consiliis sunt cõmissi, in eum habitum cõponeres, atq; in eam rerum omnium tam descriptã compositamque ἀταξίαν, digereres, vt ab omnib. in hoc certatim contendatur, quis ad literarum honestatisque dignitatem sustentandam, quæ duo in hoc Collegio maximè semper floruerunt, & indies magis magisque sub tuis auspiciis florebunt, paratissimus inueniatur. Id quod bona pars omnium faciũt, partim temperata quadã æquabilitatis tuæ in castigando seueritate adducti: partim verò facili & perhumana, iusta tamen, in adhortando comitate allecti & cõpulsi. Namque rigidorum & ferocium omnium pernicaciam, tã prudenti & matura animaduersionis moderatione frangis & contundis, oppressos verò aliorum iniquitate, aut vllam vllo modo iniuriam perpessos, tam eximio opis consiliique tui pręsidio alleuas atq; erigis, vt omnes quidem te singularem & diuinum quendam hominẽ in gerendo magistratũ, & ad id vnũ munus obeũdum quasi natum sentiant, agnoscantque. Fuit tempus inquã, prudentissime vir, cũ hanc de te non meam solùm, sed omniũ sententiã & existimationẽ, enarrandi facultatem, nulla penitus adulationis suspicione coniunctã liberè habere licuisset: verum, non

dubito, te pro tua prudentia in memoria tenere Xenophontis illud: Non minus esse sinceri pectoris, homines in publica aliqua dignitate & procuratione constitutos, si quid ab illis rectè & cum laude gestũ fuerit, probitatis suæ certiores facere: quàm si officium creditum sibi & impositum socordiâ neglexerint, redarguere. Confido itaq; hanc meam sinceram simplicemq; erga te voluntatem, non caussam meã læsuram, quam apud te agere, graues me rationes cõpulerunt. Sunt, vt nosti, apud nos in hoc tuo Collegio, quædam βιοτεύματα, quæ nos vocamus sodalitia, præmia, benè natis ingeniis, vtilitèr à maioribus nostris proposita & instituta. In locum ergo, quem nuper tenebat M.B. proximo hoc quadragesimali tempore alter est sufficiendus, qua in re si opem tuã sentiret Ioannes Tomsonus, huius Collegii alumnus, literis excultus, moribus honestis præditus, Aschami tui obseruãtiam iampridẽ tibi addictissimã, multò addictiorem constringeres. Quantũ ad iuuenem spectat, præter illos, quos morum probitate asciuit, & assiduo ad cõparandã eruditionẽ studio, sibi adiunxit, alios patronos nullos, quos sciam, habet, qui eius caussam apud te aut velint promouere, aut possint sustinere. Honestatis eius & eruditionis, quamuis perampla satis testimonia

pro-

proferre potuerim, mallem tamen in hac re Ioan. Checi viri semper integri, & Barkeri iudicio fidem tribuas. Sunt & alii eiusdem muneris cōpetitores honesti iuuenes & eruditi, alter Domini Redmanni pupillus, alter nondū Baccalaureatus dignitate insignitus, cui M. Truslæus amicos & fautores hac in re rursum prorsum parat. At verò, si tu mihi fauorabilem tuā & propensam voluntatē in hac mea petitione, qua maiorem aliā nunquàm sperabo, ostenderis, me & voti honestissimi citra controuersiam cōpotem efficies, & tibi, in omnem sempiternitatē, beneficio maximè obligatissimum reddes. Cum domi fueris, rem plenius meliusque pernosces. Dominus Christus Iesus te perpetuò conseruet & tueatur. E Collegio tuo 9. Martii 1559.

CHARISSIMO SVO CORDINGLÆO.

QVoties memoriâ repeto, clarissime Cordinglæe, iucundissimā illam familiaritatem, quæ mihi tecum arctissimè intercessit, οὐκ ἂν ἔγωγε νὴ Δία δικαίως δοκοίην τ̃ μεγίστης ἀχαριστίας ἀναίτιος εἶναι, sed ab omni prorsus humanitatis officio discedere, si postquam tu à nobis discesseris, vllā necessitudinis nostræ discessionem, mea scribendi negligentiâ patiar obrepere. Quan-

to ergo loci interuallo, longinquioreque nos inter nos digressu seiuncti separatique fuerimus, tanto mea voluntate & sententiâ amicitiam nostram firmioribus officiorum vinculis constrictam deuinctamque stabiliemus. Id quod nulla alia ratione cõmodiùs à nobis præstari poterit, quàm, si literis ad inuitem sæpiùs missitatis, de rebus in communi hominum vsu sermoneque positis, certiores alter alterum faciemus. Ad te ergo, vt hoc tempore scriberem, & iustæ inter nos nostræ amicitiæ iura iubebant, & necessitudinis meæ porrò rationes ad tuam mihi opem petendam compellebant. Ope enim tua, mi Cordinglæe, magnoperè ἐν τῷ παρόντι indigeo, nec ego solus, sed Ioan. Tomsonus meus iuuenis, vt nosti, moribus literisque feliciter instructus qui hoc anno apud nos βιοτδώματός τινος, siue sodalitii, vt vocamus, cõpetitor fuerit. Es ergo à me rogãdus precib. quibus possum, maximis, operâ vt tua Dominus Hethæus herus tuus, ita hanc rem non grauetur apud magistrum nostrũ agere, vt ipse Tom. fauore, gratiâ, præsidioque suo hac in re adiuuare, & in omne æuum beare velit. Quicquid hac in re facies charissime Cordinglæe, mihi non solùm factũ esse putabo, sed tale tamq; immensum beneficiũ à te cepisse fatebor qualevix à quoquã alio sperare

potue-

potuero. Nec dubito quin Dominus Hethæus, vel tuo rogatu adductus, vel literarum nomine, quas ille s[illegible]r coluit auxitque commotus, libenter v[illegible] pro summâ eius authoritate & gratiâ, q[illegible]eo apud magistrum nostrum nemo valet, facilè possit, huius rei tā exoptatæ desideratæque me compotem facere. Vt hæc ad te scriberem & amor in te meus instigabat, & huius rei rationes magnæ prouocabant, & Checi nostri, hominis summi, vt id facerem, consilium satis mea sponte parato stimulos admouit. Hæc res maturam quandam celeritatem postulat. fac rescribas, non me senties elinguem. Multam salutem meo nomine Ioanni Dousæo nuntiabis: Vale viueque in Christo. 1539.

CHARISSIMO SVO CVMBERFORDO.

CVm hic apud nos nuperrimè fueras, charissime Cumberforde, variæ multæque in animo meo versatæ sunt curæ, quas summa necessitate, honesta tamen constrictus, apud te deposuissem, absque quibusdam fuisset qui te semper aliquo sermone aut negotio detentum, mihi meisque rebus ereptū abstulissent. Scis apud nos breui electionē fore, in qua iuuenes quatuor, omnes & eruditione eximiâ, & morū probitate in-

signes, sodalitium quod vocant, Do. Roff. ambiunt atq; prensant. Verùm cum omnibus, licèt om[illegible]nt dignissimi beneficium illud confer[illegible] possit: te per illam æquitatem t[illegible]m, [illegible]uam omnes in te vnicè admirati su[illegible] suspiciebant, rogo obsecroq; vt eius causam suscipias, susceptamque tueatis, omnibus tamen prius rationibus eruditionis, honestatis, inopiæ, diligenter subductis apud te & cõputatis, qui illa commoditate summoperè egere videatur. Egent omnes quidem, at verò, si paulisper animo & cogitatione te huc conuertas, facilè conuincam, Ioannem Tomsonum non solùm plus aliis indigêre: sed cum aliis aliũdè prospici abundè possit, si hic repulsam patiatur, omnes illos labores, quos hîc literarum studio diligenter collocauerat, cum summa rerum suarum desperatione inane consumpsisse. Fischerus enim vir non inchoata, sed perfecta eruditionis fastigia adeptus, nempe & linguarum peritiâ & rerũ cognitione excultus, magno feliciq; prætereà sacræ Scripturæ progressu euectus, nusquam non gentium possit, si hîc spes eius non penitùs illum beauerit, vitam honestam, honestoq; viro dignã facilè comparare: cum alii, si alíam vitæ rationem sequi compellerentur, licèt sunt variis literarum ornamentis insigniti, adiuti, & instructi, vt nunc tamen

men dierum sunt, vel infausta tempora, vel peruicaces hominũ mores, si aut absit scripturæ cognitio, sic contempti spretique despicerentur, vt ad panem ostiatim petendum & mendicandum prorsus adigerentur. Quid quod etiam Fischerus, si quid ego video, voti sui compos reddi nullo modo possit. Cum venio ad Burtonum, iuuenem meliorem aut doctiorem incertum, vehementer pertimesco, quid primùm proferã, præsertim cum perspiciam sic causam nostram vndiq; impeditam, tot obstructam, tot obsessam difficultatibus, hinc summa semper gratiâ, singularique apud omnes Redmanni authoritate: illinc numerosa non infimorum fautorum caterua, dubius planè animi, quid agam nescio, progrediarnè, an hîc sistam gradum. Desistere tamen pietas non sinet, officiũ tam honesto pupillo debitum non permittet, non feret. Contendam aliquo modo certè, nec deturbabor, contendam, inquam, cum ipso Redmanno, me tantum debere pupillo meo, propter vitæ probitatem, omnisque virtutis rationem, quantum neminem alium suo. Nec hunc in illum affectum impressit mihi spes commoditatis ab illo percipiendæ vlla, cùm sit pauperrimus: non amicorum copia, & gratiæ, cùm sit orphanus: sed expressa quædam virtutis imago, quam ego singulis diebus in

eo magis magisque elucentem & exauctam, immensâ quadam voluptate contemplor & intueor. Atque licèt videatur causa Tomsoni, summa Redmanni gratiâ vehementèr fracta & imminuta, illa ipsa tamen insignis Redmanni gratia, & singularis apud omnes fauor, me vnicè recreat & consolatur, & spem mihi omnem propè extinctam suscitat, abiectam renouat, præsertim, cum magnoperè confido, te pro tua prudentia, & alios itidem bonos viros, velle apud se diligentèr considerare, Burtonum facilime posse, si hic prætereatur, in aliam domum absque magno negotio cooptari, qui Redmannum senserit sibi patronum, Setonum adiutorem, Præsidem causæ suæ susceptorem, Watsonum honestatis illius non rudem prædicatorem, Kecwickum eruditionis testem atque laudatorem. Quid hii in Aula Pembrochiana non impetrabunt? Quid à Swinburno, Clarensibusque Sociis non exorabunt? Quid apud Michaelenses non obtinebunt, vt cæteros taceam, à quibus nihil vnquam illis esset denegatum? Si vero Tomsonus hîc repulsam & offensionem pateretur, si hic à nobis refutatus repudiaretur, cum tam exigua adesset illi amicorum copia; iuuenis ad literas & modestiam natus, Academiâ relictâ, Musis valedictis, expulsus, exterminatus,

natus è memoria multorum deletus & abrasus eiiceretur. Tale quiddam, quod Deus planè auertebat, anno præterito Christophoro Browno viro optimo cōtigisset absque te inprimis fuisset, & aliis nouis iunioribus, vt ita loquar, Sociis, qui, veluti numine quodam afflati, præsentientes quanta quanti hominis iactura immineret, è faucibus illorum constantiâ singulari eripimus. Et nunc, charissime Cumber. conscientiam tuam & intimas cogitationes appello, virum putas si C. priùs fuisset electus, illos velle alium locum B. licet honestissimo, id temporis tanta diligentiâ & animi alacritate conquisiuisse, & dic bona quæso fide, an credis syluam illam, non Satyris & Faunis, sed C. auspicatò, consecratam & colendam, potuisse tam breui tēporis curriculo tantum in B. fauorem excreuisse: sed nimis iocosè in re seria. Hæc dico, optime Henrice, quod sentiendum est (vt addam quasi apologo morale) illos qui tantos habeant sibi fautores, nunquam posse Sodalitio *hîc* Cantabrigiæ carere. Cum alius amicis destitutus, quantumuis dignus, si oblatam occasionem amitteret, tale beneficium nunquam esset consequuturus. Ne putes quæso, hanc leuem esse rationem, sed eam iterum iterumque cogitatione tua excussam, agitatā, quanta sit vide dilígētèr,

& subinde tecum cogita. Nunc vt ad te redeam, amantissime Cumberforde, cū sæpenumerò variis in rebus, varia officia, & grati animi tui in me studia, manifestis mihi indiciis declarata, apertissimisq; testimoniis confirmata expertus sensi, nullo tamen alio beneficio me tibi firmiùs deuinxisti, aut deuinctū etiamnū arctiùs tenes, quàm quòd te authore, & Langdallo consuasore, Ioannes Tomsonus, cum huc migrauerat, primùm meæ tutelæ & fidei sit cōmissus. Cuius profectò in literis & honestatis studio profectus, vt mihi præ summa pecuniarum vi, amplissimaque mercede, cum summa animi voluptate habitus est semper & iudicatus: ita tibi, vt puto, idem est non omninò ingratus, sed perquā iucundus & vehementèr exoptatus. Quamobrem libentiùs feci, vt eius caussam honestissimâ prouisione defendendam, & protegendam tibi offerrem: etenim qui tā mirificè à te sit adiutus, cum ne de facie quidem tibi fuerit notus, cumq; nulla extiterit virtutis aut literarum expressa certaq; expectatio, non dubium est, quin idem, qui sic vitæ suæ rationes instituerit, & seipsum tam honeste erga omnes gesserit, vt omnis liuida de eo absit querela, absit omnis, vel Momo iudice, conquestio, eximiam opem tuam & præsidium singulare sit experturus. Cum prætereà sit non solum

tum ἄμεμπτος, sed sic cum æqualibus suis literis & eruditione æquandus, vt potius videatur maioribus non indignè comparãdus, in magnam spem adducor, te velle in illum, cuius manifesta honestatis extant monumenta, eam ipsam beneuolentiæ rationem hoc tempore conferre & dẽmõstrare, quam tu à me impetrasti, vt in illum ignotũ, rudem, nec dum rusticitate Poclintoniensi immunem declararem. Nec opes tuas, sed opem ad hanc rem conficiendã postulo, opẽ dico tui solius: namque non paucos sibi Tomsonus honestâ morum probitate asciuit, quibus si tu adiunctus fueris, procul dubio, vt planè dicam, eligetur. Imò vt hoc addã amplius, charissime Cũberforde, si tu non obstiteris, quod non facies certò scio, si tu nõ aliũ contra eũ adiuueris, eligetur. Ille ergo fidei mei, consilio tuo, olim commissus, ad idem iterum consiliũ tuum, veluti ad portum salutarẽ, sese recepit: eam ego fidem ipsam, quam tibi obstringebam in illo recipiendo, constanter hactenus seruauit, curam salutis eius gessi, literis pro virili excultum adornaui, vt mores ingenuos, ab omni procacitate alienos, à furiosis opinionibus integros & illæsos imbiberet, curaui omnia quæ potui, præstiti. Itaque in visceribus Christi obsecro te, vt Tomsonum, non tam meum quàm

tuum pupillum tuteris adiuuesque, vt in illum opem, fidem, gratiam, misericordiam tuam conferas, ne omittas occasionem benefaciendi, ne præripiant alii quod in tuum debetà te conferri. Si quid alii exigant, habes quod honestissimè respondeas, te nolle illum eiicere, quem in hoc Collegium recipiendum curaueras. Si Tomsonus esset mihi vlla sanguinis necessitudine coniunctus, si eos haberet amicos, à quibus insigne commodum expectarem, non leuis tum fortasse tibi oriri potuerat suspicio, me hæc omnia tecum malo egisse dolo: sed cum nihil tale mihi cum illo intercedat, ne dubitabis, puto, quin hæc omnia sincero pectore sint prolata. Sin verò spem illam, quam in te Tomsonus positam & defixam vnicè habet, quod omnem auertat DEVS, falsam & inanem inuenerit, ad me statim conuertet, in hæc irrumpens verba: O me, charissime Tutor, infelicem! ô ter miserum! per hos ego hîc retineri non possum, quos ego semper salutis meæ authores, quos insignes adiutores mihi proposueram? Quid cõmerui? Quam culpam, quod crimen designaui? Quæ vis, quæ infelicitas mea illos mihi eripuit, post tot sudatos in literis labores, quos agrestis rusticitas mea, eximios potuit sentire auxiliatores? ô illam tuam charitatem prodige

nimis

nimis in me effusam & collatam, nunc frustra inaniterque susceptam! qui nullum amoris, nullum studii, nullum pietatis officium omittebas, quo me tibi deuinctissimũ redderes.

Desunt cætera.

ORNATISSIMO VIRO D. IOAN. CHECO.

QVo maiorem voluptatem, semper præsens ex præsentis tui prudentia, in domesticis nostris motibus sapienter sedandis, literarum studiis diligenter excitandis capiebam, ornatissimè vir, eò grauiùs equidem & acerbius nunc fero, talia tempora post tuum digressum esse consequuta, vt eas literas ad te pernecessariò scriberem, quæ mærorem meum præcipuum potiùs, ex desiderio consiliorum tuorum, quibus caruimus, quàm vllam communem lætitiam, ex fructu eorundem, quibus non omnes vsi sumus, declararent. Eò enim nunc perducimur, vt quid iam amplius ex consensu illo bonorum, vt putabatur, ad literas excolendas, ad turbulentas quorundam hominum intolerantias coercẽdas, licèt multum semper caussæ susceptæ honestate nixo, plurimum tamen prudentiæ tuæ moderatione hactenus retento, sperandũ sit, nescio. Ita omnibus operib. à quibusdam elaboratũ est,

vt ego, per quem illi ipsi aliquid sunt, nihil iam in posterum momenti, non ad ornandum meos, qui semper tui, si qui alii, fuêre, sed vix ad hāc tenuitatem meam tuendam, expectare queam. Nam nuper, vt rem tibi omnem patefaciam, cum ego in discernendis lectoribus nostris Grindallum meum, propter hominis indigentiam adiutare studiosissimè cupiissem, ad illiusque consilii effectum, non omnē rationem, sed eam solùm, quam honestissimam maximè tibi probatum iri sperabam, adhibuissem, & tantummodò ad M. B. A. & cæteros illius notæ viros, nec id ante vnum aut alterum diem, quàm res conficeretur, caussam illam detulissem, ecce tibi F. & B. tuus, consilio siue suo, siue H. siue vtroque perfidiosissimo, iunctis copiis cum S. & suis, M. P. & nos omnes de vetere nostra authoritate deiecêre: & cum per nos idem (quod iam factum est) persicere potuissent, ita tamen belle M. A. me & M. (quod ille ipse fatetur) contempserunt, vt apertis vocibus iactarint, se citra nostram opem & posse & velle, quemcumque pro arbitratu suo designare. Quod factum, si aut probandum aut ferendum sit, prudentes illi quidem & frugi homines, qui vndique vtilitati suæ consulere possunt, stulti alii, qui vt honestam causam non desererent, & sese ludibrio, & suos discrimini extremo

sub-

ſubiecerunt. Quos turbulentos homines, vt ego tum, præ omni in deſiderio meo explendo, & in Grindallo meo tuendo, vtilitate fortiter contempſi: ita etiam nunc me in eo conſilio conſtitiſſe, ſicque per omnia feciſſe vehementer gaudeo atq; glorior, vt ſi poſteà ex hac tempeſtate aliquod malum in communes Collegii noſtri rationes, quas hactenus ſartas tectas ſola cõſilii tui gubernatio ſeruauit, redundauerit, & quo turbine illud acciderit, tu à quo non ſolùm amari, ſed in omnib. factis meis probari volui, planè intelligeres. Sed de leui cauſſa nimis grauem offenſionem me fortaſſe ſuſcepiſſe dicis. Profectò, vt leue putetur, Præſidis noſtramque Seniorum authoritatem ſpretam & circumſcriptam fuiſſe, vt hoc condonem, meas ſpes omnes eo tempore, cum vel ad tuendum meos, vel ad lædendum maleuolos maximè valerent, inanes cecidiſſe, vbi nec beneuolentia me ad leniendũ, nec facultas vlla nocendi, ad reprimendum tantum illorum odium, aliquid momenti habuit, vt perpetuæ obliuioni hominem, Grindallũ meũ, ita literis excultum, quod ego certo ſcio, vt cum à te ipſo & Smitho diſceſſeris, in Græcis literis nemini in hac Academia concedat, ita paupertate oppreſſum, vt nec alacritas ad ſtudium, nec mediocritas ad victum illi ſuppetat,

ita beneuolentiâ mihi coniunctum, vt eius commodum incommodumque, meum planè existat, à literis quibus excelluerit, à studiis, quibus se totum dederit, à me, qui cum coniunctissime vixerit, in perpetuum diuelli. Atque vt breuiter dicam, vt offensiones omnes acerbaque vulnera, quib: vel res nostra publica, vel ego affligimur, leuissimè perferantur, tantam tamen hominum fraudem, perfidiam, calumniam, iactationem & intolerantiam, quæ non iam restincta & sopita conquiescit, sed potiùs hoc improbo facto (quod in malis semper vsu venit) quasi nouis viribus & alimentis hinc assumptis, in grauiorem aliquem aliquando casum inflammata exardescit, pati nullo modo possum. Nam profectò, ornatissime vir, omnium præteritarum rerum euentum, quantumuis calamitosum, communis concordiæ caussâ obliuione delerem, nisi acerbius quiddam horum hominum consilium nimis perfidiosum, in nos & literas portendere, vehementer pertimescerem. Etenim vbi lucrũ non leges, venter non literæ, obscuræ perfidiæ, non aperta consilia πολυπραγμοσύνη οὐκ ἐπιείκεια, furores abiectorum & indignitas, non prudentum moderationes & authoritas dominatur, quid amplius vel vlli honestorum hominũ consensioni, vel aperto alicui patenti

& sim-

& simplici sperandum sit non intelligo. Et hæc de publica re: nunc si vacet tibi, pauca de me. Ex professione tua nihil vnquam institui, ornatissime vir, cuius non te tacitum probatorem solùm, sed quasi præsentem spectatorem esse volui, quod vt perficerem, multò quàm anteà diligentius literis, violentis legibus custodiendis, quieti retinendæ totum meipsum tradidi. Quod consilium meum, quatenus in cæteris rebus omnibus, & in hac etiam nouissima re persequutus sum, M. & B. à quibus nunquam discrepabam, testificari possunt. Cuius etiam quieti consilii, quo maleuoli illi ad suam libidinem insignem, ad meum mærorem ingentem abusi sunt, maximum & honestissimum fructum percepissem, si non prudentiæ tuæ gubernatione, his temporibus, caruissem. Quamobrem, sic de Aschamo tuo perpetuò existima, vt de homine, qui omnes iniurias, odia, & contumelias deponeret, quàm minimam beneuolentiæ tuæ partem dimitteret: Tibi igitur me & omne hoc negotium trado, vt pro arbitratu tuo modereris, quamuis nec ipsa voluntas mea aliquid sit immutata, sed perfidorum hominum incredibilis peruersitas hiis literis potiùs expressa, qui, cum me, nisi tu aliter vis, abs se, quem firmissimum retinere potuerunt, abalienauerunt,

de veteri tamen mea in communi caussa tuenda sententia minimè depulere. Impera igitur mihi quicquid vis, spero tamen effectum iri, vt tua salubri monitione, authoritas M. quam omnes sequi debemus, non ampliùs contemnatur, seniorum ratio habeatur, πολυπραγμοσύνη, insolens iactatio, eò, quò locus & ordo postulat, coerceatur, vt aliquando præmia literarum, & honestatis, non in omnium officia sese ingerendo, intercipiantur, sed in studia diligentèr abdendo conferantur. Nam nisi prudentiores obseruemus, leges nostras custodiamus, studia literarum excitemus, firma aliqua concordia inter nos consistere non potest. Cognosce igitur, prudentissime vir, ac de nobis ac de rebus nostris quicquid vis, statue. Hæc de me publico, nunc de me priuato, D. meus Eboracensis (vt scis) moritur, quo fato fortunulæ nostræ multùm imminutæ sunt. Sed ea res minimè omnium me angit. Tamen de alio Domino cogito, & de eo, qui Læo successurus, multum spero, quicunq; is fuerit: nihil in votis maius habeo, quàm vt optimus præsul Westmonasteriensis ei succedat. Tu si vis, trades me cuicunque vis: sed si tibi ipsi nihil spe mea esset expletius. Si aliquid tale inposterum cogitas, felicem me vel leui aliqua significatione redde. Cum has obsignarem literas, ecce Madeus & Billus ad

lus ad me, de Grindallo ad te mittendo: quæ res propter arctam meam, cum eo coniunctionem aliquid commouit, propter vtilitatis tamen suæ rationem immensa lætitia perfudit. Quem hominem de optima nota (vt Cicero noster loquitur) tibi commendo: quemque diligentiâ & amore obseruantissimũ doctrinâ & studio tuo aptissimum, taciturnitate, fidelitate, & abstinentiâ honestissimum, ad quoduis opus tuum faciendum demisissimum fore recipio, atque promitto. Quamobrem, si ad eam voluntatem, quam vel tu olim tua beneuolentia, vel nuper B & M. commendatione contulisti, nouus cumulus hiis literis meis accedat, non in illum, sed in me, totum illud beneficium collocatum esse putabo. D. Iesus, solem illum illustrissimum orientem, patris patriæque spem maximam, fidei, tutelæ cõsiliique tui quadrigis commissum, ab omni occasu immunem sustentet & tueatur. Vale in Christo Iesu.

SCRIPSIT HANC PRO COVPERO. AD EPIS. LOND.

SI quanta semper fuerit tua in me voluntas, ac studium, Ornatissime Præsul, tanta mihi hoc tempore animi saltem grati significandi facultas suppeteret, me, etsi non ad gratias, quas debeo, maximas re-

ferendas habilem, ad nonnullas certe, quas possim, tenues & perexiguas agendas promptum alacremque persentisceres. Nam vt alia tua taceam beneficia, illud equidem ego in summis pono, & grata iucundaque animi recordatione fruor, quod D. tua, nullis meritis meis prouocata, sed singulari in me voluntate suapte sponte adducta, tàm ægrè grauateque ferat me è Diœcesi tua, relicto, quod illic habebam, Sacerdotio, nomine Thoringion, exiturum. Quamuis enim, vt ingenuè dicam, & eximius Dominationis tuæ fauor, multis grauibus indiciis significatus, & summa etiam eorum, qui vice tua functi sunt, beneuolentia, variis testimoniis cõfirmata, me potius illic, quam vllus illinc fructus percipiẽdus detinuẽre, diutius tamen vt mea cum salute ac commodo fieret, commodè commorari non potui. Nam ipsa cæli grauitas, illaque terræ plaga suapte natura, propter maris illam regionẽ alluẽtis vicinitatem, vliginosa tam grauem acerbumq; mihi creauit morbum, vt vix adhuc ex eius longinquitate integer recreatus sum. Cum ergo & propter cæli conditionem, & corporis mei imbecillitatem illo beneficio carere summum beneficium putauerim: à tua D. vehementer peto, vt Richardo Aluæo, viro honesto, graui & literato, Collegii nostri socio, omnib. omnium nostro-

strorum suffragiis ad id euecto, eiusdem, vt dicunt, præsentationem concedere dignetur. Idque si feceris, tanto me ære Dominationi tuæ deuinctum tenebis, ex quo posteà exire non licebit. Do. Iesus Dominationem tuam diutissimè seruet incolumem.

CVIDAM AMICO EBORACENSI.

HVmanitas tua facit, ornatissime vir, quam omnes tibi singularẽ tribuunt, vt ego omnis humanitatis oblitus, te, cui obscurus & ignotus sum, literis meis interpellem. Pernecessaria tamen res mihi incumbit, ad quam expediendam, quia tu solus is es, qui tantum facultate potes, quantum vis, & tantũ humanitate tua vis, quantum potes, inprimis ad te scribendum esse duxi. In qua re opem tuam, non opes vllas expecto & requiro. Ex obitu Reuerendissimi patris & D. mei Eduardi Eboracen. dolorem cũ plurimis communem, iacturam præcipuam & propè singularẽ accepi. Hic ante triennium omnẽ meam obseruantiã, obedientiam & seruitutẽ sibi firmissima fide mea deuinctã, tenebat stipendio annuo dato 40. solidorũ. Quæ pensio non exhibitionis (vt loquimur) sed mercedis nomine mihi quotannis ad festũ Annũciationis Mariæ, & D. Michaelis soluta est. Cuius rei

locupletissimus testis esse potest D. Langeriggus, qui tùm præsens fuerit, cùm Reuerendissimus pater fidem meam sibi obligabat. Viginti solidos hoc proximo superiore festo Michaelis recepissem, quā pecuniæ summā, eò iustius me posse exigere videor, quod cæteri reuerendissimi patris famuli omnes vt intelligo, integra stipendia sua obtinuerint. Qua pecunia si carerem, eò grauiùs ferrem, si solus carerem. Et cum ea pecunia, nec ita magna sit, vt pēsio eius hiis, qui reuerendiss. patris voluntatē exequuntur, grauis esse possit; nec ita exigua, quin tenues studiorum meorum rationes plurimùm sit leuatura: obsecro te, per humanitatem tuā, humanissime vir, & per eam voluntatem tuam, quâ literas & literatos omnes vnicè fouere diceris, vt tantum laboris, opis, & gratiæ tuæ, huic petitioni meæ tribuas (quod sine magna molestia tua fiat,) quantū ad hanc exiguam pecuniam obtinendā satis esse potest. Pecunia ne mihi soluatur, an aliquot ex eius Græcis libris mihi concedātur, nō magnoperè curo, præcipuè si illi in numero oratorū, philosophorum, aut historicorū fuerint. Est liber Græcus, qui decem Rhetores nominatur, continet enim orationes Æschinis, Lycurgi, Dinarchi & aliorum, hūc vehementer expeto, quia apud nos parabilis nō est. Istum librū, si vel

ſi vel ad eum modum quem dixi, vel pecuniâ mea mihi comparare potueris; rem non gratiſſimam ſolum & perpetua recordatione mihi vſupandam, ſed omni mea obſeruantiâ tibi compenſandam facies. Et hæc omnis mea petitio eſt, quam tibi ſignificandam hiſce literis eſſe duxi. Ad quam adiuuandam literas ornatiſſimi Præſulis, D. Georgii Daii, Ciceſtrenſis Epiſcopi, facilimè parauiſſem, niſi in hac ego ſemper fuiſſem ſententia, huiuſmodi omnia intempeſtiua literarum ſubſidia, prudentibus viris, non tamen moleſta, quàm ſuperuacanea exiſtere. Quamobrem, me & cauſſam meam omnem in vnius tui beneuolētiæ ſinum depono; cui tātum tribues, quantum vis, tantum ſcio, voles, quantum ipſa cauſſa, literarū ſtudia, tenues fortunæ meæ, ſiuè ſingula hæc petere, ſiue ea vniuerſa exigere, vllo modo videri poſſunt. Eſt & alia res, quā tibi participare volo. R. Pater mihi ipſe narrabat, ſe ſcripſiſſe in vniuerſum Pentateuchū Moſis, & quantum ego tùm ex ſermone eius elicere potuerim, in animo habere, vt liber ille excuſſus in vulgus appareret. Si hic liber operâ tua, in lucem & conſpectum hominum prodire poteſt, ea res & tibi præclaram laudē, & R. patris nomini immortale decus, & Chriſtianæ religioni omni immēſum quendā fructū & emolumentū aliquādo eſt pari-

tura, cum tam pauci sunt ex veteribus, qui eos libros fusè planeque explicare videntur. Si munus præfandi in eos libros mihi imposueris, non onus, sed honorem eximium mihi attuleris. Quam operam libentiùs susciperem, vt authori libri, nescio cuius Pasquilli, respōdeam, qui præter alias maculas grauissimas nomini R patris aspersas, tribuit ei, etiam in Dialogo quodam personam indoctiss. & barbariss. Quæstioni istæ, cum ego tamen nouerim, illū omnis elegantiæ & puræ dictionis amatorem præcipuum, ad quā rem perpoliendam, non me semel exhortatus est. Huiusmodi hominum obtrectationes silentio prudentissimè obruerentur, si non immoderatè nimis procacitate linguæ abuterentur. De cōmentariis R. patris in lucem diuulgandis plurimi hîc, idē, quod ego, sentiūt, facias tamē, prudentissime vir, quod tibi hac in re consultissimū fuerit. Si de vniuersa harum literarū ratione, cùm primū oportunitas tabellarii oblata tibi fuerit, quid sentias, tribus verbis significares, singulari humanitati tuæ hoc esset tribuendum. Vale.

D. IOANNI SETONO.

QVid scribam, nūquam mihi deesse potest quoties ad Setonum scribo. Quod sane libentèr semper facio, nunquam tamē libentiùs quàm hoc tempore, cùm me & mea

mea ſponte currentē vehementer ad id incitauit etiam Watſonus noſter. Ecce Tho. Thwatus tuus diſcipulus eſt, ad cuius rei effectum, mirificè ſinguli, ſed potiſſimũm Thwatus & Madæus, & id tua cauſſa elaborârunt. Qua in re, quicquid ego feci, abundantiâ amoris erga te feci, & illud totũ quicquid fuit, & iampridē debeo tibi, & plus eo, ſi vſus ad id vnquam tulerit. De Grindallo meo, de qua re mecum aliquid B. noſter ſtomachari tibi nō poſſum, cui aliquid certò ſcio, tribuiſſes, ſi aliquid tibi rogatu meo impoſuiſſem. Amiſi ego fideliſſimũ amicum, amiſit Collegium doctiſſimũ virum, cui parem, quod audeo dicere, cum à Watſono diſceſſeris, non habemus. Hinc migrauit, vt ſcis, in meliorē ſedem Reuerendiſſimus pater, & D. meus D. Eboracenſis: ex cuius obitu animus meus dolorem cum plurimis communem, fortunæ meæ iacturam præcipuam & propè ſingularem, exceperunt. Alius Dominus mihi quærendus eſt. Nemo omnium eſt, cui potiùs me & omnem obſeruantiam meam traderem, quàm ornatiſſimo Wintonienſi tuo, qui cùm ſit omniũ doctiſſimus, quid etiam docti ſint, optimè nouit. Moleſtus eſſe ei non cupio, nec tam opes quàm opem eius requirere volo. Puto me vſui illi aliqua ex parte eſſe poſſe. Si tu ita vis, ſcribam ad eum,

vel Græcè vel Latinè, vel vtrumq;, vel ex alterutra lingua versum, vel ex meo cerebro profectum. Sin tu non vis, non faciam. Quid mihi in hac re faciendum est, tu optimè potes vel consulere propter prudentiã: vel monere, propter amicitiã: vel imperare, propter authoritatem. Quas singulares facultates siue ingenii, siue bonitatis tuæ, vt in aliis rebus singulas sæpenumerò periclitatus sum, ita in hoc graui flexu fortunarum mearũ, non sine graui causa vniuersas vehementer expecto. Si me amas ergò, quàm primùm poteris, quid author mihi eris, literis tuis suauissimis mihi significa. Te in quartanam incidisse grauiter fero, quòd consilium meũ in ea re requiris, amãter accipio. Quod igitur vel vsu, vel auditione cognoui, id tibi libenter defero, id quod vt plurimum prosit tibi, vehementer exopto. Rescribe quæso, nihil literarũ tuarum sermone dulcius esse potest. Vale.

G. GRINDALLO SVO.

QVo arctiore beneuolentiæ vel pietatis potiùs necessitudine nos inter nos aliquot hos annos coniuncti fuimus, eò & acerbiùs digressum tuum quotidiana cogitatione vsurpo, & molestiùs oculos meos in his hominibus intuendis defatigo, qui, in nos deserendo, perfidiæ crimen subire,

quàm

quàm in te tuendo, amicitiæ nomen retinere maluerunt. Quam eorum, siue maleuolentiam, siue contumeliam, siue iniuriã, vtriusque sanè nostri acerbissimũ dolorem, vt communi concordiæ demus, vt literis & magno illi Checo remittamus, vt Christo Iesu hoc totum quicquid sit, condonemus, nostrã tamen suauissimam vitæ consuetudinem ita proditam & distractam esse haud secùs fero, quoties de ea cogito (toties autem cogito quandocunque te in cubiculo meo, in cibo, in ambulationibus, in studiis meis non video) quàm hii homines faciũt, qui graue aliquod vulnus faciei inflictum, & eminens, ab inimicis acceptum, cicatrice nulla nisi deformiss. obducendum identidem in speculo contemplari solent. Nec vulnus certè vlli vllum humanæ societati grauius imponi potest, quàm ab eo abstrahi, quem in omni pietatis officio charissimum, morũ suauitate coniunctissimũ, obsequio pupillũ, consilio veluti tutorẽ quendam semper habere licuerit. Qui ergò, te mihi abstulerunt, mi G. non diuitias, sed ipsam vitæ meæ animam exhausisse videntur. Quorum operâ elaboratum est, vt necessariò ad ea remedia compingamur, quæ vt sunt extrema in amicitia, ita vel rarum vel obscurũ semper consolationis leuamen afferre solent: & quæ partam amicitiam

tueri, non veterem cumulo aliquo & accessione augere possunt: literas dico, quarum crebritate non solùm vtriusque nostrûm absentis desiderium deliniri, sed notitia nostra hactenus semper mutuis officiis culta, sanctissimè & confirmata vtcunque contineri potest. Dum hæc scribo, mi G. quantũ angor vel stomacho, propter hominum indignitatem: vel mæroris acerbitate, propter absentis tui desiderium: meliùs tu cogitatione, quàm ego scripturâ, colligere potes: ab ea re igitur paululùm abducere me ipsum volo, vt scias, quid hîc rerum geratur. Conierus & ego in cubicula nostra, & si vis in studia nostra in singulos dies abdimus, te optamus, iucundissimũ consuetudinis tuæ fructum desideramus, &c.

Desunt reliqua.

EIDEM.

SAlue & vale charissime Grindalle. Hoc exordio libenter vtor, quoniam ferè nihil suppetit quod attexã. Potes per Pullænum nostrum benè & tutè scribere quicquid vis, & inprimis, ecquid ne placeat tibi illa viuendi via, in quam, me inuito, te ipse dedisti. Vtinam te ipsum noscere voluisses, & quantum tibi momenti ad summam eruditionem infuderit Deus, agnoscere sustinuisses. Hoc modo, vt nihil grauius dicam

&ami-

& amicis tuis summum luctum, & maleuolis immensum gaudium attulisti. Post tuum à me digressum, qui cum perpetuò vixissem, nimias amicitiarum propinquitates fugiam. Sunt enim homini inepto & vix satis ad res perferendas confirmato, qualis ego sum, mæroris & curarum plenissimæ. Sequar iam illud sapientis, Ama tanquam osurus: sed aliquando cùm otium fuerit, effundam in sinum tuum omnes animi mei cogitationes. Cùm in Aula Principis sis, nihil audeo scribere, quod secretum esse velim: vereor ne quidam homines nimis sint suspiciosi & curiositatis pleni. Quoties scribis ad me, scribe quas literas, & ad quem diem datas à me recipis. Per Ruddum nolui scribere, nunquam enim fiet meo suasu, vt vllius gratia relinquas Academiam, nedum Ruddi. Scripsi longissimas literas ad D. Cant. si Magister noster nondum obsignauerit, vellem vt legeres, & de tota illarum literarum ratione ad me scriberes. Non omninò dedo me acerbitati & luctui, canimus, sed tum tui maximè pungit desiderium. Feci ego Rhythmum quendam Latinum in modos illius cantilenæ *My little pretie one*, de Natali E. P. Dialogum fecit Christophorus hoc natali, & in eo lepidissime Cant. vtrumque mittam ad te, si adhuc delectaris huiusmodi nugis. De Corona

nihil audio, quam misit Dormerg. tibi pro loco Pensionarii tui. Recepi Chrysostom. summi Checi nostri, cum tua præfixa epistola, nihil legi auidiùs, Irlandus & Rauennus, diebus singulis festis cum Græco conferunt: volo enim vt cum eruditione pietatem imbibant, aliàs in Platone & Cicerone toti sunt. Saluta quæso mihi heroïcum illum herum tuum, apud quem quæso de me sæpissimè loquitur, nam nihil æquè peto, quàm vt nunquam dimittam gratiam illius viri. Est hoc stultè à me petitum, Grindal. sed omnes meas stultitias libenter apud te efferam: facit hoc nostra amicitia, facit studium meum, quo rapior ad Checum perpetuò admirandum. Quæso, mi G. elabora, vt placeas hero tuo: nihil Deo, hero, mihi iam acceptius esse potest. Scribe quæso sæpiùs ad Magistrum Cheke, illa res erit gratior hero tuo quàm vllum aliud officium, nihil erit magis ex vsu tuo. Totus sum in Toxophilo meo, seposui Herodotum ad tempus. Si scripsissem Toxophilum Latinè, videor potuisse mediocriter illud munus ornare: meo nomini melius consuluissem, sed non hiis, qui eum librum libentissimè lecturi sunt. Vides, vt præter expectationem abripior in longissimam confabulationem: sed nihil facio libetiùs quàm tecum loquor. Tabellarius non sinit me plus scribere. Scribe longissimè. 13. Febr. ILLV-

ILLVSTRISSIMÆ D. ELIZABETHÆ.

AD te ſcribere, illuſtriſſima Elizabetha, magis ne abſterreret dignitas tua, an inuitaret bonitas multùm diuque dubitaui. At cùm cogitatione complexus ſum, quanta me & abſentem memoriâ, & præſentem ſæpè humanitate proſequuta es, malui certè committere, vt importunitatis potius in ſcribendo accuſares, quàm taciturnitatis vllius ingratæ, in ſcribendo conuinceres: & facilius paſſus ſum meum nimium reprehēdi officium, quam meum ingratum culpari ſilētium, cum certiſſimè ſciam, literas meas amplitudini tuæ moleſtas eſſe non poſſe. Et cum mihi infinita ſuppetant ad te ſcribendi argumenta, nihil tamen lubentius facio, quàm gratulor tibi, quod tanta fortunæ naturæque ornamenta, tantis literarū præſidiis indies magis ac magis illuſtras: ex qua re maior ne tibi ipſi ad veram gloriā facta ſit acceſſio, an illuſtrior ingenii induſtriæque tuæ in ſermone omnium excitata commendatio, dubium & incertum eſt. Et quamuis hoc inſtitutum tuum, in iungenda præclara doctrina cum ſumma dignitate tua, ex Platonis diſciplina affluxiſſe certò nouerim, tamen nō dubito, quin plurimum tua ſponte & præſtāti iudicio ſuſceptū, mul-

tum ex præstantissimæ fœminæ D. Champernownæ consiliis profectum, nonnihil etiam G. Grindalli mei optimis præceptis adiutum & promotum esse verè affirmauerim. Legimus prætereà, & ante Platonis tempora, & in veris historiis, & in fictis poëmatis: optimum quemque semper principem, prudentem aliquem philosophum, sibi ad omne vitæ consilium adhibere solere. Sic Iouem Prometheo, & Agamemnonem Nestore vsum esse fingunt Poëtæ. Sic Hieronem Simonidem, Periclem Anaxagoram, sibi adiunxisse tradunt historici: ex quibus docemur, siuè præclaris factis præclarissimorum principum, siue prudentissimis consiliis prudentissimorum philosophorum, nihil antiquius esse debere, quàm vt summa potestas cum summa doctrina semper coniungatur. Atque hæc non eò referuntur, vt literæ meæ te cunctantem euocauisse, sed festinantem potius incitauisse, & in ipso extremo cursu existẽtem, veluti grato plausu, excepisse videantur. In quo præclarissimo laudis cursu, cùm nemo sit, quicum aut maiore cõtentione certare debeas, aut à quo victoriam insigniorem reportare poteris, quàm à te ipsa: facias ergo, nobilissima Elizabetha, quod quotidie facis, vt te ipsam indies superes, & generis tui claritatem splendore etiam literarum illustriorem

efficias

efficias. Quo facto, nec fortunæ tuæ maius quicquam accedere, nec votis tuorum exoptatius contingere, nec præsenti hominũ iudicio laudabilius proponi, nec posteritatis expectationi admirabilius relinqui potest. D. Iesus amplitudinem tuam nouâ indies virtutis & literarum accessione ampliorem reddat.

ORNATISSIMO VIRO, D. GVILIELMO PAGETTO, REGIO *Secretario.*

QVàm omnium, qui sese literis dediderunt, commune perfugium bonitas tua sit, optime ornatissimeque vir, communis omnium ferè bonorum vox est & prædicatio. Quæ sane res facit, vt ego nunc, nec magnitudinis negotiorum tuorũ quibus te propter singularem prudentiã tuam prudentiss. princeps præfecit, vllam rationem ducam: nec tenuem mei ipsius conditionem, cui me mea fortuna subiecit, vlla in memoria habeam: qui sic te à grauissimis grauissimorum horũ temporum negotiis, quibus in singulas horas circumfusus es, ad hanc meam caussam, licèt non maximè necessariam, non minimè tamen, nec tibi ad agendum honestam, nec mihi ad obtinendum exoptatam, abstrahere studeã. Huiusmodi res est. Græcæ linguæ professionẽ quã proximo hoc triẽnio munificẽtissi n° prin-

ceps noster publicè in schola Cantabrigiẽsi instituit, ambiunt duo iuuenes & literarum ornamentis exculti, & summis summorum amicorum præsidiis adiuti. Ego, cùm hos ope & gratiâ amicorũ æquare nulla ex parte potuerim, non modò omnium spem, sed omnem etiã illius rei vel cogitationem abieci, donec rumor quidam apud nos in Academia percrebuerit Regiam Maiestatem statuere ei, qui in Græca lingua peritissimus esset, illud munus tribuendum fore. Qua re auditâ multi docti viri, de me, quàm verè nescio, optimè sanè sentientes, me non tàm obtinendi spe, quàm illis morem gerendi voluntate incitârunt, vt Londinum irem, periclitaturus, nunquid Deus orphanorum & pauperum, qualis ego sum, adiutor, meam etiam caussam promouere vellet, qui optimè semper potest, & incredibiliter sæpissimè solet. Dum ego hîc in Aula inter obscuriores homines, obscurissimus versor, nec eruditionem meam (quæ ipsa perquàm exigua est) in contentionẽ cum illis duobus committere, omni amicorum ope destitutus, ausus fuerim, nec, si maximè auderem, vllam viam, qua illud facerem, scirem: ecce subitò tu, legatione tua, vt omniũ in ore est, prudẽtissimè confecta, domum reuenis, cum summa omniũ optimatũ & infimorum cõgratulatione, quod ego
tùm

tùm fortè præſens, ex læto hominum aſpe-
ctu, qui in te omnis conuerſus eſt, & ex per-
petuo omnium de te ſermone, & eo quidē
laudum tuarum pleniſſimo, facilimè intel-
lexi. Tū cepi ego multas cogitationes ver-
ſare, ecquis ne tu quaſi Deus, ἀπὸ μηχανῆς, à
Deo optimo maximo, non ſolùm ad Rei-
publicæ ſalutem, ſed etiam ad meæ cauſſæ
ſuſceptionē mittereris. Nam vel tùm ſpe-
rabam, ſummā illam probitatem tuā, qua
Regiam maieſtatem tibi ſummè beneuolā
conciliaſti, qua omnium hominū volun-
tates & ſtudia ad te diligendum aggregaſti,
qua literas & earum cultores vnicè ample-
cteris, qua cauſſas omnium prudentiſſimè
conficis, ad meam etiam cauſam aliquid
apportaturum. Quamobrem, ornatiſſime
vir, ſi Regia Maieſtas opera & gratia tua,
hoc munus Græcę linguæ profitendæ (mo-
do eruditio mea non ineptiſſima inuenia-
tur) mihi conceſſerit (vt, quod res eſt, lo-
quar) remuneratio à me nulla expectari po-
teſt, ſed totū hoc beneficium illi feres, & ab
eodem ſatis copioſum fructum reportabis,
qui dicit: Quicquid feceritis vni ex mini-
mis iſtis, mihi feceritis. Quod dictum ab
huiuſmodi authore profectum, nunquam
inane aut irritū fore tu ipſe optimè noſti. Si
quæris momenta ne vlla ſint, quæ cauſſam
meam adiuuare poſſunt, ſunt quidem non-

nulla, & ea non leuissima. Nam antequam Regia Maiestas lectionem suam in Academia instituerit, fui ego ascitus totius Academiæ suffragiis, cum satis luculento stipendio, ad Græcam linguam publicè profitendam. Et ex eo tempore, Græcâ linguâ quotidie in collegio D. Ioan. vbi ego socius sum, prælegi. Literæ præterea quas Academia ad Regiam maiestatē, siue ad quoscunq; alios honoratos viros, hos duodecim annos dedit à me semper scriptę sunt. Scripsi etiam librū ad Regiam Maiestatem, qui nunc sub pręlo est, de re sagittaria, quàm apta sit Anglis, cùm domi, tum in bello, & quomodo certa quædam eiusdem ars tradi possit, vt plenissimè ad perfectionem eius ab omnibus Anglis discatur. Hic libellus, vt spero, cum apparebit in lucē, quod fiet, Deo volente, antē Regis profectionē, nec obscurū amoris mei in patriā signum, nec mediocris meæ eruditionis mediocre testimonium erit. Qualis sum, satis nouerunt D. Cicestren. Redmannus, & Ridlæus, sed optimè Ioannes Checus si adesset, qui cùm in studio Græcarū literarū hos aliquot annos coniunctus fuerim. Et hæc sunt à me non ficta, vt nimis insolenter me ipsum iactem atq; venditem, sed absq; omni arrogantia, à qua lōgissime abesse cupio, dicta, vt causam meam apud te, ornatissime vir, quantum possem, adiuuem.

Si ægrè

Si ægrè fers, quòd his literis meis tempora tua atque negotia impediantur, tibi ipsi hoc assignare debes, qui sic spectatissima quâdam bonitate præstas, vt omnes, ad eam, à qua optima sperant, prouoces. Postremò, quicquid in hac re facies, non mihi solùm, sed literis & Christo Iesu, qui me vt scriberem ad te excitauit, facies: Quem in singulos dies precabor, vt te literis beneuolum & Reipub. salutarem perpetuò conseruet.

D. ESSEXIÆ.

EX omnibus primariis viris tu primus & princeps es, Nobilissime vir, cuius manibus hic liber inprimis gestari gestit: tibi enim vni quàm cæteris ferè vniuersis, se plus debere agnoscit. Nam tu primus eras, cui se primùm committere, & cuius præcipua ope in lucem conspectumque hominum apparere ausus est, moderatissimam tuam prudentiam in eo cognoscendo, & paratissimam tuam voluntatem in eo exornando vehementer admiror & suspicio. Quid enim tu de eo dicebas, vel tùm, cum se amplissimo consilio Regio ostenderit, vel nuperrimè, cum Regiæ Maiestati sese verecundè admodum & timide obtulerit, perpetuâ vsurpabo memoriâ. Videre enim vel iam videor, & quasi præsenti quodam obtutu intueri, quam diuinâ animi tui inductione,

quanta vultus ſuauitate, quam eximia laudis prædicatione, hunc librum extuleras commendaueraſque Diuæ ſemperque Auguſtæ Catharinæ, cùm ea fortè, quisnam liber is eſſet, interrogârat. Quamobrem cum hæc ſingula ſingularem quandam bonitatem in te perſpicue declarant, vniuerſa autem diuinam & heroicam naturam, natam ad rem & literariã & ſagittariam promouẽdam, duo ſumma Angliæ decora & ornamẽta manifeſtiſſimè teſtantur: ſummoperè mihi elaborandum eſſe video, vt cùm minimã partem huius ſummæ tuæ in me bonitatis, omni mea ſedulitate conſequi nequiuerim, parata tamen voluntate & ſtudio ſemper præſto ſim, ad eum hominem perpetuò me præſtandum, in quem hanc opem non indigniſſimè conſumptam eſſe iudicabis. Perge igitur, nobiliſſime vir, & literas etiam atque etiam exorna, vt illę te viciſſim exornẽt, & contende hanc laudem cæteris omnibus præripere, ex qua re verè nobilis, & germana ſempérque duratura gloria ſolet proficiſci. D. Ieſus, &c.

HONORATISSIMO VIRO THO. WRIOTHESLEIO, ANGLIÆ CANcellario Magno, Academiæ Cantabrig. & literarum patrono Maximo.

NEc priùs mihi quicquam faciendum putaui, nec magis oportunum, hono-ratiſſi-

ratissime vir, quàm, vt in hoc omnium, & hominum & negotiorum ad te concursu, hunc libellum tibi ad legendum offerrem. Iniquè enim comparatum est, si vniuersi tibi libellos litibus, querimoniis & turba referros porrigerent, & nullus pateret aditus illis hominibus, qui libros otii & delectationis, tibi adferrent: cùm nec prudentissimæ cogitationes tuę, sic quotidianis hominum controuersiis attritæ, diutissimè in negotiis consistere, ac durare potuerunt, nisi aliquo aliquando otii fructu recreatæ, iucunditati sese dediderint. Contrariæ enim res contrarias retinent, & complectuntur. Hoc enim omni naturæ consilio & artis imitatione cernitur. Sic diei labores fouet noctis requies, sic somnus vigilias sequitur: nec scamnum vllum, ad sedē firmum & stabile est, quod contrariis inter se pedibus, cohærens ac fultum consistat. Quamobrem, cùm omnes ferè cogitationes tuæ in cura & solicitudine versentur, & tāta tot hominum negotia, ab omni externa oblectatione excludant, offero tibi hunc libellum, otii mei in literis consumpti signum, & aliquod non ingrati animi in patr. ā testimonium: qui, si nihil attulerit ad te insigniter oblectādum, aliquid tamen moræ & impedimenti esse poterit, ad te, à nimis intentis cogitationibus, auocandum. At verò vix ausus fuissem

tempora tua à rerum grauissimarum procurationc remorari, nisi me prius ad id faciendum commouisset consilium eruditissimi Præsulis D. Cicestrensis, cui vnum ex istis libris obtuli, qui mihi animum addidit, affirmans fore hanc operam meam, tibi non ingratam, quia plus tu vnus, quàm vniuersi alii, rei & literariæ, & sagittariæ tribuẽdum esse sentis. Itaque si hunc laborem meum non penitùs displicuisse tibi intelligam, aliquid post hac certe nauabo & perficiã, quod cum fuerit minus literati hominis magis proprium, & mihi ad dandum tibi aptius, & tibi ad perlegendum acceptius esse poterit. D. Iesus, &c.

D. WINTONIENSI.

Librum meum Regio Consilio, tã communi omnium consensu probari, mirifica quadam lætitiâ me perfudit, ornatissime Pater: singulari tamen prædicationẽ à te tã laudato viro laudari, incredibili sanè infinitæ voluptatis abundantiâ me totum delibutum reddidit. Nam cum tu in omni rerum gerendarum susceptione singulos consilio, in quauis autem rerum scribendarum institutione, vniuersos iudicio superas, tibi profectò vni quàm cæteris vniuersis, hoc institutũ meũ probari, longè pluris facio. In hoc libro scribendo, longissimè

abesse

abesse, & discrepare ab vniuerso ferè Anglorum scriptorum numero studebam, non quòd aliquid Anglicè scriptum esse ægrè feram, sed quòd plurimum homines indoctos & temerarios in hoc studendi genere elaborasse intelligam. Materiam autem inanem, aut eorum facultati imparem sequuntur, in qua re verba propria & perspicua fugiunt, translata & ad verum splendorem accommodata nesciunt: dein, omnis rectè tractationis ignari & imperiti sunt. Nam Dialecticam, ad ratiocinationem, aut Rhetoricam, ad exornationem, ne summis quidem labris vnquam gustauerunt, & sic in nostra lingua vernacula non domestici & proprii, sed peregrini & aduenæ esse student. Cum hoc nimis verum esse scio, Anglos ad Anglicè scribendum nudos & inanes facultatis, præcipites autem & plenos temeritatis, tam inconsideratè irruere vehementer ægrè fero: audaciores enim, non peritiores in hanc rem ferè soli hos aliquot annos incubuere: quæ res & magnam confusionem in nostram linguam inuexit, & hoc regnum ineptissimis omnis generis libris oppleuit. Sequutus sum ego rem, nec mihi propter vsum imparem, nec cuiquam perniciosam & inutilem: vbi si tuo iudicio aliqua ex parte satisfeci, & voto meo plurimùm, & optimorum certè expectationi aliquid

me satisfacturum scio. Ad hunc verò librum scribendum plurimæ me rationes cohortatæ sunt, vel, vt aliquibus præclaris viris, qui me nimio sagittandi studio à grauioribus rebus distineri putabant, aliqua ex parte cognitum esset, non omne tempus meum τῷ τοξεύειν ἐκτετοξεῦσθαι, vt Aristoph. verbo vtar, sed vt præclara hæc res plurima occupatione vsurpata, aliqua aliquando opera mea, si non ad summam perfectionem, ad mediocrem tamen conatum exornata, in lucem conspectumque hominum appareret: vel vt ego tenui & exigua viuendi conditione vsus, longè infra communem studiosorum vsum positus, & iam recenti hinc commigratione in meliorem lucem Reuerendissimi Patris & summi patroni mei Domini Ed. Eboracensis in magnam solitudinem cõiectus, vel hac saltem viâ insisterem, quæ me, si non aliquem vitæ splendorem & speciem (quod non desidero) ad quietam tamen aliquam, & studioso homini necessariam viuendi facultatem (qua re vehementer opus habeo) aliquando esset perductura. Et hoc meum consilium felicior consequêtur euentus, si pro eo amore, quo literas & earum cultores vnicè amplecteris, aliquod testimonium iudicii tui de me (cùm occasio ad id tulerit) me meamque caussam, apud Regiam maiestatem adiuuet. A Re-

gia

gia autem maiestate nihil prius aut maiore studio expecto, quàm vt studia mea, in Italia & transmarinis partibus, aliquot annos sustentari possint. Hic scopus est, quem Toxophilus meus ferire elaborat: hunc si attigero, & rectissimè & honestissimè collimasse putabo. In eò maiorem spem huius petitionis meæ adducor, quò certiùs intelligo, Regiam Maiestatem solere præstantibus sagittariis (cuius rei nec ego omnino imperitus sum) sed literarum penitùs rudibus, præclaras & eas perpetuas viuendi conditiones tribuere. Ego igitur ad hanc rem conficiendam, tantum de Dominatione tua mihi polliceor, quantum honestissima caussa à summa authoritate, literarum studia ab vnico earundem Patrono, alumnus Cantabrigiæ ab eius dignissimo Cancellario expectare potest. D. Iesus, &c.

D. WIGORNIENSI.

ET nos intelligimus, quantū tu, eruditissime præsul, literis & earum cultoribus faues, & sępè etiam accepimus, quantum rei sagittariæ, præ cæteris primariis viris tribuendum esse sentis. Ego igitur, qui omnem vitæ meæ cursum literarū otio destinaui, nonnihil tamen tempora studiorum meorum sagittandi crebritate tāquam honestissima oblectatione temperaui, hunc librum tibi

offero, qui tantum vtrique rei tribuis quantum vtraque à prudentissimo præsule expectare potest. Qui si D. tuæ iudicio satisfaciet, & nunc minus laboro, quid vulgus hominum de eo existimauerit, & inposterum studebo, vt is fructus ex studiis meis in apertum proferatur, qui cùm literarum magis proprius erit, & mihi ad scribendum aptior, & tibi ad legendum acceptior esse poterit.

ORNATISSIMO VIRO, D. ANTONIO DENNEIO.

EXimiam bonitatem tuam, Eximie vir, in literas & literarum studiosos, cùm antè sæpe & priuato ex sermone Ioan. Checi, & communi omnium voce, tum nuperrimè, ex præclaris tui dictis & vultus suauitate, cum librum meum Regiæ Maiestati obtulerim cognoui. Opem, gratiam, studium tuum sæpe doctioribus contulisti, Optime vir: apud neminem tamen, qui vel maiori literarum cupiditate teneatur, vel tenaciore memoriâ hanc bonitatem tuam complectatur, vnquam deposuisti. Perge igitur, clarissime vir, & etiam atque etiam tuere illum dignitatis locum, ad quem te euexit Christus optimus maximus, vt, quasi alter Iosephus constitutus, inopum, sed præcipuè literatorum, patrocinium susciperes. Auge illam tuam opinionem de me, quam

tibi attulerit, vel nonnulla ex libro meo spes, vel illa familiaritas, quā cum Io. Checo in omni arctissima studiorum voluntate coniunctionéq; aliquot annos habuerim; vel summa illa tua bonitas, qua cunctos complecteris & tueris. Scripsi ego Toxophilum meum, non tam quòd honestatem sagittationis & eius vsum scripto me illustrare instituerim, quàm potissimùm, vt hac via insisterem, periculum facturus, num ea aliquando vitæ meę rationes tenues admodùm, & infrà communē studiosorū conditionē positas promouere potuerit: intellexi .n. aliquot peritos sagittarios summa beneficia à Regia Maiestate accepisse. Ea res me in magnā adduxit spē, in aliquo loco & numero, fore hanc operā & industriā meam qua ipsum sagittariorum numerum, aut peritiorem aut copiosiorem efficere elaborarem. Hanc spem meam sequutus est præclarus euentus: nam Regia Maiestas, vt audio ex summo patrono meo D. Pagetto, certam quandam annuam pecuniam mihi concessit. Nunc tu orandus es à me, optime vir, vt illam opem tuam in hac re conficienda mihi adferas, qua literas ipsas & earum studiosos ferè omnes tibi arctissimè deuinctos retines. Deposueris hoc beneficium non apud insignem sagittarium, sed apud mediocrem cultorem literarum,

qui hac bonitate, & Regiâ, & tuâ, non ad sumptum & speciē abutetur, sed per quem ea omnis ad literarū otia sustentanda conuertetur. D. Iesus, &c.

IOANNI WHITNÆO.

QVoties de præclara aliqua indole cogito, quæ nata ad virtutē, comparata ad doctrinam sit, toties tui mihi in mentem venit, charissime Ioannes Whitnæe, qui in tanto Aulæ negotio, literarum otium sequeris, & in maximorum vitiorum illecebris, minimè ab honestatis & germanæ virtutis viâ deflectis. Hoc spacium certè & curriculum veræ laudis existit, in quo, tu superari ab aliis non potes, si teipsum quotidie vincere velis. Opus non habeo, vt te in hunc doctrinæ virtutisq; cursum incitem, sed currentem potiùs inprimis collaudem. Si ad reliqua studia tua, has mortis imagines, hoc est, istius humanæ vicissitudinis, & istius Aulicæ vestræ inanitatis certissimū exitum adiungere velis, multùm sanè & animum pietate, & ingenium optimo carmine, iuuabis. Grindallus difficiliora omnia explicare potest: si non ita facit, pessimè facit. Accipe quæso, charissime Whitnæe, hunc iuuenem G. Irlandum meum in eo loco, quo me accipere velis: si noueris eum, quemadmodum ego noui, dignum magna huma-

nitate:

nitate tua esse diceres. Fac vt ex eius sermone, cum redit, veterem humanitatem tuam recognoscam. Aduentum tuum auidissimè expectamus. Saluta omnem illam nobilem familiam, potissimùm ornatissimam sororem tuam. Vale & me ama, ac rescribe.

CLARISSIMO IVVENI BARNABÆ FITZPATRIKE.

QVanquam intelligo, quo ardore ad literarum cognitionem incensus es, clarissime Barnaba, te tamen etiam aliquid cōmouere meis literis institui, vel quia tu ita rogasti, & ego ipse præsens coràm me sic facturum recepi. Et cum multæ res sunt, quæ te ad studium doctrinæ commouere multùm possunt, summa ingenii tui indoles, tempestiuæ ætatis oportunitas, præclara industriæ spes, locus iste quem præ cæteris apud Regiam maiestatem tenes, & præceptorum tuorum excellens doctrina, cum hæc quidem singula plurimùm possint, ne ea tamen vniuersa tantùm debent te excitare, quantùm splendor ille ingenii, studii, virtutis, & literarum qui in illustrissimo principe nostro Eduardo, te indies inspectante, eminet & elucet. Maiorem industriam, perfectius exemplum, clariorem laudis spem, proponere tibiipsi non potes. Sat dixi, omnia dixi, quæ vel tu ad laudem, vel

ego ad imitationem tibi cõstituere queam. Pollicitus es te rescripturum mihi, quod facies, vel vt liberes fidem tuam, vel vt declares quàm benè scribis, & quam diligenter studes. Tabellarium aptiorem, quam qui has perfert literas, requirere non potes. Misi exemplaria ad Regiam maiestatem, & reliquum illum nobilissimum chorum. Faxit Christus vt Diuus Eduardus laude patrem, doctrinâ præceptores, annis & felicitate preces Anglorum suorum superet. Et Christus te nouo indies virtutis, eruditionis, & nobilitatis cumulo adaugeat.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ ELIZABETHÆ.

IN toto illo splendore dignitatis tuæ, illustrissima Domina, nihil habes illustrius, quàm quòd maxima hæc tua & fortunæ & naturæ ornamenta, sic maiora indies literarum accessione efficere conaris. Et in hoc studio discendi, nihil studiosius discere debes quàm quòd quæcunq; tibi sunt, vel generis nobilitate concessa, vel naturæ fortunæq; præmio commodata, aliena laude esse coniuncta, aut incerta possessione ad tẽpora occupata: quæ verò virtutis tuæ industriâ parta sint, studiiq; assiduitate comparata, ad vtilitatem certissimum fructum, ad veram gloriam maximum ornamentum semper

allatura. Hæc laudis opinio inanis non est, neq; hanc gloriæ partẽ præscindendam tibi vnquam sentiet prudentissima fœmina M. A sed ab aliis etiã atque etiam tibi inserendam, & à te omni studio augendam perpetuò iudicabit. Perge verò clarissima P. & qua ratione initium fecisti, extrema persequere, vt hæ virtutis industriæq; tuæ fruges, quæ nunc in spe & expectatione, supra ætatem tuam, efflorescant, re aliquando supra hominum opinionem maturitatẽ assequãtur. Cum his literis pennam tuam reparatam, per hunc tabellarium misi, honestum iuuenem, & amicum meum. Deus Iesus, &c.

NOBILISSIMÆ FOEMINÆ, ANNÆ, ILLVSTRISSIMI COMITIS *Penbrochiensis uxori.*

MAgna tua in Midletonum beneficia, & maior tua in me beneuolentia, maximas meas postulant gratias, amplissima Do. Sed cùm sic sumus vterique & in ea conditione positi, vt tu aptior sis ad conferendum noua beneficia, quàm ego ad reponẽdum veteres gratias, gaudeo tamen vehementer, hoc beneficii genus, à te hoc tempore postulandum esse, in quo facilitas tua in concedendo, quàm labor meus in rogãdo paratior expeditiorq; erit. Rogo vt Pindarus tuus te vtatur tã munifica adiutrice,

quàm hactenus vsus est. Et quanquam satis intelligo, quòd hic à te sic tractabitur, vt meam cõmendationem non desideret, & quòd omnia per se ipse à te consequi possit, peto tamen à te, & maiorem in modum, ac si mea res esset, vt tua ope & gratia sic apud serenissimam Reginam vtatur, vt Pindarus sentiat & ego intelligam, nouam aliquam accessionem ad cumulum veteris tuæ in illum beneuolentiæ his literis meis adiectam esse. Quamobrem, in hanc curam omni studio tibi incumbendũ est, vt nulla sint, nec ingenii tui præsidia, nec doctoris tui præcepta, nec N. fratris tui exempla, nec clarissimi patris vestigia, quæ non te ad industriam, ad doctrinam, ad laudẽ, ad nobilitatem incitent, & cõmoueant. Neq; hæc scribo, in hanc sententiã vt te cunctantem prouocem, sed festinantẽ potiùs in hoc præclaro cursu incitem, & vt videar, non tam suscepisse munus monentis, quàm officiũ declarasse gratulantis, quanquã literæ meæ præclarum illud imitantur carmen Ouidii:

Qui monet vt facias, quod iam facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Vereor ne nimis longus sim, hoc solum reliquũ est, vt te rogem, vel tribus verbis rescribere mihi per hunc iuuenem amicum meũ, literæ tuæ erunt in me, vel quantum in Latina lingua proficis, vel quantum

tum me diligis, certissimum testimonium. Saluta quæso summũ virum T.S. & Winslæũ, opinor, nisi nomẽ mihi excidit, cùm morum eius suauitas fixiùs inhæret mihi, quàm vt vnquam euelli queat.

EIDEM.

TAndem Ciceronem tuum mitto nobilissima Domina, cuius libri studio, quòd tantùm delectaris, sapienter quidem facis: Cicero enim reliquos omnes in hoc libro seipsum superat. Sermo prudentior, prudentia disertior, requiri non potest: reliquam eius philosophiam splendor religionis Christi obscurat, veteres eius orationes noua fora nostra nõ recipiunt, libri Officiorum nullam non partẽ humanæ vitæ complectuntur, germanũ honestatis exemplum his libris exprimitur, ad cuius imitationem quisquis sese tradiderit, ab optima certè ciuilis vitæ consuetudine longissimè abesse non potest. Neq; hæc scribo, vt hortantis munus suscepisse, sed gratulantis officium declarauisse videar: diligentissimè enim studes, nec hortatione vlla eges, nec habeo quod tibi ad imitandũ proponam, nisi teipsum imitari velis, & tecũ quotidie contẽdere. Qua reportata victoria (vt alio tempore ad te scripsi) nec ad fortunæ tuæ dignitatem illustrius, nec ad veræ laudis perpetui-

tatem constantius, adiicere quicquam potes. D. Iesus amplitudinem tuam nouo indiès virtutis & literarum cumulo adaugeat.

ORNATISSIMO CVIDAM VIRO, AMICO SVO.

IS ipse iuuenis est, ornatissime vir, cuius caussam vt apud Reginam ope & gratia tua adiuuares, tantoperè efflagitabam. At cũ ex suauitate sermonis tui in colloquendo, & ex alacritate studii tui in Reginam adeundo facilè perspexi, quo ardore incensus es, quemque tuendi ornandique literarum nomine, minùs mihi laborandum esse putaui, de noua aliqua istius nunc instituenda commendatione: hoc tantum mihi spondendum, in meq; recipiendũ esse duxi, eam huius iuuenis & morum probitatem, & studiorum optimorum auiditatem esse, vt tu illum & mea scriptione ad commendandum, & tuo præsidio ad subleuandum dignum sis reperturus. Si mea res esset, non tantoperè laborarem, cùm aliundè fortunæ meæ sustentatæ sunt: istius autem angustiæ tantæ, & nunc sunt, & antè fuerunt, vt nisi serenissimæ Reginæ vnius beneficentiâ nixæ, hactenus constitissent, omnis spes eruditionis, quæ in hoc iuuene nunc est, singularemque pollicetur fructum, in ipsa veluti herba repressa omnis exaruis-

aruiſſet. Itaque ſi noua gratia & ope tua, vetus in iſtum Reginæ beneficentia contineri poteſt, eiſdem officiis, quibus hunc tibi obſtrinxeris, & me etiam tibi obligatum iudicabo. Et ſic ſpes, vel huius iuuenis in mea commendatione, vel mea in tua gratia & authoritate, vel noſtrum omnium trium in ampliſſima Reginæ beneficentia, minimè falſa & inanis exiſtet. Vale.

PRÆSVLI WINTONIENSI.

QVàm illuſtri ope tua, & eximia gratia me, cum in Aula eſſem, complexus es, nec propter ingratitudinem tacitus præterire, nec propter rei magnitudinem vnquam ſatis commemorare poſſum, ornatiſſime Præſul. Hæc ſumma bonitas tua, me ad nouum poſcendum beneficium, quàm ad veterem reponendam gratiam, multò paratiorem reddit. D. Norfol. hoc onus mihi impoſuit, vt vnum aliquem doctum probumq; virum ad nepotem illius erudiendum appararem: is eſt, qui has perfert literas, mihi familiaritate intimus, propinquitate coniunctiſſimus, & ea eruditione præditus, quæ à Watſono meliùs commendari, quàm à me commemorari poteſt. Hoc tamen à me dici poteſt, paucos admodum in Academia eſſe, qui omni ſolidiogis eruditionis parte inſtructiores exiſtunt.

Vnus ex eorum numero est, ornatissime Præsul, quos ego à literis & Academia diuelli ægerrimè ferebam. Sed ne, vel mei nominis honestati, vel illustrissimi D. expectationi deesse viderer, eum hominem paraui, quem ei muneri præfici, vehementer gaudeo: à mea tamen familiaritate, quam eisdem cubiculi & animi parietibus, multos annos arctissimè conseruauimus, vllo modo abstrahi etiam atque etiam doleo. In cuius gratiam, ad te literas scribo, eruditissime Præsul, cùm tu solus nobis ferè reliquus es, qui tua prudentia scis, authoritate potes, voluntate soles tantum literis literatisq; viris tribuere, quantum tribuendum est: si hic aliquo iudicii tui testimonio D. Norfol. de meliore nota commendaretur, & meis literis, huius voto inprimis satisfactū esset. Quod ipsum vt facias, nequaquam rogo, nisi eum hoc beneficio tuo dignum Watsonus affirmauerit. D. Iesus, Dominationem tuam diutissime conseruet incolumem.

ORNATISSIMO VIRO IOAN. ASTLÆO.

EX sermone G. Grindalli mei, Ornatissime Astlæe, facilè intellexi, illam sententiam Platonis à Cicerone vsurpatam verissimam esse, quòd, Honesti facies si oculis cerne-

cerneretur, admirabiles sui amores hominibus excitaret. Vix enim credibile est, quas faces ad te perpetuò diligendum, admouerit mihi eximia illa virtutis tuæ vis, quæ in sermone Grindalli & assidua commemoratione tui, tanquam in speculo aliquo, mirificè elucebat. Hic ardor amoris tui, hiis excitatus initiis, me admirabiliter inflammabat, & quasi hominem nimis pudentem, & in angulos obscuritatis suæ libentèr sese abdentem, euocabat, vt hunc libellum, quo ipse libentissimè vtor, studii & voluntatis meæ certum testimonium mitterem. Quod factum meum, non tam audactèr sanè susceptum, vt me tibi venditem, quàm amantèr certe institutum fuit, vt aliquam amicitiæ tuæ partem, vel hoc pacto, mihi adiungerem. Hunc librum mitto, quia (vt audio) vehementer eo legendo delectaris. Consilium profectò hoc tuum est prudentissimum & ad omnem honestioris vitæ dignitatem, quam tu summa constantiæ laude sequeris, adipiscendam accommodatissimum: in hiis enim libris, non adumbratum aliquod honestatis simulachrum informatur, sed germana, & vera virtutis effigies exprimitur: ita cum ipsa Iesu Christi religione cohærens & implicata, vt si non æterna salus hinc quærenda sit, tamen omnis is vitæ nostræ cursus, quem ad eam destinamus, non hiis le-

gendis impeditior, sed paratior multò & facilior efficiatur. Qui aliter sentit, adiat Christum loquentem. Qui non est contra me, mecum est. Perge igitur, ornatissime Astlæe, & sic circumsonent aures tuæ honestis præceptionibus libri huius, vt nunquàm cum vulgo aulicorum, ad perniciosas Aulæ illecebras quibus imperiti magis quàm vllis Sirenum cantibus capiuntur, adhærescas. Nō hæc scribo, quasi ipsa in mentem tuam non sine mea hortatione veniant, aut quasi vllum opus mea monitione habeas; sed vt potius intelligas, id quod elegans Poëta elegantissimo carmine expressit:

Qui monet vt facias, quod iam facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Grindallum meum, qui cū coniunctissimè hos aliquot annos vixerim, à me (nescio quo fato) abreptum, à te in tuam familiaritatem receptum esse, gaudeo vehementèr, eaque vt perpetua illi sit, etiam atque etiam opto: tantum in illo diligendo, tibi nihil cedam, in qua sanè contentione, ego te, an tu me vincas, nihil moror. Sentiet Grindallus tamen, in carendo possessione veteris familiaritatis meæ, & iàm auspicatò immigrando in tuam præclaram atq; vtilem mutationem fecisse. Postea longior ero si hæc tibi non displicuisse cognouero. Vale.

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO D. G. PAGETTO.

QVod tanto interuallo nec pręsens ipse, nec absens literis te interpellauerim, ornatiss. vir, nolim vt vel mei erga te officii debiti, vel tu in me beneficii summi, obliuione factum esse existimares. Sed cùm ego proximi huius superioris anni magnam partem graui tentatus morbo, Cātabrigiæ non fuerim, & tu, pro tua summa prudentia, ad summa Reipublicæ negotia cū Gallis pertractanda, communi totius Angliæ & voce & voluntate selectus legabaris: hinc consequutum est, vt officium meum, non culpâ mea præteritum, sed horum temporum varietate interruptum esse videatur. Nunc verò, cùm in Angliam redieris, pacem patriæ ad immensam singulorum congratulationem apportans, laudem tibiipsi ad infinitam singulorum temporum memoriam excitans, committere non potui, quin literis saltem significarem, quanto studio & lætitiâ hunc prosperum cursum, cùm publicæ salutis per te partæ tùm tātę laudis sermone omnium in te congestæ, ipse prosequutus sum. Lætitiam autem meam cum cōmoditate Reipublicæ confusam & implicatā, cū tua gloria cohærentē & permistam non possum sermone meo ostēdere, sed volo

eam opinioni tuæ relinquere, quam non ex mediocritate infimæ conditionis meæ, sed ex magnitudine bonitatis tuæ, qua me tibi arctissimè deuinxisti, æstimare debes. Si vacat de me etiam aliquid audire, quem sponte tua tuendum ornandumque susceperis, frequens nuper senatus Academiæ nostræ, me in Ioan. Checi locum, Oratorē Academiæ designauit. Nec eò à me hic suscipitur sermo, vt me ipse ostentem, in quo omnia sunt perexigua: sed vt ostendā, hanc gaudii partem mihi eripi non posse: quod iudicium prudentiæ tuæ, de me ignoto susceptum, testimonium Academiæ, cui notissimus sum, sic aliqua ex parte comprobauerit. Nihil enim mihi exoptabilius est, quàm id, quod tuam de me veterem existimationem vlla noua accessione adaugere possit, quæ vt perpetua mihi conseruetur, omnis mea in omni genere obseruantia tibi perpetuò deseruitura est. Vale.

ORNATISSIMO VIRO IOANNI ASTLÆO.

TAndem, clarissime Astlæe, catalogum Epistolarū, ad claras fœminas ex Hieronymo & Augustino tibi mitto: in quibus rebus inuestigandis, animaduerti, felicissimum illum, & doctissimum seculum fuisse, in quo plures fœminæ, quàm nunc

viri

viri literarum laude floruerunt. Omni laude superiores sunt illustrissima Regina nostra, & nobilissima Domina mea, Domina Elizabetha, quæ in hunc antiqui fœminei decoris cursum, sese tradiderunt. Turpe est, si tu vir, ab istis fæminis literarum studio superareris: & frater tuus Richardus, nisi valdè properes, tantum breui anteibit tibi doctrinâ, quantum tu illi ætate. Est hic Irlandus, qui has perfert literas, honestissimus iuuenis: quicquid illi, aut feceris aut dixeris, mihi factũ esse putabo. Expectam⁹, imò Deũ oramus, vt omnis ἐθελοθρησκεία, in hoc Parlamẽto tollatur: quã latè patet hoc Græcum vocabulum, & quẽ impetum facit in vniuersas veræ religionis partes, explicare tibi potest Grindallus noster. Veram doctrinam Christi populus omnis libentissimè amplectitur: sola sacerdotum natio cõtra veritatem repugnabit: hoc nouum non est, hii Prophetas, hii Christum, hii Apostolos, hii reliquos pios omnes semper perturbarunt. Sacerdotes expectant literarum interitum, quia illi contemnuntur: quasi vnquam illis quicquam commercii cum literis fuit: imò, quæ spes literis illustrior ꝓponi potest, quàm cum ignorantia horum hominum iustissimè castigatur? Sed diligens cautio adhibenda est, ne aliqui homines pl⁹ elaborẽt in plectẽdis malis sacerdo-

tibus, quàm reliqui omnes in excitandis ad veram doctrinam bonis ingeniis. Si hæc res benè ibi, reliqua omnia sunt in bono cursu, & in optima expectatione. Hæc ad te, quia vir Parlamentarius es. Has mortis imagines tibi mitto: ad veram pietatem, ad præclaram doctrinam, multa hinc haurire potes. Ruinam gloriæ, carnis, mundi, libidinis, & omnis inanitatis, tanquàm in speculo, cernes. Libenter tecum colloquor literis meis, & propterea longior, quàm expectabam, sum: & omnia sine ordine effutio, sed noui te aliàs accuratius: rescribe quæso. Saluta optimam fœminam coniugem tuam. Vale in Christo.

ILLVSTRISSIMÆ D. ELIZABETHÆ.

MAgnitudinem doloris tui, ex obitu Grindalli nostri, ex magnitudine amoris & obseruantiæ illius erga te, facilè æstimo illustrissima Domina. Hunc dolorem, magis apud te renouando augere, quàm consolando lenire vererer, nisi perspecta esset mihi prudentia tua, si consiliis prudentissimæ fœminæ, D. Catharinæ Astlææ munita, & optimis præceptis optimi Grindalli mei sic olim instructa, vt facilè intelligã illud remediũ, quod dies & tempus stultorũ mæroribus adferre soleat, in tua cogitatio-

ne, mente, & prudentia ita reconditū esse, vt illud ad omnem acerbitatis sensum mitigādum facilè depromere possis. Atque, si à me & hiis lugubribus literis meis consolationē expectas, qui non minimo meo dolore impeditus, minimum remediū, vel aliis, vel mihi ipsi præstare queam: nullus tamen certior fructus consolationis meo iudicio, vel magis ex dignitate tua, vel ex voluntate Grindalli tui, qui obiit diē suum, vel ex omnium nostrū expectatione esse potest, quàm si maxima in te spes excellentis doctrinæ, Grindalli opera excitata, ad speratam maturitatem perduci queat. Ad quam rem perficiendam, aptiorem præceptorē tibi, post Grindallum illum tuum, quàm iste Grindallus est, sperare non potes: qui vt nomine & cognatione, Grindallum tuum proximè attingit, ita literarum præstantiâ, morum cum suauitate tùm grauitate propinquissimè accedit. Et hæc de hiis. Ex arctissima coniunctione studii, voluntatis, beneuolentiæ, amoris, & intimæ necessitudinis ac pietatis, quę mihi cum Grindallo meo multos annos intercessit, nullum fructum maiorem spectare vnquam potui, quàm quod eius opera tanta beneuolentia tua mihi parta fuerit. Nec in optatis meis quicquam nunc magis quotidianum esse debet, quam vt tuus erga me vetus fauor, veteri Grindalli de me

iudicio nitatur, non ad nouum vel sermonem, vel opinionem alterius hominis referatur: nam cum Grindallum meum, summa cum mea acerbitate amiserim, Grindalli tamen de me iudicium, apud te amittere, nullo modo velim. Et ego laborabo vt quãtam spem collocauerim in bonitate tua, tantam etiam operam nauem in omni diligentia mea, vt studium, fides, & obseruantia mea vniuersa ad tuam voluntatem, gratiam, honorem, dignitatem perpetuò referantur. Et maximam felicitatem esse putabo, si illud tempus mihi oblatum fuerit, cùm mea opera amplitudini tuæ vsui esse possit. D. Iesus, &c. amplitudinem tuam, virtute, doctrina, & honore, ampliorem indies faciat. 22. Ianuarii 1548.

D. WATSONO.

CVm mihi peropportunus oblatus esset tabellarius, amantissime Watsone, aliquid certè scribere, licèt inane, καὶ οὐδὲν πρὸς ἔπος, impulit me amor, quo te semper, & summo & propè singulari hactenus prosequutus sum. Prouincia, quam tua caussa subiui, in initio dura, & mirandum in modum grauis, nunc partim vsu quotidiano facilior, partim ipsa propensa voluntate, quæ nihil omnino, Watsono impellente, licèt arduum inprimis & innumeris obstru-

ctum

ctum difficultatibus recusat abnuitve, non dico tolerabilior, sed iucunda propemodū atque suauis redditur. De nouis quæ hîc aguntur, sic accipio. Buckmasterus iterùm, aliis licèt ambitiosissimè prensantibus, Viceecancellarius est, & designatus & factus: absque illo esset, caussa mea penitùs concidisset, & spes illa, quam in multis amicis, potiùs quàm amantibus, positam & defixam habui, etiam περὶ τῶν μαθηματικῶν, aut inanis aut penitùs nulla fuisset. Pocuratores tuum auidissimè expectant reditū: molestis illorum precibus (ne dicam) odiosis, ad respondendum in celebribus nostris comitiis, protractus non adductus, impulsus & coactus, non allectus sum. Cantabrigia nulla adhuc vexata est peste, sed delitescit, nec vllibi caput exerit suum. Fama est, nec omninò vana, Regem huc hoc anno venturum. Promptuarium collegii Regii iterum omnibus suis vasis & ornamentis spoliatum & excussum est. Exorabo fortassis Hodgessonum, vt vltima hebdomada perlegat Dialecticen, si maiora fuerint negotia mea in comitiis, quàm bene expedire possim. In Christo valeas, viuas, rescribas, nihil iucundius, redeas, & diligas mutuò redamantem.

IOANNI CHECO.

QVa mæroris acerbitate afflixit me Grindalli mei obitus, tu facilè existimare potes, ornatissime vir: is tamen eius animus, in ipso extremo spiritu, tàm cæteris curis expeditus, & in Deum intentissimus, magnum mihi solatium attulit, vt testimonio talis animi, desider.ũ tanti amici, aliquantulum leuari videatur coniunctio arctissimæ amicitiæ, quæ mihi cum Grindallo intercessit, semper mihi periucunda fuit: nunquam tamen gratior extitit, nec cõparatior ad vsum meũ, quàm ad illius opportunitatẽ, tanta beneuolentia illustrissimæ D. Elizabethæ mihi collecta fuerit. Hęc bonitas illustrissimæ D. Elizabethæ, viuẽte quidẽ Grindallo, maxima apparuit, sed post discessum illius, ita nũc eminet, & effundit sese ex omni parte, vt in hæreditatẽ totius beneuolentiæ Grindalli peruenisse, nõ possessionem veteris illius in me gratiæ amisisse videar cogitat enim clar.ssima D. me in locum Grindalli sufficere. Et quanquã hãc tantam gratiam tantæ fœminæ, dimittere non instituerim: non libenter tamen in eã vitæ rationẽ, me ipse darẽ, nisi aliquo testimonio voluntatis tuæ & iudicii de me, ad illud munus accederẽ Neq; hoc à te contẽdo, vel fauoris illius augendi grat.â, qui cumula-

mulat'ſſimus eſt: vel commendationis tuæ aucupandæ ſtudio, quæ mihi exploratiſſima exiſtit: ſed quòd neſcio, quomodò tantum de te mihi largior, vt nihil magnum mihi magnoperè perſequēdum exiſtimem, quod non tui cōſilii gubernatione & ductu ſuſcipiēdum putem. Quod vt hoc tempore facerem, mea multùm me voluntas, plurimùm tamen tua humanitas, nōnihil etiam familiaris olim conſuetudinis noſtræ vetuſtas cōmouebat. Quàm graue tibi videri poteſt, alienæ honeſtatis iudicium ſuſtinere, facile intelligo: & quàm mihi quoq; optatum cenſeri debet, tanti viri teſtimoniū adferre, certè non ignoro: tu propterea facies quod tibi potiſſimùm faciendum eſſe duxeris. His ſuperioribus diebus eram cum illuſtriſſima Domina, mentem ſuam mihi declarauit, vbi ego, non ſubdolam cauponariam tergiuerſando ad vtilitatem meam exercebam, ſed apertam meam voluntatem ad obſeruantiam illius paratiſſimam oſtendebam. Declarauit mihi quoq; quantum pro Goldſmitho laborarent Regina & D. Admirallus. Suaſi ego vt illis morem gereret, commendabam Goldſmithum illi, & hortabar quantum potui, vt iudicio conſilioque tuo vteretur, potiſſimùm ad hanc rem: rogabamque, vt poſthabito omni fauore in me, hoc antè omnia curaret, vt illa ſpes ſingula-

ris in illa doctrinæ Grindalli operâ excitata, ad maturitatem perduceretur: vix enim credi potest ornatissime vir, ad quantam peritiam Latinæ Græcæque linguæ illa peruenire poterit, si eo, quo, Grindallo duce, cœperit cursu, progressura est. Tandem huc peruenimus, vt illa, pro summa sua in me beneuolentia, solùm me: ego pro fide mea in illam & debita obseruantia, optimum aliquem præceptorem illi exoptauerim. De me nihil dicere possum: in hanc spem tamen adducor, vt quanquam in omnibus ferè rebus ineptus & nullus sim, in tradenda tamen Græca Latinaque lingua, & in munere illo Secretario, aliquis certè esse possum. Cùm Londinum venerit Domina Elizabetha, hanc rem actura est cum Regina & Domino Admirallo, nec abs te quicquam, credo, conficietur. Quantum ad me spectat, operam omnem meam, studium, rationem vitæ, & meipsum, prudentiæ tuæ trado, cuius consilii ductum sequi perpetuò laborabo. D. Iesus te diutissimè seruet incolumem. 12. Februarii. Anno 1548.

CHARISSIMO CONIVNCTISSIMOQVE AMICO, GVILIELMO *Irlando, Collegii Diui Ioannis socio.*

LIteræ tuæ, quas Petrus Perusinus mihi attulit, pergratæ fuerunt. Libentissimè

vos visissem cùm Ioanne Whitnæo meo, in hiis proximis superioribus comitiis, si illustrissima mea Domina non impediuisset hoc meum consilium, vel quia Huntleus mortuus est nuper apud vos: vel quia libenter me nusquam dimittit. Cogito ad vos iterum ad festum Michaëlis, hoc est, vt perpetuo vobiscum maneam, si hoc cum bona Dominæ venia impetrari possit, quod certè vix spero: fauet enim mihi vnicè. Multi Aulici facti, veterem quietem magnoperè probant, sed hunc splendorem & speciem vitæ Aulicæ, relinquere nolunt: polliceri de me quicquam non possum, cogito tamen aliquid. Et vtinam, mi charissime Irlande, vnum aut alterum diem mecum hîc Chestoniæ consumere velles, vt omnes intimas cogitationes meas in fidissimum sinum tuum infunderem. Summas gratias, sed eas indebitas, pro nescio qua mea in te beneficentia mihi agis, tuum gratissimum animum, nullum beneficium agnosco. Si literas illas duas intelligis, quas à Domino Marchione Northamp. & D. Francisco Briano pro ferina in tuam & Raueni mei gratiam impetrabam, gaudeo si Grinwoodus noster eas tradidit tibi, & id libenter scire cupio. Quomodò traduco vitam meam, vellem vt vel ipse præsens cognosceres, vel ex aliorum sermone disceres; quanquam, si

sciam hoc te cupere, fusè in aliis literi[illegible] t[illegible]bi perscribam. Saluta grauissimum virum, & mihi amicissimum D. Madæum, cui quantum debeo non excidit mihi, se[illegible] quotidianæ inhæret memoriæ, ad quem (Deo volente) scribam breu[illegible]. Saluta nobilissimum Staffordũ, cui id opto quod ille sibi, hoc est, summam eruditionem cum summa virtute coniunctam. Fui nuper in Aula cum Regia Maiestate, vidi in cubiculo D. Somer. multos nobiles viros, quibus in Aula multùm D. Staffordus vsus est, sermonem de reb. leuissimis audiui, ô hos miseros cogitabam, & felicissimum Dominum Staffordum nostrum, qui nunc cũ Cicerone Cantabrigiæ, de reb. grauissimis & viro digno sanè dignissimis colloquitur. Saluta Magistrum nostrum, magistros Crosleum, Langd. Faudingum, Faucetum, Brownum, Bullocum Elandum. Hut. Leuerũ, Pilkintonum vtrumque, Tomsonũ meum quem cõstituo seniorẽ pro me, Patrickum, Pindarum meum, Tailerum, Letum, Thextonum, Saltũ, Squierum, Wilsonum vtrumque, si maior apud vos sit, Lakinum meum, cui tãtum virtutis & eruditionis exopto, quanta fuit mea semper de illo spes & existimatio. Et hoc dico etiã Caliburto meo, quem video, (nescio quomodò,) à me alienatum esse, quòd nunquã ad me scribit. Audio aliquid, & cupio multa esse falsa, iniu-

riā factam cuiquam probare non possum, nisi à Christi sententia discrepare vellem: vtinā affuissem, opinor hos motus aut sustulissem, aut sedassem. De optimo Staffordo, optimè sanè iudico, & interim de Hutchinsono meo pessimè cogitare nō possum: est enim, si quid ego video magno ingenio, singulari eruditione, & paucissimis cedit, honestis morib. iudicio in religionē sincero, est fidus, & Papismū ex animo odit: quo immerita iniuria quēuis impellere possit, tu facilè intelligis. Ingeniū, eruditio hominis, nulla nec recepta nec sperata cōmoditas me hæc loqui cogit. At natura feruidiore est. Quis sapiens hoc vitium non facilè ferret, quod tot cōpēsant virtutes? Quantū gaudium Papistis nostris hæc turba attulit, facilè video, & video etiā quas illi faces huic incendio admouerunt. Maior iniuria doctrinæ Christi puriori allata est, quàm vlli homini, si D. Staffordus omnia remitteret, maiorē laudē hinc reportaret, quàm ex Bononiensi illa expugnatione retulerit: quod non dubito illū facturū, cùm noui animū eius vt excelsum & magnū, vt par est, ita ad gloriā Christi adaugēdā, quiduis cuiuis cōcedentem. Et spero iam omnia inter illos constituta & integra esse: si scirē aliquid residēre, quo minus animi illorū cōiungātur, ego ipse aduolarem, periculum facturus, an

quos habeo mihi coniunctissimos vinculo pietatis, quod neuter opinor detrectaret, copulare potuerim nec ne. Naua tu interim, mi Irlande, & effice, quod me putares effecturũ, si apud vos essem. Verba Huttoni vt acerbissima, ita sine vlla causa Hiltoniæ in me coniecta facilè tuli: nec sic tamen dimittebam amorem hominis, sed conciliabam in arctissimam necessitudinẽ. Spero idem euenturum clarissimo Staffordo nostro, quem scio multò prudentiorem, quàm ego fuerim, ad id perficiendum esse. Saluta officiosissimè venerandam illam fœminam Magistram Cheke, D. Blith, & vxorem eius. Saluta opt. virum Ioannem Barnes, vxorem eius, cum tota familia, neque putet me abiecisse curam illius. Saluta Dickinsonum, & Guilielmum Cocum. Rauenum meum ex industria non salutabam, quia has literas, perindè vt tibi, illi scribo. Catharina R. lectissima & honestissima puella fuit mecum: eram eo die in Aula Regia, cùm illa Chelsonam venit, sin minùs, adduxissem ad Dominam illustrissimam. Si Wittam iam iueris, saluta omnes officiosissimè. Serua cubiculum meum, & exiguam illam supellectilem diligenter & nitidè, vt facis. Scribe longissime & fusissime, literæ facilè tradi possunt. Ægrè diuellor à colloquio tuo. Vale in Christo Iesu. Chelsoniæ, 8. Iulii.

CVI.

CVIDAM ORNATISSIMO AMICO.

VT me ipſe, cum omni mea voluntate, ſtudio, opera, & fide, tibi adiungerem, ſemper laboraui, Clariſſime vir, quod ſemper ego feci. Deum teſtem habeo, non magna fortunæ beneficia per te aucupans, ſed maxima virtutis ornamenta in te admirans. Hæc vna res me ſæpiſſimè commouebat, vt ſi non re obtinerem, voto ſaltem expeterem, eam mihi rationem vitæ aliquādo oblatam iri, per quam, fructum conſuetudinis & vſus tui, propinquiore aliqua ſuauitate delibarem. Hanc meam cogitationem animo meo ſemper vſurpatam, & ſermone meo tibi verecundè ſæpè ſignificatam, veluti nouo auſpicio, hiis nouiſſimis diebus excitauit, in me, ſiue DEI, ſiue mea, ſiue amicorum noſtrorum voluntas & conſilium, vt experirer, vt illi ſperabant feliciter, vt ego putabam, audactèr, vt vtriq; iudicabimus, ſatis honeſtè poſſit ne fieri, vt amor in te meus, propter virtutem tuam iam maximus, per noua vincula propinquitatis & affinitatis etiam maior exiſteret. A.B. neptem tuam intelligo clariſſime vir, quam mihi dari cum voluntate tua ſi vehementer exoptem, quāquam audax factum vel mea opinione videri poteſt, nullum ſcelus tamen, vel tuo iudicio exiſtimari debet: & vt tàm

speratam optarem literis meis propinquitatem, nulla in me dignitas, sed summa in te humanitas prouocat, vt si peccatum in hac re vllum sit, error, potiùs ex magna beneuolentia, quàm culpa ex honesta postulatione censeri debeat. Cum in me intueor, nulla naturæ fortunæve præsidia agnosco, quibus in spem tanti beneficii consequendi excitari queã: cùm Deũ cogito, & eius in me, omniũ hominum indignissimum, præcipuã curam & singularem prouisionem cõsidero, desperare non debeo: sed in hanc dubitationẽ adducor, posse fieri, vt Deus ad reliqua sua beneficia in me collocata, hoc etiam adiũgere velit: & proptereà, ad hanc rẽ Patrono apud te vti, præter Deũ, & humanitatẽ tuam non institui, nisi meipsum admittere vis, quem spondeo tibi ad omnem volũtatem & vsum tuum, opera, studio, re, fide, & obseruantiâ fore paratissimum. Si opes requiruntur, prudentissime vir, multæ exploratæ viæ cũ Dei benignitate sese offerunt ad has non difficillimè consequendas: quæ viæ multò expeditiores extabunt, si huius consilii cursus, tua voluntate, felix & explicatus futurus est. Animum meum in illam à Deo excitatum, verbi Dei gubernatio semper moderabitur. Si de intima mea beneuolẽtia dubites, refer animum ad eos pupillos, quibus plurimum vsus sum, & quibuscum intra eosdem parietes sem-

tes semper victitarim. Nec leuis ardor, sed certa animi ratio, amicorum vtriusque nostrûm consiliis gubernata, huc me impulit, vt plus diligerem illam cum tua (si fieri potest) voluntate, quàm diligerem cum vlla (vt sæpè solet) iuuenili leuitate. Non præstans forma, sed laudata vestra familia, nec illecebræ voluptatis, sed exploratæ rationes honestatis, in hoc me consilium deduxerunt: ad cuius consilii effectum, vt peruenirem, non alium aditum mihi dari optarem, quàm quem Deus Optimus Maximus tibi patefacere dignabitur. Quicquid ille author tibi erit in hac re, feliciter perfice: sin autem, non desperamus quin ille, & hanc rem, & reliqua omnia, ad eum exitum, qui illius voluntati optimus esse videbitur, perducturus est. Christus dignitatem tuam virtutis & honoris cumulo indies adaugeat. Si quis Nobilis vir, ad generale Cõsiliũ, de quo percrebescit sermo, legatus fuerit, libẽtissimè illi in eo itinere seruirẽ cui fortasse opera mea idonea esse poterit. Vale in Christo.

IOANNI CHECO.

QVas ego maximas habeo gratias, Deo semper ago, agamque dùm viuam, quod eius præcipua in me benignitate factum sit, vt vitæ meæ magnam partem in studio literarum, Cãtabrigiæ in amplis-

ſimo Collegio collocarem, & id potiſſimũ, vbi te & ſummum amicũ, & doctiſſimum præceptorẽ haberem. Nam, quæcunq; ego conſequutus ſum præſidia, ſiue fortunæ ad vſum vitæ mediocria, ſiue doctrinæ ad cultum ingenii perexigua, ea quidem vniuerſa, ex abundantia amoris tui in me ſingularis, & ex hiis literarum fontibus quos tu nobis magno multos annos ingenio, præcepto, exemplo, conſilio feliciter conſtanterque aperuiſti, profluxerunt. Et quò iucundior mihi ſemper extitit frequentiſſima illa, dies noctesque mihi vſurpata cogitatio, de ſuauiſſima vitæ conſuetudine, qua tecum in Academia vſus ſum, de illis ſermonibus quos nos inter nos ſeparatim, in tuo ſedentes cubiculo habuimus, quibus perſæpè, & tuum in me ſingulare ſtudium declaraſti, & meam in te certiſſimã ſpem excitaſti: de vniuerſa denique ſuperioris humanitatis tuæ ratione, quæ ſemper, & in Academia, & in Aula, in omnes partes vitæ meæ abundantiſſimè ſe effudit, tantò ſanè acerbior mihi tam ſolicitudo iniecta eſt, quòd in hoc recenti naufragio, quod ego nuper Aulicâ vi & iniuriâ iactatus, fortunâ magis quàm culpâ calamitoſum feci, tantoperè certi homines laborarent, vt in meo maximè alieno difficilique tempore, tuæ etiam de me beneuolẽtiæ curſum impedirẽt. Sed

in hoc concursu grauissimarum iniuriarũ, hoc me potissimùm leuat, quòd nullo modo mihi tã molestum esse potuit, me apud te, aperto odio, & conquisito mendacio accusari, quàm iucundum certè fuit, tacito tui de me iudicii testimonio defendi: id quod ex sermone tuo, quem mecum, cum proximè in Aula fuerim, habebas, facilè intellexi. Neque ego profectò vnquam potui, nec in posterum adduci potero, vt plus timoris in vlla noua maleuolorum calumnia, quàm roboris in veteri tua beneuolentia defigam. Et hoc in loco videtur mihi aptum tempus dari, exponendi de tota illa ratione Aulicæ vitæ meæ, & eius relinquendæ consilio, quòd libentèr quidem nunc facerem, nisi quòd illa res poterit oportuniùs, cum tibi visum fuerit, præsenti explicari sermone, quàm nunc in breues literas includi. Quãquam mihi in mea caussa, de me dicendi, nullam fidem adhiberi volo, nisi grauissimorum hominum grauissimum testimonium, meã innocentiam, in omnibus meis dictis factisque defenderit. Vnum R.S. grauis & integræ vitæ virũ, iustissima de caussa, omnibus iniustis vocibus leuium (vt leuissimè dicam) hominũ, obiicere possum. Sed illum mei & consilii participem, & fortunæ socium non adfero. Cumberfordus verò & Wilkinsonus viri tibi de meliori

nota multos annos cogniti, in hac re, nec falsum fugere, nec verum reticêre volunt: itaq; si vel hiis testib. non sunt inde omnes illæ deriuatæ iniuriæ, quibus Aulica me tempestas obruit, vnde fructum potius officii delibare quàm offensionis metum haurire debuissem, facilè tùm patior quidem, & tuam quoq; mihi occludi beneuolentiam ex qua & commodiores omnes superioris vitæ meæ rationes dimanârunt, & præclara etiamnùm, ad multas insequentes opportunitates efflorescit spes. Sin aliter, & me acerbè nimis, absq; vlla culpa mea, iniuriis non illustrissimæ D. meæ, sed Oeconomi illius oppugnatū esse cōperies, hoc impetrē abs te, quod sponte dabis, nec te sic auferāt vel hominum literæ vel tēporum iniuriæ, quin vetus humanitas tua veterē Aschamū agnoscat & tueatur. Et hoc eò vehementiùs contendo, quia nunquam pluris feci me abs te diligi, quam probari: id quod vt perpetuò teneam, omni studio, diligentia & obseruātia laborabo. Nunc vero, in hac deposita & iacente conditione mea, nihil magis me ad aliquam spē excitare potest, quā si post Regiam Maiestatē, & illustrissimam D. meam, cuius gratiam inuitissimè dimitterem, voluntas, fides, & opera mea, quæ nōnunquā nonnihil tibi probata est, in aliquo loco & numero apud te esse possit. Studium

dium hoc meum certè non repræhendes, cū illud non ab vlla alia re potiùs quàm ab inductione quadam & applicatione propensi, hos multos annos in te animi, proficiscatur. Reliqua quæ scribenda mihi fuissent ad te, vel de vita mea interea in Academia commodè constituenda, vel in transmarinis studiis duos annos sustentanda. (ad quæ perficienda, nonnihil polliceor mihi de tua ope & gratia) vel aliis literis breui, vel coram sermone oportuniùs explicabo. Elandus noster commendauit tibi iuuenem quendam ex nostro Collegio Henricum Wrigthum, qui siquid ego iudico, tanta ingenii, industriæ, constantiæ spe, in rectissimum studiorum cursum ingressus est, hoc est, tam feliciter Aristotelem & Platonem cùm Cicerone coniungit, vt, si qua ratione cœpit, progredietur, dignus sanè erit, quem tu & tui similimi, hoc est, hi, qui à Deo studiis fouendis præficiuntur, fauore & opibus complectantur. Christus Iesus te diutissimè seruet incolumem. Ianuarii 28. 1550.

ORNATISSIMO VIRO D. CICELLO.

SI scires, ornatissime Cicelle, quomodo in hoc alieno tempore tuo percrebuerunt & frequentissimo omnium sermone, & publi-

ca etiam Reipublicæ voce, cùm innocentiæ tuæ ſingula teſtimonia, tùm de ſalute tua communia vota, plus ſanè ſinceræ voluptatis ex iſtis omnium in te ſtudiis, quàm mæroris ex illis temporum & fortunæ acerbitatibus haurire deberes: contigit enim tibi ſoli quod nemini alteri, vt cùm tempora eſſent tibi maximè difficilia, nunquam hominum in te ſtudia fuerint expeditiora. Et cùm hoc cõſecutus es, inuita etiam fortuna, non tantum felicitati tuæ, quantum virtuti tuæ tribuimus, ex qua, plus veræ laudis, quàm ex illa raræ ſalutis contigerit: nam dici non poteſt, quàm præcisè, vniuerſæ Reipublicæ ſingulæ voces, quibus vox Dei ſemper ferè ſe permiſcet, tribuerũt tibi, quadripartitam illam laudem, quam Pericli tribuit Thucydides, γνῶναι τὰ δέοντα ἑρμηνεῦσαι τὰ γνωσθέντα, φιλόπολις εἶναι, καὶ χρημάτων κρείττων. Ex qua moderata prudentia tua, & ſingulari abſtinentia, quò maior vel laus tibi, vel vtilitas innumeris aliis profecta eſt, tantò mea quidem fortuna infelicior eſt, vt cùm nemo alius quàm ego, vel certiori iudicio, tuam ſemper dignitatem, vel maiori gratulatione, tuam nuper ſalutem proſequutus eſt, ſolus tamen à te læſus ſim, à quo cæteri ſunt mirificè adiuti. * Et, quanquàm omnia in me inferiora ſemper fuerunt, quàm quæ vnquam debuerint promereri vllam par-

tem

rem singularis tuæ beneuolentiæ: nunquam tamen credere possum, vt tu, qui aliis spectatam opem attuleris, mihi soli insperatam iniuriam faceres. Sed quemadmodum nec tum quidem, illis verbis mihi allatis, vllam fidem adiunxi: sic nunc tantum mihi largior de tua prudentia & æquitate, vt cùm caussæ meæ iudicem neminem recusem, te tamen ante omnes expeterem: & nisi, te iudice, superauero, perpetuam, & tuam & omnium bonorum offensionem, libenter sustineo. Res longior est, quàm vt literarum breuitate terminari possit: oportuniùs, si modo tibi erit otium, & si vis, coram sermone rem tibi explicabo. Precor Deum, vt perpetuæ tibi illæ, & virtutis, & fortunæ accessiones fiant, quæ tuæ Dignitati, & Reipublicæ expectationi, & meis optatis respondeant. E Collegio D. Ioannis. 15. Februarii. 1550.

ORNATISSIMO VIRO IOANNI CHECO.

QVàm quotidiana cogitatione magnitudinem beneficiorum tuorum complector, non literis ostendere, sed opinioni tuæ relinquere possum, ornatissime vir: scribendum tamen mihi hoc tempore ad te esse, putabam, vel quia vetus noster cõmunis, & certissimus amicus T. F. rectâ ad te profic-

sceretur, vel vt significarem, licèt nemini-
mam partem meritorum tuorum reipsa tibi
reponere queam, quo modo tamen tu tibi
aliquid à me referri vis, in eo præstando me
summoperè laboraturum: nempè, vt qua
ratione literarum fundamenta, te authore,
in hoc Collegio nostro iacta sunt, eadem me
(quantum possum) adiutore, reliqua perfi-
ciatur exædificatio. Et hunc cursum doctri-
næ bifariam expedire tu semper iudicabas:
primùm, vt singuli sic in singulis, natura
duce, elaborarent, vt vniuersa illa literarum
societas, in hac societate nostra continere-
tur: deinde, vt Christo omnis doctrina, in-
primis ex ipsis Scripturarum fontibus liba-
ta, vel certè ex his, qui illos proximè attin-
gunt fontes, hausta semper sit: videndumq;
summa cautione esse, ne quid ex illuuie illa
sentinaq; Pelagiana, ad hæc inficienda stu-
dia deriuetur. Verum vix credere vis, prudē-
tissime vir, quantum exarescit hic vigor
ille germanæ doctrinæ, qui vel hoc anno
præterito maximè effloruerat, & quomodò
repressa est illa alacritas, quæ in multis tuis
summa spe exorta est. Nunc, minùs miror
dictum illud tuum sæpiùs mihi inculcatum
in Aula, Cantabrigienses τὰ πολλὰ ὑστερίζειν:
hoc ego tùm eò referebam, quasi ad me ex-
citandum, non ad veritatem ipsam à te esse
propositam. Sed hanc rem & Collegii
nostri

nostri statum vniuersum, F. noster (opinor) fusè tibi explicare potest: hoc tamen dicere possum, nisi res nostræ per te constitutæ, & tuo consilio & authoritate conquiescant, spem tuam de nobis nostroque Collegio expleri non posse. Nondum obtinui cubiculum tuum: quo iure, cubiculo potius fraudari, quàm stipendio meo debeo, non video: præsertim, cum accersitus sum iussu D. Protectoris. Pecunia amissa, curari multis modis potest: cubiculum autem, cõmodũ præsertim, si in illius possessionẽ deuenit qui ossa sua, vt T. F. solebat loqui, & tabernaculum vitæ suæ, in hoc Collegio defixerit, parari iterum nunquã potest. Præterea, me Fauceto cõferri nõ æquissimè fero, præsertim, cum tu ipse scis qualẽ aduersarium, & olim Tailero, & nuper Billo sese intendebat. Tu nunquã probabas eorũ leuitatem, qui audaciam inimicorum, & obedientiam amicorum, sic compensare volunt. Vale in Christo ornatissime Chece.

CHARISSIMO SVO RAILTONO.

HVnc iuuenem, sine meis ad te literis, Londinum proficisci nolui, Charissime Railtone: nam ex amicis meis vniuersis, ne vnum in Aula (cum plurimi mihi sunt) habeo, ad quem, vel maiori studio, vel

iustiori de caussa, scribere debeam, quam ad te: versatur enim, semperque versabitur ob oculos meos, & magnum beneficiũ tuum in me adiuuando, & maior beneuolentia tua in me tam amicè suscipiendo. Nec mirari debes, si existimem magnitudinem beneficii tui superatam esse oportunitate beneuolentiæ tuæ: nam beneficium à quouis accipere, & populare & quotidianum quiddam est; vti autem beneuolentia, opera, cõsilio, gratia, & authoritate talis viri, qualis tu es, raræ certè propeque diuinæ felicitatis est. Et hic fructus beneuolentiæ tuæ, qui singularis mihi fuit ad vsum meum, eò gratior ad animi iucunditatem, & eò paratior ad memoriæ diuturnitatẽ existit, quod abs te profectus sit, qui virtutis opinione, non mercedis vllius expectatione adductus, voluptatẽ potiùs ex officio capiendam, quã vtilitatẽ ex beneficio fœnerandã esse iudicas. Cuius instituti laudẽ in aliis tuendis, tuere tu perpetuò: perpetuaq; defige in memoria, præstantem illam Ciceronis sententiam, qui putat, Nullum nec opũ, nec gratiæ, nec dignitatis fructum, vel vberiorem ad vsum, vel ampliorem ad laudẽ, posse existere, quàm is est, qui in aliorũ transfertur & collocatur commoditatem. Neque hoc, quasi nouum beneficium aucupans scribo, sed vt intelligas, quanti viri iudicio, huius

Facti

facti tui institutum comprobetur. Vides, Ornatissime Railtone, vt inanibus literis meis, certa beneuolentiæ tuæ ratio, compensata est: nam, cùm par in referenda gratia tibi esse non potui, studium tamē & voluntatem non deesse mihi, his literis, vt declararem, laboraui. Quod cōsilium meum, si non displicuisse tibi, vel vno verbo significes, literarum crebritate te posthac sum defatigaturus. Vale in Christo.

NOBILISSIMO VIRO D. MOVNTIOIO.

CVm proximè Cantabrigiæ Dominus Ioannes Redmannus esset, Nobilissime vir, & tùm mecum coràm sermone, & nuper literis vehementer agebat, vt me totum, & omnes vitæ meæ rationes, ad te, vel in Aula tibi vt seruirem, vel domi vt filium tuum instituerē, honesta sanè conditione deferrem. De qua re, cùm diù iam dudumq; cogitarem, & viderē meipsum, qui aliquot annos otio me literarū dedidissem, ab Aulæ negotio, & rerum tumultu nōnihil abhorrere, & libertatis suauitate, qua iādiù fruebar, à seruiendo me libenter velle abstinere, nec ad filium tuum instituendum, quantū vel prudentia tua à me expectat, vel aliorum beneuolentia de me prædicat, vel talis muneris susceptio postulat, tantum à me

posse exhiberi: tamen, & tanti viri hortatu, multum commouebar, & literatissimæ Mountioiæ familiæ nomine atque celebritate plurimùm alliciebar. Reuera enim cēsebam, me non ab otio in negotium, non à literis in Aulam, non à libertatis fructu & suauitate, ad grauem seruiendi vsum ac molestiam, sed ad illud Musarum domicilium ac familiam vocari, cui præter vnam in Italia, Medicæam, in omni seculorum, & vetustatis memoria, parem aut similem non inuenies. In qua re, cò maior præ cæteris omnibus laus tua est, quò plurimi familiam suam, & literarum studiis fundatam, & eruditionis splendore illustratam esse voluerunt, vt pater tuus: sed perpauci sunt, qui huiusmodi literarum quasi hæreditatem sibi relictam vel multis vigiliis grauibusq; studiis suis retentam & conseruatam coluerunt, vel magno accessionis cumulo amplificatam adauxerunt, quod tibi, cum non multis aliis, commune est. Verum, qui eandem tam sanctè & integre conseruatam, tam omnibus modis auctam & cumulatam, liberis, & sic omni posteritati propagare studuerūt, nulli ferè post natos homines fuerunt; & dubium, an deinceps posthac futuri sint, quos tu tā gloriosę laudis socios & consortes merito potes habere. Hæc res, clarissime vir, omne meum

studi-

ſtudium, & vitæ rationes, ad tuæ voluntati obſequendum adduxiſſet, niſi Reuerendiſſimus Pater D. Eboracenſis, biennio abhinc, omnem meam fidem & obſeruantiam maximis ſuis beneficiis, ſibi deuinctam obſtrinxiſſet. Quamobrem, ſi vlla alia res ſit, in qua tenuitas noſtra vſui tibi eſſe poſſit, nec lubentiore animo, nec paratiore ſtudio quẽquam id effecturum inuenies. Per literas ergò te rogo, quas tu ſic quotidiè ornas Ornatiſſime vir, vt illam voluntatem, quam de me aliorum prædicatione concepiſti, eam perpetuò integram, tua bonitate, mihi conſeruatam eſſe velis. D. Ieſus, &c.

ORNATISSIMO VIRO D. IOANNI REDMANNO.

Literæ tuæ ornatiſſime vir, quas mihi abs te nuper G. Hodgeſſonus attulit, mirifica me quadam voluptate affecerunt: nam, præterquam quòd temporis illius, cum nos inter nos quotidiana familiaritate coniunctiſſimi eſſemus, periucundam mihi memoriam renouabãt, ſingularem prætereà illam beneuolentiæ tuæ voluntatem, qua me à puero vnicè ſemper es complexus, nec vlla vel temporis iniquitate mutatam, nec locorum interuallo diminutam, ſed retentam animo tuo, & amãtiſſimè conſeruatam eſſe, graue inprimis & eximiũ teſtimonium

dabant. Quod beneuolentiæ tuæ erga me studium dimittere, eò grauius & acerbius semper esse duxi: quo idem literarum & virtutis nomine susceptum, & iudicio potius ac voluntate, quàm vlla necessitate profectũ esse perpetuò intellexi. Et profectò cum in proximum hoc triennium me cogitatione refero, in quo aliqua (vt aliqui putabant) voluntatum nostrarum separatio, nulla animorum nostrorum (vt nos scimus) distractio fuerat, & cum in causas singulas, quamobrem homines ita cogitarent, diligentèr intueor, eas omnes opinione, quàm reipsa, maiores esse video. Nam, quamuis (quod summum & solum fuit) in sociorum nostrorum electionibus, à te, & tua voluntate discrepabam, ego tamen, vel tùm quidem, in eandem tecum rem, eodem animo, licèt dispari studio, incumbebam: vterque enim pupillos suos iuuandi studio commotus, ad eundem consiliorum effectum contendebamus. Quare, si aliqua huius rei culpâ ego teneri videor, tu ipse (pro nostro amore & prudẽti facilitate tua, liberè loquar) omninò ab ea liberari, & longissimè abesse non potes: nisi fortasse, te, pro tuis omni contentione laborasse, me omnẽ meorum curam, tutelã, ac fidem abiecisse, æquũ esse videatur. Cum ego potiùs censeo, eò me maiori studio debuisse illã tum mihi oblatam pupillos meos

iuuan-

iuuandi occasionem & facultatem vigere, quò tu quotidiè ad ornandum tuos longè maiorem, ego verò ad tuendũ meos, haud vnquam post id temporis consimilem nanciſci potuerim. Atque, quod ad I. G. attinet, quantum tu à me, in ea cauſa vt facerem, vel Cantabrigiæ, vel cùm eſſem apud te Londini rogabas, tantum omni opera, diligentia atque fide nauaui & perfeci: nam, non vt maiorem ad victum affluentiam inde caperet, ſed vt aptiorem ad ſtudium oportunitatem ibi haberet, te velle illũ in noſtrũ Collegiũ cooptari, ipſe tu mihi dicebas. Quam rem, vt inprimis potui, curaui: ita, in eorũ ſententia nunquam fui, ſed ab ea longiſſimè abeſſe cupio, qui putant, quod pro vno facias, pro nihilo eſſe habendum, niſi contra alterum inopem & honeſtum te intendas grauem aduerſariũ. Inuitus ſanè facio, optime Redmanne, vt vllam, vel horum tẽporum memoriam renouem, vel cicatricẽ dolorum meorum acerbitate obductam refricem: eò tamen lubentiùs hoc apud te facio, quoniam ſi te noui, ſi tu hiis turbis affuiſſes, & minus ego ab aliis tua moderatione læſus fuiſſem, & ea vulnera, quæ excipiebam, maturo prudẽtis ingenii tui remedio faciliùs multò curaſſem. Nam, vt domeſticas iniurias prætereã, & grauiſſimas repulſarum acerbitates, quibus hæc me penè tẽ-

pora conficiebant, (vt leuissimis verbis in tanta re vtar) hoc tamen minimè ferendũ est, eò vsque prorumpere hominum alios lædendi libidinẽ, vt non satis esse ducerent, domesticã meam tenuitatẽ ad desperationem vsq; affligere, nisi omnem de me, apud multos præclaros viros positam æstimationem præcidere conarentur. In quam rem ita sedulo nonnulli, tantisque opibus incumbebant, vt nulla vnquam cuiquam homini, mei, temporis, loci, & conditionis, facta sit iniuria, vel acerbior ad calamitatem, vel grauior ad existimationẽ, quàm hæc facta fuerit mihi. Verùm, (quod ex animo optime Redmanne loquor) si quemadmodum omnem illatæ mihi iniuriæ recordationem, iam diu, non solùm mitigauit dies, sed totam obliuione contriuit, ita mutuas aliorum voluntates redemisset dies, & violatam existimationem, in integrum mihi restituisset, haud vnquam vel eius memoriam refricuissem, vel tam gementes cogitationes meas apud te, hoc tẽpore, deposuissem. Vehementer tamen lætor, hanc ad te scribendi mihi oblatam esse occasionem, libenterq; facio, vt hæc apud te effundam, quoniã amorem tuum erga me, plus & vetustatis & vitium habere spero, & moderationem tuam, vel in grauissimis iniuriis, placabiliorem esse scio,

quàm

quàm vt (cùm in toto hoc negotio, nulla mea certè præcipua culpa fuerat) vlla grauis & singularis offensio, in animo tuo resideat. Quamobrem, te rogo (Optime vir) per vetustatem amoris nostri, per pias omnes & intimas necessitudines, quæ mihi tecum vnquam intercessere, vt veteris potiùs tuæ de me, non meo merito, sed beneuolentiâ tua conceptæ opinionis, quàm vilius, non culpa mea, sed aliorum maleuolentia recèns excogitatæ offensionis, cursum liberiorem & expeditiorem esse velis: quam rem à te pariter, & ab eximio viro, quem mihi semper ad colendum, & obseruandum proposui, D. N. exoratam esse cupio. Sed de his rebus, si tu ita voles, coràm oportuniùs nos inter nos communicabimus. Nunc venio ad literas tuas: quibus tu me in Aulam, vt Domino Mountioio seruirem & filium eius literis instituerem, non pessima conditione accersis. Atque vt breuiter ad singula respondeam, non tantum mihi placuisset, ad longè ampliùs viuendi munus vocari, quantùm nunc lætor, me à te ad hoc etiam, si multò esset tenuius, requiri. Verùm mihi, & omnes meiipsius, & vitæ meæ rationes consideranti, & eas difficultates in quas huius muneris susceptio coniiceret, prospicienti, non tot ad alliciendum inuitationes propositæ, quot ad absterrendum

auocationes obiectæ esse videntur. Nam vitæ genus commutare, & teipsum, quasi quodam modò retexere, vt opus magnum arduumque est: ita, ab omni vel periculi metu, vel doloris sensu vacuum esse non potest. Quamobrem, cùm ego me hos aliquot annos in literarum studia, si non maximo cùm fructu, non minima tamen cum voluptate abdiderim: & nunc à tam placido portu, in eas fluctuum procellas meipsum abducerem, nec à magna doloris acerbitate, propter veteris otii mei & tranquillitatis recordationem, nec à summo periculi metu & discrimine, propter insolentem quandam tantarum rerum imperitiam abesse diu potuerim. Præterea, cùm in tanta quiete, & in hac (vt ita dicam) viuendi planitie, nondum adolescentiæ meæ gressus, vel mediocriter cõfirmatos habuerim, quomodò quæso in tam præcipiti Aulæ lubrico, absque graui & periculosa prolapsione constiterim? Itaque, siue otii mei fructu, quo carerē, delectatus: siue grauioris alicuius casus metu, in quem inciderem, auocatus: ab Aula hoc certè tempore, & ea conditione nonnihil abhorreo. D. Mountioius, quamuis à literis, vt opinor, alienus non sit, optimo patris exemplo nonnihil incitatus, ad alias tamen res vereor magis procliuis ne sit, adolescentiæ feruore, & Aulæ

quasi

quasi aucupio & tendiculis prolectatus. Nec me fugit, quàm esse solent omnes Aulici ad pollicendum largi & prolixi, ad præstandum tamen tenaces & restricti. Quid quòd nec animi aut ingenii ornamenta, quæ in me sunt perexigua, ita vllo iudicio æstimant, quemadmodum corporis vires ac præsidia, quæ in me sunt prorsus nulla, ad tempus desiderant. Quod mones: vt hanc conditionem, ad quam D. Mountioius me inuitat, aliquot mensibus experirer, & si arrideret, amplecterer: sin minus, ad Collegium redirem, quod interim mihi saluum esset: amanter quidem facis, illud tamen consilium haud mihi sequendum esse duco: nam si ita facerem, vel temeritatis in suscipiendo, quod præstare non potuerim: vel perfidiæ in deserendo, (vt fama esset) cui me addixerim, vel leuitatis, & inconstantis viuendi rationis, quam sic indies commutarem: insignem quandam notam, grauemque reprehensionem apud illos, quibus hoc consilium non satis esset explicatum, sustinerem. Ad docendum pueros Grammaticam, quam primoribus labiis vix satis ad vsum meum degustaui, non perfectè pleneque, vt alios cumulatè instituerem edidici: nec reipsa habilis aut accõmodatus existo, & ab eo munere, quodam animi mei iudicio, vehementer ab-

horreo. Stipendium, quamuis exiguum, non contemno: namque ipse iam diu satis vsu obdurui, ad quantumuis tenuem & iacentem fortunam excipiendam: & animus meus (nec hoc dictum arroganter putari velim) nunquam nimis vehementi cupiditate exarsit, aut ferebatur, ad præcipuam aliquam & affluentem fortunam concupiscendam. Quambrem, cùm aditus homini meæ ætatis, & loci, ad Aulam vix satis patet tutus, & domum eo consilio regressus non admodum dabitur honestus, & ego ipse ad tale munus nullo modo habilis sum aut aptus, & hac mea mediocri fortunâ facile sum contentus, D. Mountioium æquo animo laturum spero, si voluntati eius hac in parte satisfacere non queo. Verùm, vt hæc omnia mihi essent solutissima, alia re, istis omnibus longè maiori, ab huius muneris susceptione excluderer: Reuerendissimo enim Eboracensi, omne meum studium, iampridem, obseruantiam, & officii rationes deferebam: quo Præsule, nec ad res meas adaugendas magis munificum, nec quicum otium literarium amplexar magis oportunum quenquam quærendum mihi esse duco: cui literas, quas ad eum scribo vt tu tradas, opt. vir, vehementer es mihi rogandus. Quod eò impensiùs ad te efflagito, quo magis timeo, ne de ea volun-

tate,

tate, quam in me ſponte ſua propenſiſſimam contulit, aliorũ iniqua peruerſitas, hac temporũ iniquitate, nonnihil detraxerit: nam, neque vllus eſt tam longinquus locus, quo ea non peruaſit, βλάβαι enim ſunt ποδώκεις, vt ait in Antigone Sophocles: nec vllum pectus tàm ſanctum atque integrum, quod ea non attentauit. Nec eô iſta dico, quaſi conſcius mihi ſim, aliquid à me cõmiſſum eſſe & deſignatum, quo animus eius à me vllo modo ſit abalienatus: nam, niſi Setonus & Watſonus ſtudiorum & vitæ meæ rationis, ſi requirantur, teſtimoniũ dederint honeſtum, non amplius ego te rogabo in meam gratiam, vt ab ore tuo verbum exeat vnum. Hoc tamen te non celabo. Proximo anno, vt tu ſcis, verti commentarios Græcos in epiſtolam ad Titum, quos, quaſi obſeruantiæ meæ ſignificationem, Reuerendiſſimo Eboracenſi offerendos eſſe duxi. Cum ad ædes eius acceſſerim, nec in conſpectũ eius (quẽ tum in lecto grauitas valetudinis detinuerat) venerim, librũ ei tradẽdum G. Læo fratri eius committebã. Tradidit, perlegit: in illo quod eũ offenderat, inuenit: librũ remiſit non ſine munere, vt locũ excuterẽ: locus hic fuit: Μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, αὐτὴν, φησιν, εἰ δέ τιν νομίμην μόνην τοὺς τοῦ γάμου βδελυσσομένους, αἱρετικοὺς ἐπιστομίζει ὡς δυναμένους καὶ γάμου ἐπισκοπῆς τινος προϊστεῖν.

Domum reuersus, Chrysostomum, ex quo hos commentarios Oecumenius magnam partē excerpsit, inspexi, locum inde mutuatum esse facilè intellexi. Græcus Chrysostomus non erat ad manum: quæso excute tu locum. Et puto ego multa, nascēte Ecclesia, necessitate quadā fuisse permissa, quæ cùm ea adoleuerit, & quasi ætate grandior facta fuerit, prudentum magistratum consiliis sint rescissa. Et hoc totum illud est, quod te celare nolui. Quam ergo vel Reuerendissimo patri de me suspicionem, vel tibi de toto negotio cogitationem hæc res mouere potest, planè non video: hoc scio, me tantum de vlla re quæ non esset integra aut orthodoxa, tum cùm eum librum verti, cogitasse, quantum quid in Vtopia ageretur, eodem tempore cogitaui. Quamobrem, vt fidei & obseruantiæ meæ (quam omnē iampridem ad eum detuli, & ad eius solius vsum atque voluntatem hactenus conseruaui) aliqua ratio constet: vtq; sciat, quàm graui animo ferrem, gratiam eius mihi collectam, cuiusuis rei spe, vel hominis fauore, effundere & dimittere, à te per omnia sanctioris nostræ necessitudinis vincula quæso, vt, si aliquid de eius animo erga me, extra meam manifestam culpam detrahatur, id tui de me iudicii testimonio in integrum mihi restituatur. Tantum enim apud eum opinionis tuæ

cessu-

testimonium habiturum est, vt non dubitem, quin nouus quidem ac singularis gratiæ cumulus ad priorem eius voluntatem, vel leui tua commendatione, mihi accessurus sit: id quod si feceris, nec mihi, vitæque meæ rationibus, gratius & commodius: nec tibi, veterique mori & perpetuæ consuetudini tuæ propius & coniunctius quicquam excogitare potes. Cũ hoc facies (vides quantum mihi de tua bonitate polliceor) etiam adhuc aliud mihi rogãdus es vt facias: nempe, vt cum Galfrido Læo, vel qui familiæ Reuerendissimi Patris procurationi præsit, agas, vt eam pecuniam, quam mihi Reuerendissimus Pater quotannis, ad studia literarum sustẽtanda suppeditat, per te mihi mittat. Summa est quadraginta Solidos: viginti enim ad festum Michaelis præteritum debebantur, & tantum hoc tempore recepturus sum: ita enim pecuniam soluendam esse constituit ipse D. Eboracensis. At vero, si hoc annuum stipendium, in aliquam Præbendam, quam vocant, vel infimi preti & æstimationis (licèt maximum quiddã ad retinendum vnà cum Collegio mea lectio Græca mihi permittat) opera tua, & eius munificentia commutaretur, nec tibi ad faciendum mea caussa maius, nec illi ad tribuendum tua petitione facilius, nec mihi, quod vel à te requiram, vel ab eo sperem, optabi-

lius possit inueniri. Et hæc hactenus. Nunc verò, ornatissime vir, si tu me interrogares (vtinam tàm tibi non esset molestum quam mihi est periucundum, tecum literis colloqui) quàm mihi viuendi rationem, & studiorum meorum exitum proposuerim, ad quem potissimùm omnes curæ & cogitationes meæ sunt euigilaturæ: ingenuè responderem, Verbi Dei cognitionem, Platonis, Aristotelis, Ciceronisque lectione, quasi ministrâ & ancillâ comitatam & eum finem mihi esse propositum, ad quem reliquum vitæ meæ cursum, Dei voluntate, intendam atque dirigam. Verùm, si optio mihi daretur, & facultas à Domino Eboracensi concederetur, & fortunarum nostrarum tenuitas pateretur, nihil prius optarem, quàm vt aliquem præclarum virum, qui à Regia Maiestate ad exteras nationes legaretur, aliquot annos comitarer. Nam, vt confido, me posse in huiusmodi munere non ineptissimè versari, siue πρὸς τὸ συμφιλολογεῖν: siue cum res exigeret, vt literæ domum mitterẽtur, cum vir ille magnitudine negotiorũ distraheretur, ad illum laborem aliqua ex parte minuendũ: ita planè existimo, talẽ viuendi ad tempus rationem, priori meo proposito, nequaquàm aduersari. Tu fortassis hanc cogitationẽ vanam & inanem esse, & quasi quoddam adolescentiæ

meæ

meæ ſomnium iudicabis:ſed, vt vt eſt cum hoc conſilium meum cum labore & periculo coniunctum ſit, quæ duæ res, vitiorum omnium exterminatrices eſſe ſolent: cumque nihil longius vnquã in optatis meis habui, niſi vehementer tibi diſpliceat, vehementer te rogo, vt huius voti, cum oportunitas id efficiendi tibi dabitur, me (quod potes) compotem facias. Audiui, quod poſt reſciui, vltimo anno operã meam ad librum quem R. M. obtuliſti tranſcribẽdum pergratam eſſe potuiſſe. Doleo profectò, non tam eam mihi occaſionẽ tibi gratum faciẽdi ita malè cecidiſſe, quàm te cogitare aliquod meum officium tibi eſſe ad requirendum commodum, quod idem ad præſtandum tibi, non ſit mihi periucundum. Quamobrem, ſi vis vt intelligam me à te amari, cum aliquod opus tuum quod non nimis longum erit, operam meam poſtulabit, tantum, quantum cupis, de me tibi pollicere: nam, ſi quanta eſt in me id faciendi voluntas, tanta idem efficiendi in me eſſet facultas, haud profectò quẽquã, qui illud munus vel alacrius ſuſciperet, vel ornatius expoliret, inuenires. Nec eſt quod libentius facerem, quàm vt aliquot dies apud te ponerem, quæ res non tantum tibi vſus & oportunitatis ad vllam commoditatem, quantum mihi fructus & iucunditatis

ad veteris consuetudinis nostræ renouationem apportaret. Vides quàm molesta epistolâ literas tuas compensaui: si scirem tibi illam non nimis displicere, sæpius ad te scriberem. Gratissimum mihi faceres, si de hiis rebus tribus verbis, vel per Christophersonum nostrum, vel per quemcunque vis, scriberes: nam nihil mihi literarum tuarum sermone iucundius. Vale.

IOANNI CHECO.

S.P. in Christo Iesu, ornatissime Chece, Proxima hebdomada ad te per Wilsonum, aut Ioannem Christophersonum scripsissem, si non eodem tempore ad D. Eboracensem, D. Mountioium, & Ioannem Redmannum, qui ad me prius, vt Domino Mountioio seruirem, scripserat, literas dedissem. Nosti me aliquando tecum, de itinere cõmunicasse, quod Londinum ante Pascha facerem: quod facere nullo modo possum, absque eo libro, quem è Græco Chrysostomo conuertendum in manus sumpsi. Te ergo rogo, per amiciciam nostram, vt librum Græcum quàm celerrimè remittas, vel per Christophersonum, vel per alium, qui breui sit reuersurus. Hæc scribit ad te, ornatissime Chece, Aschamus tuus, lachrymis & gemitibus confectissimus, qui paulò antequàm has literas scripsi, patrem

meum,

meum, virum prudentiſſimum, è terris ad Chriſtum cõmigraſſe, longè certior quàm infirmitas mea cupit, factus ſum. Et cùm hoc ſolùm ad maximum dolorem acerbiſſimum eſſet, huic tamen accedit alter longè grauiſſimus cumulus: nam chariſſimæ matris meæ ſalutem (quantum ad hanc vitam pertinet) omnes amici mei in deſperatiſſimis habent. ô durum fatũ: quod primùm fratrem mihi talem abſtulit, qualem non familia noſtra, ſed vix vnquam Anglia tulit: & nunc ſimul ambos parentes meos, ne non ſatis calamitate & vndis lachrymarũ obruar. Quàm hoc acerbum ſit, tu ipſe intelligis, mihi præſertim homini, vt ſcis, animo etiam in leuioribus rebus, valdè fracto & humili. Quid grauius, quid triſtius, quàm vtroque parente ſimul orbari? ô me infelicem. qui tuo nunc ſermone & colloquio, ſolatio mihi deſideratiſſimo priuor! Vtinam adeſſes, mihi Checce, vt lachrymas meas apud te effunderem, vt gemitus & ſuſpiria mea, in prudentiſſimo & ſuauiſſimo conſilio tuo deponerem. Verùm ita non conficior dolore, vt mei ipſius qui ſim, & Dei bonitatis erga illos quanta fuerat, & ad quam decurſam & exactam ætatem eos perduxerat, obliuiſcar: noui enim hanc eſſe viam vniuerſæ carnis: noui etiam (quod me vnicè conſolatur) huius vitæ exitum

melioris vitæ ingressionem esse, & hæc spes mea posita est in sinu meo. Meministi (vt opinor) mi Checce, me literas à patre meo paulò ante Christi natalem diem (& eas, Heu extremas excepi) accepisse, quibus me monuit pater & quasi quodam benedictionis sacramento me obstrinxit, vt (quàm mox relicta Cantabrigia) ad aliquod honestè viuendi genus me conferrem: nos enim irritare in nos contentionibus nostris grauissimam iram & offensam Dei. Quantum hæc res me tum commouebat, tibi, nisi fallor, impartiebar. Ea nunc in animo meo ita renouata est, & nocte dieque mihi ita in perpetuis cogitationibus meis versatur, vt nullum dictum Esaiæ, Ioannis vel Pauli, vel fixiùs mihi possit inhærescere, vel maius pondus authoritatis apud me habere. An aliquid monitione patris, ad sequendum grauius? πατρὸς παραίφασις κρείσση cecinit prudentissi. Gregorius Naz. An aliquid vltima patris voluntate, & extremo testamento, ad religiosissimè conseruandum sanctius? nam has ego extremas literas, hanc eius extremam vocem excipiebam. An hoc mihi leuiter imperabat? An non eo tempore, quo anima eius iam breui tempore ad Christum euolatura, de Christo, & quæ ad Christum pertinebant, philosophata est? Cum ego

ergò

ergò tanto paternæ monitionis sacramento obstrictus sum, nihil prius habeo, ornatissime Chese, quàm vt te in visceribus Iesu Christi rogem, vt quemadmodum tu semper (cuius ego rei locupletissimus testis sum) ex quo primum vlla familiaritas inter nos intercessit, teipsum ad omnes res honestas persequendas, non ad vllas vel minimas contentiones suscitandas, ducem præbuisti: ita aliis omnibus, vel hiis qui in te iniquissimis fuerint animis, ad tranquillitatem inter nos omnes constituendam, te authorem principem præbeas. Nam, quemadmodum illud erat ad æquitatis tuæ laudem præclarissimum: ita hoc erit & ad prudentiæ tuæ commendationem, & omnium nostrorum vtilitatem perpetuum & immortale monumentum. Et quamuis Ethnici quidam honestum bellum inhonestæ paci præferant, (licèt neque id Ciceroni placeat) tamen vereor vt possint, nobis Christianis, nobis, inquam; quos idem literarum virtutis, & honestatis studium, in vnum domicilium conclusit, quos arctior quædam necessitudo coniunxit, quos tanta literarum, & Dei voluntatis cognitio instruxit, satis esse iustæ caussæ, vt sic nonnunquàm excandescere, sic semper in diuersa studia distrahi, vllo modo liceat. Et hic puto singulis nobis vsurpandum il-

lum Psalmi versum, Nec declines, Domine, cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Si pax nobis & animorum coniunctio in integrum restituta fuerit, tùm satis me reliquisse Cantabrigiam, iuxta patris monitionẽ, hoc est, è tanta dissensionis confusione liberatum esse putabo: sin minus, quod nomen obruat Deus, suauissimæ familiaritati tuæ totum me dedam, & omnibus reipsa placere, nemini vel verbo displicere conabor: si neque hoc benè successerit, ab Academia, quàm primùm potuero, discedam. Has literas sic miseras, vt vides, & ferè flentes, & ab omni sensu prærerquàm doloris vacuas, ingemiscens admodum cogitatio mea, vix inter lachrymas meas mihi expressit. Nihil sermone literarum tuarum ad solatium, & doloris leuationem potest esse exoptatius. Saluta quæso officiosissimè Henricum Cumberfordum nostrum. Iesus Christus, &c.

GEORGIO DAIO CICESTRENSIS ECCLESIÆ PRÆSVLI *dignissimo.*

CVm tu hiis proximis diebus, ornatissime Præsul, Cantabrigiam venisses, & congratulatione omnium, consalutatione plurimorum, quibus tecum necessitudo vlla aut notitia intercessit, exceptus fuisses,

vix dici potest, quanto nos & consalutandi desiderio, & animi nostri ac voluntatis erga D. tuam declarandi studio exarsimus. Quod eò libentiùs fecimus, quoniam multùm diuq; pertimuimus, ne aliqua animi tui facta esset offensa illorum temporum iniquitate, quibus nos tùm, siue consilio, propter imperitiam, siue iudicio, propter ætatem, temerè nosmetipsos dedebamus. Fuit tamen quod me semper vnicè consolabatur, cùm ego nunquàm existimarem, tãtùm adolescentiæ meæ temeritatem ad offendendum, quantum prudentiæ tuæ moderationem, & beneuolentiæ erga me vetustatem, ad ignoscendum valere potuisse. Neq; profectò nunc committerem, Optime Præsul, vt horum temporum recordatione, cicatricem imprudenti facto meo iampridẽ obductam refricarem, nisi totam hanc culpam adolescentiæ meæ feruori esse tributam, omnemque eius memoriam sempiterna quadam obliuione deletam, ac penitus extinctam esse putarem. Itaque cum hanc meam cogitationem tibi hoc tempore significare studerem, & quod munusculum de more tibi esset offerendum circumspicerem, ego Isocratis mei sententiam libenter sequutus, non ex hiis rebus, quarum tu abundares copiâ, ego laborarem inopiâ, mihi aliquid selegi, sed tale quiddam, quod cùm esset

mihi ad tribuendum aptissimũ, & tibi etiam ad recipiendum non omnino iniucundum. Hunc ergò Psalmum iam ferè ante annum, cum Turca Hungariæ immineret, ad studiosorum nostrorum rationem, in modos senarios illigatum, eo quo soles vultu accipias, quo nihil mihi gratius aut optabilius possit euenire. Deus D. tuam diutissimè seruet incolumem.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO, D.

Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, literarum Patrono maximo.

NEc tibi nouum literas ab obscuris & ignotis hominibus accipere, nec homini mei loci insolens & inauditum esse potest, ad tantum virum libentèr velle scribere ornatissime Præsul: nam dum in te tantum emineat bonitatis & eluceat, ad quemuis prouocandum, & nobis, qui nosmetipsi literarum studiis dederimus, tot monumenta suppetant ad excitandum, dum alter rerum inopia vrgeatur, alter studio sese venditandi efferatur, singuli singulis, & vna aliqua certè causa, ferè omnes, vel necessario compulsi, vel sponte sua adducti, ad id faciẽdum fuerint, literas profectò nec tibi accipiendi occasio, nec nobis scribendi opportunitas vnquã deesse potest. Nouum ergò non tibi vsu recipiendi, sed nouum

for-

fortasse more scribendi, nouus homo à te postulo, eruditissime Præsul, quod veteri tamen non nouo aliquo modo vt accipias, omnem veterem humanitatem tuam vehementer rogo. Rogo autem, non opes tuas, aut quicquid illius generis sit, sed opem tantum tuã, & aliquam gratiæ & authoritatis tuæ partem, quæ & tibi erit ad tribuendum facilis atque prompta, & eadem mihi ad capiendum optata admodum erit & iucunda. Verum, si quis sim, & quid petam, scire aues, is sum profecto, quẽ fortuna tenuem & obscurum, sedes Cantabrigiensem, institutum vitæ perpetuum literarum cultorem, natura imbecillem, valetudo melancholicum reddit. Sed quorsum hæc pertinent? dicis: vt scias, cum Dei inprimis prouisio, amicorum aliquid cura, nonnihil mea me voluntas, omnem vt ætatem meam in literarum studio contererẽ, commouisset, atque in ipsam studiorum viam, non infeliciter ingressus fuissem: eccè tibi partim otiosum hoc literarum studium, & vitæ institutum quod sequor: partim situs loci, & cæli intemperies, in qua viuo: partim imbecillitas naturæ, & febris quartanæ vis, qua non paucos menses grauissimè iactabar, ita omnes salutis meæ, & salubrioris sanitatis rationes, vel vrgẽt hæc singula, vel opprimunt vniuersa, vt eum cursum, quẽ in

literarum studio conficere instituerim, nec constanter ad laudem, nec diligenter ad vsum, diu tenere potuero. Itaq;, cùm nec meę me fortunæ sinant, hoc solum, sedis mutatione vertere: nec mea voluntas, & animi inductio gestiant vitæ institutum relinquere: nec curatio vlla possit naturæ imbecillitatem corrigere: nec tempus adhuc valuit amissas vires restituere: vel colluuiem illam fæcemque melancholiæ & reliquias quartanæ febris eiicere: & cùm me contrà, ab optimo remedio victusq; ratione excludunt, partim constitutiones humanæ, in quas impetũ facere nefas esse duco: partim superstitiosæ aliquot hominum conscientiæ, quarũ nullã ducere rationem iniquum esse scio: cùm, inquam, fortunarũ angustia, loci intemperies, studiorũ rationes, naturæ imbecillitas, melancholiæ vis, lex dura, hominum siue imperitia, siue superstitio, graui impetu in salutẽ corporis facto, immẽsum in modũ cursum studiorum meorum impediunt: rogo Dominationẽ tuam per hãc Academiæ sedẽ, quam incolo: per vitæ studiorumq; rationem, quã sequor: per naturæ valetudinisq; imbecillitatem, qua grauiter implicatus premor: vt ego, authoritate tua non ampliùs tenear, ea traditione, qua certus ciborũ delectus, certis temporib. præcipitur. Quam meã petitionẽ, nec cura carnis

ad concupiſcentiam finxit: nec licentia vlla ad inſolentiam ſubornauit: ſed ſalutis meæ ratio tantùm, ad expeditiorem ſtudiorum meorum progreſſum excogitauit: Cuius ſi compos fuero, vulgi, nec in offenſam, nec in ſermonem efferendo, ſed tacitè, conſideratè, quietè, abſtinenter cum gratiarum actione vſurpabo. Qui nemini, niſi deſperato morbo laboranti, hanc libertatē concedunt, perinde faciunt, ac hii homines ſolent, qui nunquam ædes ſuas, niſi vetuſtate ruinoſas, & iamiam collapſuras reparant. Frugi patresfamilias aliter faciunt, aliter periti medici, qui non ſerò medicinam parant, at principiis ſemper obſtare ſolent. Itaque, qui nunquam niſi deſperata ſalute, huius diuini beneficii vſum hominibus impartiūt, & imperiti ſunt, quid prudens in omnib. Rebuspublicis prouiſio facit, & nimis inſolenter abutentes ſunt diuinitus nobis dato bono, quo tempore vſus eius aut nullus, aut exiguus eſſe poteſt, cùm tamen huiuſmodi bonū, bonū non eſt quia externum eſt, niſi ex ea parte tantùm, quatenus vſus aliquis eius conſequatur. Cibo ergo non ad deſperatos morbos inutiliter abuti, ſed ad ſalutem vitæ noſtræ retinendam accommodare debemus, iubente ipſo Paulo; vbi ait, διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς, τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτη-

ϛίαν ὑπάρχει. Sed hanc causam vrgere nec loci oportunitas, nec epistolæ modus, nec temporum tuorũ ratio, nec rei vlla obscuritas requirit, eruditissime Præsul: vnum hoc tamẽ tacitus pręterire nullo modo possum, quod Herodotus, in Euterpe, de sacerdotibus Ægyptiis memoriæ prodidit. Hi homines (cum ab illis, tanquã ab ipsis fontib⁹, omnes artes, omniaque disciplinarum genera profluxerunt, quod Homerus, Pythagoras, & Plato, tres viri omnis doctrinæ & ingenii principes, eo nomine Ægypto peragrata intellexerunt) in studio literarum semper versati, & in naturæ virtutisque contemplatione omnem, & mentis cogitationem, & ætatis cursum conterentes, ab omni pisciũ esu, religione quadã obstricti, perpetuò abstinebant, ob hanc causam solam, sine omni cõtrouersia: ne ignea vis ingenii, atque præstantia, vllo frigido succo, quem esus piscium ingeneraret, extinguaretur. Et hîc inique comparatum est, ornatissime Præsul, vt cum tot superstitionum genera ab Ægyptiis (quod facile probari potest) primùm ad Græcos, deinde ad Romanos redundarunt, post in nostra tempora per sentinam illam Papisticam deriuata sunt, vnum istud præclarum sapientissimorum virorum consiliũ ac remedium ad doctrinam amplificandam susceptum,

sic

hic esset, vel ab indoctis propter imperitiam, vel ab imbecillis propter superstitionem, cum magno magnorum ingeniorum incommodo, nobis interceptum. Itaque cum nemo meliùs quàm Dominatio tua intelligat, vnde hæc consuetudo orta sit, à quibus alta atque fota sit, per quos ad nos deducta sit, & per quos potissimum ad nos pertineat: & cùm omnis sit esus piscium, vernis temporibus ineptus, vliginosis locis inutilis, studiorum nostrorum rationibus insalubris, valetudini Melancholicæ pestiferus, & stomacho meo semper odiosus, precor te per literas ipsas, quibus omnia tribuere soles, ornatissime Præsul, vt quemadmodum ego, in possessionem huius libertatis irruere nunquam instituerim, ita per tuam authoritatem liceat mihi quiete, in eam immigrare: quàm si integram recuperare, & in ea sedem ac domicilium collocare non permittis, at saltem vel pedem ponere, & in ea, si non domum ad habitationem, certè diuersorium aliquod ad commorationem, condonare mihi velis. Numum quo redimam istud mihi, nullum habeo, præter vnicum illum exiguum, quem concredidit mihi cælestis ille paterfamilias, quem profectò integrum, vt aliqua veteris libertatis possessio redhibeatur, vel è Græcis Latinè vertendo, vel publicè in Academia, vel

priuatim in hoc Collegio, siuè Græcum, siuè Latinum pro tenui mea facultate prælegendo, ad arbitrium nutumque Dominationis tuæ erogabo. De hac re aliquid à te, vel hac lata conditione, in summa ista gratia & authoritate tua, me impetraturum spero, cum ego certus sum, quod quãtum apud alios magna pecuniæ vis extorquendo possit exprimere, tantum apud Dominationem tuam ipsum literarum nomen exornando soleat obtinere: & ipse etiam scis, huiusmodi libertatem æquius literarum studiosis, ad salutem suam retinendam dari, quam vllam licentiam, in nescio quos homines, ad libidinem suam explendam conferri debere. Rem omnem cognoscis, cui tantum tribues quantum vis, tantum scio voles, quantum honesta petitio ab æquissima authoritate sperare, & literarum cultor, ab earundem vero antistite, & summo patrono expectare debet. Et quia longo sermone literarum mearum iampridem scio me, nimis insolentèr, humanitate tua abusum esse, & omnes verecundię fines transiisse, libet profectò nunc ipsius Ciceronis consilio vti, & benè nauiterq; impudentem esse. Si cupias igitur scire, quàm floreat Academia, quis fructus literarum apud nos sit, meam sententiam sic paucis explicabo. Ad sacrarum literarum cognitionem viam affectant plurimi,

rimi, ad eum tamen diuersi homines diuersa voluntatum studiorumque ratione delectati, alium atque alium aditum sibi patefaciunt. Quidam, & hi sanè multi, insano tamen iudicio, immensum quantum Pigio tribuunt, & in illa controuersia de Peccato originali, ac Prædestinatione DEI, eius vestigiis insistentes, præcipites in errorem ferri malunt, quàm cum Diuo Augustino rectam viam persequi, qui, & ingenii, eruditionisque præstantia superiore, & industria, oportunitateque id plenissimè illustrandi maiore, reliquos omnes, qui ętate aut antegressi aut subsequuti sunt, superauit. Alii, ad quotidianam VERBI DEI lectionem, Augustini inprimis sententiam, & eam quam possunt maximam linguarũ cognitionem, quasi subsidio comparãt. Linguæ passim ab iis discuntur, qui cùm discendi, tum intelligendi magistri optimi habiti sunt: vt nec ratio propter infantiam nimium obmutesceret, nec oratio propter imprudẽtiam loquacitèr insolescere queat. Ad hanc rẽ Platonem & Aristotelem (ex quorum fontibus inter Græcos, loquens illa prudentia optime hauriri potest) adhibemus: ad quos, è Latinorum turba, solum ferè Ciceronẽ adiungimus. Herodotus, Thucydides, & Xenophon, tria temporum, veritatis, & Græcę eloquentiæ lumina, magnum splendorem

cæteris studiis nostris apportant. Homerus, Sophocles, & Euripides, elegantis omnis doctæque poeseωs, hic fons, illi duo flumina, affluentiùs nunc ad cæterorum studiorum nostrorum irrigationes redundant, quàm his proximis superioribus annis Terentius ac Virgilius. Et in hanc optimam studendi viam, potissimùm Ioannis Checi vel ope ac præsidio adiuti, vel consilio & exemplo excitati, plurimi sese dediderunt: cuius à nobis digressum, per quem in tàm facilem paratumque cursum producti fuerimus, eò facilius ferimus, quo certius cognoscimus, hanc nostram incommoditatẽ cum vniuersæ Reipublicæ commodo ac salute coniunctam & implicatam esse. Hinc tamen facilè quàm vera illa Platonis sententia sit, intelligi potest, nempè, Plurimum Reipub. interesse, vt vnus aliquis existat semper præstans excellensque vir, ad cuius virtutis imitationẽ cæteri voluntate, industria, studio, & spe erecti, totos sese effingant & accommodent. Istis studiorum nostrorum rationibus, hoc modo satis in præclaro cursu expeditis, duo inferuntur grauissima impedimenta: alterum, quod nescio, quo fato, vel potiùs quorum facto effectum sit, vt pauci admodum maiores natu viri, in Academia commorentur, quorum exemplo, studia literarum

rarum excitari, authoritate mores adolescentium fingi atque formari rectissime potuissent: alterum, quod illi ferè omnes, qui huc Cantabrigiam confluunt, pueri sunt, diuitumque filii, & hii etiam qui nunquàm inducunt animum suum, vt abundanti aliqua perfectaque eruditione perpoliantur: sed vt ad alia Reipub. munera obeunda, leui aliqua & inchoata cognitione paratiores efficiantur. Et hîc singularis quædam iniuria bifariam Academiæ intentata est: vel, quia hoc modo omnis expletæ absolutæque doctrinæ spes, longè antè messem, in ipsa quasi herbescenti viriditate, præciditur: vel, quia omnis pauperum inopumque expectatio, quorum ætates omnes in literarum studio conteruntur, ab hiis fucis eorum sedes occupantibus exclusa illusaque præripitur. Ingenium enim, doctrina, inopia, iudicium, nil quicquam domi valēt, vbi gratia, fauor, Magnatum literæ, & aliæ persimiles extraordinariæ illegitimæque rationes vim foris adferunt. Hinc quoque illud accedit incommodum, quòd quidam prudentes viri nimis ægrè ferunt, partem aliquam Regiæ pecuniæ in Collegiorū socios impartiri: quasi illi non maximè indigeant, aut quasi vlla spes perfectæ eruditionis in vllis aliis residēre potest, quàm in hiis, qui in perpetuo literarum studio, perpetuum

vitæ suæ tabernaculum collocârunt. De hac re longiorem sermonem habere potuerim, quàm epistolæ modus postulat: at hæc breuitèr attingere volui, vt studia nostra, nec cùm progrediuntur, gaudio tuo ad congratulationem: nec cum impediuntur, consilio tuo ad opitulationem, carere vllo modo possim: quoniam tu is es, qui literis progredientibus plurimum gaudere soles, propter singularem tuam erga illas voluntatem: & eisdem laborantibus vnicè medêri potes, propter summam tuam authoritatem. Vale literarum decus & ornamentum.

ORNATISSIMO VIRO D. PONETO.

S.P. Ornatissime Ponete. Literas scripsi ad reuerendissimum Patrē Cantuariensem, quas si tu ope tua & gratia, quâ plurimum apud illum vales, adiuturus sis, & mihi rem gratissimam, & amicitia nostra dignissimam facies. Opem eius, non opes vllas peto, & eam etiam, quæ non foris molestiam adfert: non enim vt literas scribat, nō vt quicquam à quoquam meo nomine impetret, requiro: sed quæ tota in eius potestate sita est, quæque illi ad tribuendum expedita, & mihi ad accipiendum necessaria, & tibi ad iuuandum ope tua admodum honesta erit. Peto vt eius authoritate, nō ampliùs illaqueer ea traditione, qua certus ciborum dele-

delectus certis temporibus interdicitur: hæc vna res omnes vitæ, studiorumque meorum rationes, vehementèr impedit. Vt hoc à Reuerendissimo Patre postularem, commouebat loci situs, qui frigidus & vliginosus est: vitæ institutum, quod otiosum est: natura corporis, quæ imbecilla est: valetudo, quæ melancholica est: propter reliquias quartanæ febris à quibus dum integrè liberari nequeo: & stomachus etiam meus, qui à nulla re perinde ac ab esu piscium semper abhorruit. Non abs re, hoc iam petere videor, dum adhuc in aliquo consistant statu vires corporis mei, & antequam morbo nimium inclinentur: nam, nunquàm frugi visi sunt mihi illi patresfamilias, qui nequaquàm ædes suas nisi ruinosas & collapsuras reparare solent: qui sic faciunt, rem nunquam faciunt. Hanc rem apud Reuerendissimum patrem non vrgeo, vel quia non opus est, vel quia id te facturum, si res ita tulerit, spero. Quamobrem, si ope tua, & illius authoritate, hoc mihi concedatur, nec tibi ad faciendum mea caussa maius, nec illi ad tribuēdum tua petitione facilius, nec mihi certe hoc tēpore, quod vel à te requiram, vel ab eo expectem optabilius accidere potest. Certiorem me quæso facias literis tuis, quid Reuerendissimus Pater de petitione & literis meis sentiat: nihil gratiùs

facies: nihil enim sermone literarum tuarum iucundius esse potest: literis tuis me tibi deuincies vt sæpissimè scribam ad te, modò hoc nō molestum tibi fuerit. Gregorium Nyssenum Græcum, si habes, doctissime Ponete, ad tempus mutuò libentissimè sumerem: sin tu nō habes, rogo te per vetustatem amicitiæ nostræ, vt illum à Reuerendissimo Patre ad aliquot mēses mihi impetres: quod si facies, quam gratam rem facies, proximis literis meis declarabo. Vale in Christo ornatissime Ponete.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO *Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi.*

Literas meas, ad eum modum, quem mihi retulit Iacobus Bingamus, à te fuisse acceptas, ornatissime Præsul, singularis cuiusdam humanitatis tuæ illustre fuit & expressum signum: meam autem de ciborum delectu petitionem, tàm prudenti facilitate à te esse concessam, eximiæ bonitatis tuæ in tuenda studiosorum salutis incolumitate sincerissimum est testimonium: sed tenuitatem fortunarum mearum, tanto tuo sumptu, in ea, pro Regio sigillo, solutione esse alleuatam, perpetuum apud me semper diuinæ liberalitatis tuæ repositum erit monumentum. Cùm ergo pro singulari tua in lite-

ris meis accipiendis humanitate, pro eximia tua in concedēda petitione mea bonitate, pro ampla tua in rerū mearum angustia leuanda libertate, gratias quas agerem tibi, vulgares tantum habeā & tritas, quas referrem tibi, aut nullas aut perexiguas, & tamen pro tanto beneficio debeam tibi lōgè maximas: Video sanè eam tantùm mihi remunerandi tibi rationem reliquam esse, quæ tamen ipsa, (vti spero) & meæ facultati erit ad perficiendum aptissima, & Dominationis tuę voluntati ad accipiendū gratissima, nimirum, vt literarum studium assidua persequar diligentia, singulare hoc beneficium tuum perpetua vsurpem memoria, facultate ista à te mihi concessa considerata semper perfruar prudentia. De sigillo licentiæ meæ quod nec ipse scripserim, nec ad Dominationem tuam accesserim, causa fuit, quia in eis locis ex eo tempore semper commoratus es, quò nullus certus tabellarius proficiscebatur, cui vel rectè literæ meæ, vel tuto sigillum illud committi potuerat. Nunc rogandus es, per humanitatem tuam, vt illud per Ponetum nostrum Domino Tailero Præfecto nostri Collegii concedatur. Breuiter & indiligentèr nunc scribo, ornatissime Præsul, quia valetudo mea hos duos ferè menses, ardentissima febri afflicta, ac-

curatiores scribere non permittit. Posteà Deo volente, diligentiùs. Iesus Christus, &c.

CLARISSIMO VIRO D. THOMÆ SMITHO, PRO ACADEMIA.

SI tu is es, clarissime Smithe, in quem Academia hæc Cantabrigiensis, vniuersas vires suas, vniuersa pietatis iura exercuerit, si tibi vni omnia doctrinæ suæ genera, omnia Reipublicæ sua ornamenta libentissimè contulerit, si fructum gloriæ suæ in te vno iactauerit, si spem salutis suæ in te potissimum reposuerit: age ergò, & mente ac cogitatione tua complectere, quid tu vicissim illi debes, quid illa, quid literæ, quid Respublica, quid DEVS ipse pro tantis pietatis officiis, quibus sic dignitas tua efflorescit, iustissimè requirit. Academia nihil debet tibi, imò omnia sua in te transfudit: & propterea, abs te non simpliciter petit beneficiũ, sed meritò repetit officium: nec vnam aliquam caussam tibi proponit, sed sua omnia, & seipsam tibi cõmittit: nec sua necesse habet aperire tibi consilia, quorum recessus & diuerticula nosti vniuersa. Age igitur quod scis, & velis quod potes, & perfice quod debes, sic Literis, Academiæ, Reipublicæ, & Religioni: sic Christo & principi rem debitam & expectatam efficies. IESVS te diutissimè seruet incolumem.

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO D. IOANNI CHECO, PRO ACADEMIA.

EX vniuerſo illo numero clariſſimorum virorum, clariſſime Chece, qui ex hac Academia in Rempublicam vnquàm prodierunt, tu vnus es, quem ſemper Academia, præ vniuerſis aliis & præſentem cōplexa eſt, & abſentem admirata eſt. Quam tu viciſſim, plus quàm vniuerſi alii, & præſens ornaueras, & abſens iuuas. Præſens enim ea præcepta doctrinæ, ad omnem inſtitutionem tradidiſti & ea exempla ingenii, ad omnem imitationem propoſuiſti; quæ, cùm omnes ſequuti ſunt ad ſummam vtilitatem, nemo aſſequutus eſt, ad ſummam perfectionem. Nemo profectò inter nos omnes eſt, vel tam ignarus qui neſciat, vel tàm inuidioſus qui neget, hos feliciſſimos ſtudiorum noſtrorū fontes, quos multi magna induſtria, ſtudio, & ſpe attigerunt, ex tui vnius ingenii laude, præſidio, exemplo, & conſilio effluxiſſe. Et iſtis humanitatis tuæ, ingenii, & doctrinæ monumentis conſecrata eſt perpetua recordatio memoriæ tuæ, in omnium noſtrorum animis. Abſens autem maiorem opem certiusque præſidium, ad dignitatem Academiæ perpetuò tuendam aggregaſti, quàm aut reliqui amici cogitare, aut nos ipſi expectare vnquàm potuiſſemus: nam, dùm Rex

institutus præcepto tuo sic præest eruditioni, consilio tuo, quid reliqui aut velint, aut debeant tribuere Academiæ nostræ, non ignoramus. Hanc spem nostrã, & hanc disciplinam ex Platone tuo, ad pessimum regem Dionysium exhausimus: fructum tamen & vsum eius nuper, ope tua, in optimo Principe nostro Eduardo experti sumus. Itaque, cùm tot mutua officia, tam piç propinquitates & vincula, inter te & Academiam intercedunt, vt repetendo memoriã ab ipsis infantiæ tuæ incunabulis ad hanc dignitatis laudem, in qua nũc versatis, nullum in te reperiri possit vel naturæ beneficium vel industriæ fructus, vel ingenii laus, vel fortunæ præsidium, vel dignitatis ornamentum, cuius non sit Academia nostra vel adiutrix ad vsum tuum, vel particeps ad gloriam suam: non dubitamus, quin Academia, hunc fructum ornamentorum suorum in te collatorum, abs te sperare, & repetere possit, vt nulla posthac facultas dignitatis tuæ esse queat, quæ non in Academiæ dignitate conseruanda, omnes vires suas exercere velit. Non vnam, sed caussas nostras vniuersas, tibi commendamus, in quibus tantum te elaboraturum speramus, quantum vel tu nobis tribuere, vel nos à te expectare debemus. Dominus IESVS, &c.

DISER-

DISERTISSIMI VIRI ROG. ASCHAMI ANGLI, Regiæ Maiestati à Latinis Epistolis, Familiarium Epistolarum,

LIBER III.

CONIVNCTISSIMO AMICO Eduardo Raueno suo.

S.P. in Christo Iesu, charissime Eduarde Rauene. Quanquam Ioan. Deus noster instar multarum literarũ esse potest, tamen cùm sciã quàm charę tibi nostrę literę sunt, nolui committere, vt tam idoneus nuncius sine meis ad te literis Cantabrigiam proficisceretur. Suauitates itineris mei, quod alioqui iucundissimum erit, nonnulla acerbitate, illa, quam feci Cantabrigiæ, iactura permiscuit. Nec tantum vexat me fortunæ inuidia, quantum etiam nunc pungit amici quidem, sed non eo modo, quo ego soleo, & tu facis, mi Rauene, amantis nimis supina incuria: saluta tamen Baruicum, & Baruicum meum, quem amo ex animo & quem puto nonnihil commoueri, hac mearum rerũ angustiâ, in his

potissimum meis temporibus, &c. Nisi Baruicus scripserit ad me sæpius, verebor eius à me alienum esse animū. Vtor bono & valdè bono domino, & opt. Domina: proxima Veneris, Deo volente, Tamesin conscensuri sumus. Literas vestras ad me perferēdas curabit Step. Halesius, qui duxit sororē Morysini: domus eius Londini in eo foro est, quod *Stokes* vocitatur. Galiel. meus Irlandus nouit vbi habitat. Scribetis sæpissimè, longissimè, quod ego etiam facturus sum. Saluta diligenter M. Bucerum patrē & præceptorem meum colendissimū. Dic illi me fideliter egisse caussam Ioannis Sleidani cum Domino Morysino quem facilè video plurimùm fauere Sleidano, & illius scribendi instituto: sed Bruno ille nescio quomodò, multas dubitationes multis bonis viris iniecit. Audiuimus Cæsarem in animo habere restituere in pristinam dignitatē Ducem Saxoniæ. Cùm aliquid certi, etiam in itinere, ad manus meas peruenerit, id accuratè ad Dominū Bucerum scribam. Vale charissime. Saluta vniuersum cœtum nostrum, Ioannem Barnes, &c. optimam matrem tuam, & lectissimam sororem. Ex ædibus Gul. Elandi. Londini. 17. Septemb.

EIDEM.

S. P. in Christo Iesu, chariss. Rauene. Hoc vicesimo primo Septembr. in festo D. Mat-

Matthæi, hora vndecima antemeridiana è portu Belini soluimus. Heri salutabam domi suæ summum amicum meum Ioannem Checum: Londini enim nunc valetudini seruit. A meridie ferè nos duo inter nos soli variis sermonibus tempus traduximus vsque ad horam nonam. Multas res ad Religionem, ad Aulam, ad Rempublicam, ad Academiam pertinentes tractauimus. Statum & disciplinam Collegii Diui Ioannis mirificè approbauit, cuius, crede mihi, est studiosissimus. In eo sermone omnes nostros Pilkintonos Leueros, Wilsonos Elandos, &c. singulos nominatim cõmendaui: omnibus prodesse, nemini omnium nocere studui. Te vnicè, mi Eduarde, hoc est, suauitatem morum, ingeniũ, prudentiam, diligentiam, iudicium tuum, quo amicos soleo modo, cõmendaui, & quodammodò eius fidei tradidi. Caussam tuam cum Lucasio illo vniuersam explicaui, & statim recepit se facilè te expediturum ab eo negotio. Audacter igitur, nomine meo, adeas hominem, & caussam tuã explica, &c. Ab Augusta, Patauium & Venetias expeditissima ratio est mittendi & literas & quasuis alias res. Scribam, Deo volente, sæpius, quòd spero vos etiam facturos. Grauescenda. 21. Septembris.

EIDEM.

S.P. in Christo Iesu, suauissime Ed. Rauene. Patriæ meæ recordatio mihi charissima quidem est, sed tuæ consuetudinis omni humanitate, beneuolentia, & officio pleniss. nescio quomodò mihi charior existit. Ab hoc iucundissimo itinere meo duas aut tres horas facilè paterer me abesse, & in cubiculum meum domi Cantabrigiæ includi, vt in sinum tuũ, præsentibus charissimis meis Pilkintonis, Leueris, Elandis, Wilsonis, Beis, &c. Washintono, & Wrighto, omnes suauitates itineris mei infunderẽ. 21. Septembris peruenimus Grauesendam, fauente quidẽ Neptuno: subirata iride. 22. lasso & breui equo, sed longo itinere, & via lutosa, Cantuariã peruenimus: ea nocte lautissimè accepit nos humanus & prudens vir Ioannes Halesius. Ego tantùm descendo ab equo meo, & statim confero me in amplissimam Christi ecclesiam, perscrutor omnia vetera monumenta, epitaphia Henrici 4. & Eduardi nobilissimi Principis filii Ed. 3. locũ vbi occisus fuit Beckettus, & omnes ferè abditos recessus, &c. deinde bibliopôlas adeo, tum officinas aurificum: post in ueor situ, muros vrbis: intereà inter deambulandum, diligenter aduerto mores, & vniuersum habitum populi: constitui

ſtitui enim, chariſſime Ed. quocunque iuero, cuiuſuis ciuitatis inuiſere, quantum facere poſſum, templa, monaſteria, & in his vetuſtiſſima monumenta, bibliothêcas, bibliopôlas, aurifices, fora, muros, caſtella, portus. Et hæ res nunc non breuibus literis, ſed longo ſermone reſeruandæ ſunt, &c. 23. viſimus reuerendiſſimum Cantua. deduxit ille nos fere vſque Douerum. Caſtellum illic in altiſſimo & præruptiſſimo promontorio ſitum eſt, quod ab vſque Gallia, ab vſque Flandria proſpici facilime poteſt. Videtur imperiosè quidem, non vniuerſo mari ſolùm, ſed ipſi Galliæ quoque minari. Cum ſumus in medio freto, ipſa tellus Angliæ ſublimior eſt, Galliæ multò humilior. Caſtellum Doueri refertiſſimum eſt monumentis longiſſimæ vetuſtatis. 24. traiecimus fretum, reliquo comitatu noſtro grauiſſimè laborante ex mari, cum Dom. Moryſina parum, ego ſolus cum quodam nobili iuuene Thymlibæo Lincolnienſi, nihil acerbi paſſi ſumus. 24. & 25. Caleti refecimus nos: ego ſtatim circumeo omnem circuitum oppidi, aduerto ſitum, vires, portus: viſo Riſebank & Newnambridge, duo fortiſſima munimenta, & eminùs video, Arde, Ginnet, Hammes, & omnem ſitum ſic illius regionis, vt nunquàm è memoria mea excidere poſſit. 26. & ſi tu

nunc vis, ſuauiſſime Eduarde, comitari me in Flandriam vſque Antuerpiam, inſpice chartam meam Galliæ, & perpetui mei comites eritis. Primùm Graueling venimus, quod oppidum initium eſt Flandriæ, ſeparatum ab Anglico ſolo: ſolum fluuio diſtat è Caleto 9. miliaria: ea nocte manſimus in Dunkirck, piſcatorio quidem oppido, ſed quod magnificis ædificiis conferri poteſt ferè cum vlla vrbe in Anglia: 27. Newportum venimus, quod non cedit Dunkircko, oportunitate portus excellit. 28. Brugis ampliſſimam vrbem venimus tandem, ſed decem miliaria tam lutoſa via, *Sili* vocatur, vt ſuperet ſilueſtrem Cantiam. Si in hac vrbe liceret mihi diutius morari, mi Rauene, moleſtus eſſem tibi longo ſermone, longè ſuperat Londinum. 29. Calſum venimus, obſcurum locum, de quo nihil ſcribam, quia tam malè illic accepti ſumus: nam in ocreis pernoctabam, &c. 30. Antuerpiam venimus, Dii boni, non Brabantiæ, ſed totius mundi ditiſſimum imperium. Splendida magnificaque ſtructura ſic eminet, vt eo modo ſuperet reliquas omnes vrbes quas ego vidi, quemadmodum Aula Ioannis theatrali more ornata, poſt natalem ſeipſam ſuperat. Et hîc nunc ſumus ſani quidem & læti, Deo ſint gratiæ. Antuerpia non recepit edictum Cæſ. de immutatione religionis. In tota

ferè

ferè Flandria, tam pinguis & crassus Papismus est, ne dicam puerilis, vt si is in Anglia, qui ei maximè fauere videtur, hîc adesset, facilè respueret. Gipkinus meus ostēdit mihi indicem nouorum librorum, & illic Sturmium de Periodis, & Sturmium in Rhetoricam Aristotelis: libros non vidi, & quantum desiderabam tu coniicere potes. Audio vxorem Buceri in Anglia esse, puto illam habere literas ad me à Sturmio, recipe, serua, mitte si potes, sed reseruato exemplo. Scribam Reuerendissimo Patri meo D. Bucero, cùm ad manus meas aliquid peruenerit, quod interuenit illum scire. Saluta eum officiosissimè, & charissimum meum Pemberum, qui quotidiè versatur in memoria mea: Baruicum, Ioannem Scarlet. familiam Barnes, omnes nostrates: cùm omnes dico; neminem excipio: sed de omnibus nominatim quanquàm non scribo, cogito indies, semperque cogitabo. Scribe quas literas recipis à me, & quo die, & à quo loco. Vale in Christo, Antuerpiæ in Brabantia, primo Octobris.

EIDEM.

S.P. in Christo Iesu, charissime Eduar. Si scirem Tho. Leuerum meum apud vos esse, literas ad eum scriberem: scribam enim ad vos, quoties vllus mihi oblatus

fuerit tabellarius: sed nullam οἰκονομίαν expectate: singula turbatè in literas meas inferciam. Antuerpia non literis, sed lōgo sermone describenda est, tot res dignissimę occurrunt in eo oppido, quas fusissimè ad ignē problematarium depromerem. Hoc primū accipite. Edictum Cęsaris de religione in inferiori Germania, iussu ipsius Cæsaris irritum factum est 3. Oct. Antuerpia profecti sumus Macliniam, vrbem quæ Londino vix comparari potest, Nordouicum longè superat: & hoc in loco mecum mirabar, quomodò tantus numerus hominum, qui habitant frequentissimi in Brugis, Antuerpia, Gandauo, Maclinia, & Bruxella ali possit: hæ quinque vrbes, altera ab altera ad duodecimum lapidem sitæ sunt. Si quinq; Londina in tantas angustias collocarentur in Anglia, exhaurirent statim regnum nostrum. Et pecudes & pecora rara hîc cernuntur, si Flandriam, Brabantiam, Leodiam, & Geldriam circumspiceres. Sed mirari desino: nam ad panem ferè nihil adhibent præter olera & herbas. Brabantia quidem & potissimùm Leodia Geldria, bonitate soli, & larga vbertate frugum longè lateq; patenti, non quemuis comitatum Angliæ, sed ipsum agrū Cantaæquant & superant. Magna vis olerum, diligenti cultura crescit in omnibus locis: nunquam famem sentiunt hîc homines, si

non

non deficiantur frugibus. Macliniam venimus, in suburbano monasterium amplissimũ est, non otiosarum, sed nauarum Nonnarum: mille & sexcentæ sunt in eo loco liniis vestibus faciendis victum quæritantes: nubunt & exeunt cũ volunt. 4. Octob. quod mihi iucundissimũ fuit, vidi Macliniæ in ædibus Cæsaris, nobilẽ illum Landgrauium Hessiæ, quem Hispani malè tractant. Singulis diebus, hora octaua antemeridiana, Lãdgrauius distribuit pauperib. 40. Stiuers i. 6. s. 8. d. tunc oportunè illum contemplatus sum. Sed auocor à scribendo, cũ vix vnius diei iter explico: cum scribo, videor inter vos versari, ô amicissimi, propterea scribam libenter, & frequenter, & fusè: nullum diẽ itineris mei prætermittam. Itaque, in proximis literis à 4. Octobris, reliquum iter meum persequar Coloniam vsq;, vbi hæc scribo, vbi Billicus est, quem vidi, & audiui Justum Velsium legentem Ethica Aristotelis Græcè. Sed D. Moryf. auocat à scribendo: nam nauis parata in Rheno expectat nos, quâ ituri sumus Moguntiam. Vos omnes literis meis libenter saluto, quotidiana memoria iucundissimè colo, & vestris precibus me commendo. Nihil dùm mihi in toto itinere acerbum fuit, nunquàm defatigatus, omnia comparata sunt ad summam iucunditatem. Scri-

bite. Valete in Christo Iesu. Saluta reuerendissimum Patrem D. Bucerum, Pemberum, ornatiss. Haddonum. Coloniæ, 12. Octob.

VENERANDO PATRI, ET PRÆCEPTORI, D. MARTINO BVCERO.

S. P. in Christo Iesu, venerande pater D. Bucere. Non obliuione tui factum est, quòd nondum literas à me acceperis, neque excidit mihi quod dixeras abeunti; Præsentes prolixè polliceri scribere, absentes verò statim, & suam fidem & amicorum curam abiicere. Non sic fit, mi Bucere: nam ex quo primùm Augustam venerim, otium mihi non exiguum, sed nullum est: tabellarius nullus datus est, nisi cōmunis ille, cui aliquid cōmittere nec possum, nec audeo: & has inanes literas tibi scribere, omninò inane esset, nisi significationē adferrent memoris & grati animi. Si grauiores ad te scriberem, pertimesco ne obiter per lectionem releuarentur. Excutiuntur hîc tabellarii, & quicquid à quoquam scriptū est, illi periculo cōmissum est, vt aut intereat, aut aperiatur, aut intercipiatur. Sed abutor hoc exiguo meo otio antelucano. Christi gloria, hîc Augustæ, supra quā credi possit, efflorescit, fructus in lucē vberrimos effundit. Ecclesiis Protestātiū nihil frequētius, nihil

hil ardẽtius: ministri sunt diligẽtissimi: Popestantiũ contra, nihil infrequentius, nihil frigidius. Consiliũ generale Tridenti resumetur primo Maii. Bulla Papalis missa est ad Cæs. Maiestatẽ. Reginaldus Polus Card. præerit (vt percrebescit fama) illi Consilio. Res Africanæ in magno motu sunt: nam quanquam oppidum; quod Africa dicitur, fortiter expugnatum sit hoc anno ab Andrea Dorea, tamen post eius digressum cum omnia illic essent pacata, ecce tibi præfectus oppidi Africæ eiectus per Doream, subitò reuertitur, & præter expectationem omniũ occupat insulam Iarbe, & interfecit illius regẽ, amicum Cæsari. Hic præfectus crudelis Turca, & infeitus prædo atque pirata est, nec dubito quin Cæsar feliciter tractaturus sit hanc insolentiam Turcicam. Maius tamen periculum imminet Hungariæ, quã Turca breui (vt hic frequentissimus rumor est) adorietur. Cæsarea maiestas resistet illi in Hungaria, ingentib. copiis ex Hispania, Italia & Germania collectis. Apparatus est in summa diligentia, & profectio nostra in maiori expectatione: breui mouebimus ab hac vrbe Ratisbonã, hinc rectà per Danubium Hungariam perituri, nisi forsan (quod quidam dicunt) per Saxoniam & Poloniam hoc iter sumus facturi. Magdeburgenses ceperunt Geor-

gium Ducem Mecleburgensem hiis recentissimis diebus. Eduardus Rauenus meus (quem iuuenem vnicè tibi cõmendo) ostẽdet tibi literas, ex quibus elicere potes statum illarũ rerum. Clemens Alexandrinus imprimitur nuper Florentiæ elegantissimè. λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας. Lib. 1. παιδαγωγός. Lib. 3. περὶ στρωματέων. Lib. 8. Paulus Iouius Italus scripsit historiam horum temporũ, 2. tomos ingentes ad hunc annum. Est apud nos hîc dominus Christophorus Montius tui studiosissimus; author sum illi in dies singulos, vt diligenter ad te perscribat omnẽ rationem horum hîc tẽporum: habet ille maiorem oportunitatẽ, & nulla res est ferè, quæ non peruenit ad eius manus. Spero me breui, longiores literas ad te daturũ: si dabitur facultas, non deerit mea voluntas, &c. Rogandus es, & maiorem in modum, optime Præceptor, vt aliquam curam mei, filii tui absentis suscipias. Meministi, quomodò olim, cum primùm in Angliam veneris, & Lambethi vixeris, ego ad te accessi, tùm quidem ignotus tibi declaraui, quàm malè tractarer, non à D. mea E. sed à nonnullis illarum ædium. Rogabam te tum, vt tuis literis me reponeres in gratiam D. meæ, quæ nulla mea culpa (teste Deo loquar) sed iniqua aliorum operâ nonnihil à me abalienata fuit. Ante digressum meum

ex An-

ex Anglia, adiui illustrissimam Dominam, humanissimè me accepit, & multò humaniùs me obiurgauit, quòd sic vellem eam relinquere, nec vnquam laborarem per vllum hominem, vt redirem in illius gratiam. Rogo te optime vir, per omnem amicitiam nostram, vt literis tuis ad illustrissimam Dominam scriptis significes, quantum laborauí, vt hoc tu faceres, quod etiam opinor fecisses, nisi valetudo tum te impediuisset. Munitus sum mi Bucere, optima conscientia rectè factorum & dictorum in illa Aula: & nisi pudor me reuocaret, exponerem tibi, quàm præclaras res à me clarissima Domina acceperit: hoc beneficium tuum in me absentem collocatum, erit mihi & meis longè gratissimum. Tu nosti quod hoc beneficium olim Lambethi abs te petebam, quæso intelligam & ipse Augustæ, quàm εὐτυχῶς idem beneficium à te nunc repeto. Studium τοῦ ἀγαθοποιεῖν, ipsius Christi, & eius imagini cõformium maximè proprium est. Si fortunatior aura fauoris illustrissimæ D. meæ huc vsque perflauerit, eam tibi magna ex parte acceptam referam: intelligam per literas tuas, quantum mihi in hac re tribues. Sermone literarum tuarum nihil mihi expectatius. Saluta ornatissimum Haddonum nostrum: commendo tibi omnes Ioannenses; & me, quod facis ama. Vale in

Christo Iesu. Augustæ Vin. è Cœnobio D. Georgii, postridie Ἐπιφανείας.

ROG. ASCH. D. IOANNI CHECO.

S.P. in Christo Iesu. Clarissime vir, libenter crebrò prolixè scriberem ad te, & nūc etiam post abitionem nostram ex Anglia, singulorum iter dierum ob oculos tibi proponerem, nisi te, legendis nostris cum multarum leuium rerum spectatorē, tum mearum inanium cogitationum iudicem cōstituere pertimescerem. Si scirem te non solùm grauium rerum monumenta expectare, sed horum etiam quotidianorum morum commemoratione aliquando delectari, prolixus sæpè esse potuerim. Sed quomodocunque scribam, credo, contentus esse vis, & volo ego quoque, vt & iudicium in me potius, & οἰκονομίαν in meis literis desideres, quàm aut voluntatem, aut negligētiam meam repræhendas. Expecta igitur in omnibus meis literis, non delectum rerum ordine incedentium, sed tumultum earundem promiscuè sese ingerentium. Quanquā hoc modo, hoc tempore minus te abutar, quia res nec magnæ nec multæ sese offerunt, quas te scire multum tuâ interesse existimem: & tamen nullæ res sunt minimæ, maximæ, mediocres, siue ad religionem, siue ad rem & publicam,

blicam, & priuatã pertinentes, quæ ad manus meas peruenire possunt, quas non cupide, & diligenter aduerto. Monasteria, tẽpla, bibliothêcas, vetustos & libros & numos (quibus ego domũ reuersus antiquissimis & elegantissimis te donabo) vrbiũ mores, disciplinam, & situs, structuras, muros, vires, portus, & omnes circumcirca terrarum, aquarum oportunitates sic perlustro, vt harum rerum commemorationem, vbi meas cogitationes liberè deponere audebo, vix sermo multorũ dierũ potuerit exhaurire. Parcè ergo, nõ largè, ad te nunc scribo, dum tu significes, vtrã scribendi rationem me sequi malueris. Germania, vt omnes vocant, inferior, vt multi sentiunt, inferorum, vt ego planè perspicio, (nobili cõcursu mercatorum excepto) omnibus modis infima & depositissima est, in quam turpissima Romanæ fecis, & sordium illuuies inundans, iam stagnare videatur. Antuerpiæ vidi commentarios in Timæum Platonis, sed Latini hominis. Louanii fuimus, sed non diutius quàm prandii apparatus postulabat: audiui tamen integram horam in Trilingui Collegio insignem, vt illi putant, virũ Theodorum Laudium profitentem Tyrannum Sophoclis: sequutus est in omni nostram pronuntiationem. Si hic cum Carro nostro, aut Louanium cum Cantabrigia conferretur,

planè friget. Coloniæ audiui Iustum Velsium Argentinensem olim, nunc metu factum Herodianum, exordientem Græcè Ethica Aristot. probare, non admirari potui. Audiui eodem die D. Alexandrum Blancartum Carmelitam prælegentem Acta Apostolorum, insignis est Papista. Vertit 9. Epistolam primi libri Cypriani pro oblatione in gratiam defunctorum. Doctior & peior habetur ipso Eduardo Billico, qui illic publice profitetur Genesim, sed eo die non legebat. Ego adiui monasterium Billici, tantùm vidi hominem: fingebam mihi allatum esse, illum habere certos libros D Bernardi nondum impressos. Hoc feci, vt aliqua ratione prouocem hominem, ad priuatum colloquium, vt perspicerem, ecquid haberet ingenii: sed distentus negotiis, vt seruus aiebat, tunc temporis vacuus esse nõ potuit; ego reiectus in aliud tempus, reieci ipse quoque superbum Papistam. Multas bibliothêcas perlustraui, non vidi tamen vnum insignem librum. Spiræ est, vt ferunt insignis bibliothêca, referta priscis, Latinis, Græcis & Hebraicis libris. Qui præfuit, abfuit: sin vero non, omnia perlustrassem Hauisburgi (hoc oppidum abest 9. miliaria Germanica ab Augusta) adiui ædes Iudæorum, vbi multi habitant: libros vetustos Hebraicos permultos eleganter scri-

ſcriptos habent: emere vnum non potui, tamen experiebar. Vidi quoque vetuſtos numos elegantiſſimos, emi duos, Neronem & Auguſtum. Vidi quoque vetuſtum Hebraicum numum aureum, elegantem, elegantiſſimis literis Hebraicis: emiſſem, ſi in pretio fuiſſet vllus modus. Hæc vrbs Auguſta habet inſtructiſſimam bibliothêcam & plurimos Græcos priſcos & Hebraicos. Qui præſunt, ſepoſuerunt ad numerum 60. optimorum librorum, ne Cæſar, aut Cæſariani illis auferant. Habent integrum Chryſoſt. Græcum & alios inſignes. Honeſtus vir promiſit mihi ſe curaturum, vt ipſe viderem. Religio Chriſti haud aliter floret Auguſtæ, præſente Cæſare, quàm tua pronuntiatio floruit Cantabrigiæ furente Winton. Gaudent omnes noſtri & ego quoque congratulor: ſed vereor ipſe, ne Cæſar, dum præſens cum dolo facilis eſt in cauſſa religionis, abſens faciliùs, ſine ſuſpicione, frangat omnes vires politicas, vt lapſu politiæ, corruat etiam religio. Sed eſt in cælis, qui angelis ſuis mandabit, noſti reliquum Pſalmi, &c. Hamburgus, Brema, & potiſſimum Magdeburgus animo, calamo, & gladio religionem defendunt. Vidi confeſſionem Magdeburgenſem. Argumentum libri hoc eſt: Si ſuperior magiſtratus vim exercet in ſubditos con-

tra ius aut naturale aut diuinum, licet tum inferiori magistratui resistere. Vrbem Magdeburg. & mentem laudo, hanc θέσιν tamen ipse non probo: nam hinc graues motus facile exorirentur. Hunc librum vix hîc parabilem dono tibi mitto: & multas alias tractationes intermisticas & adiaphoricas etiam ad te mitterem, nisi sperassem Gipkinum hæc omnia tibi curauisse. Wittenberga cum Melancthone, & Lipsia cum Camerario reprehenduntur hîc à multis bonis viris, quod doctrinam intermisticam & adiaphoricam admittunt. Ioachimus Camerarius oratione habita Lipsiæ, proximo superiori anno, perfudit animos multorum hoc tempore in religione. Cùm aliquid certi siue ad religionem, siue ad Rempubl. spectans, ad manus meas peruenerit, fusè tibi perscribam omnia: nunc quidem, in nostro primo aduentu, nec multa, nec magna, nec mira habeo quæ scribam. Mirum verò mihi, in hoc toto itinere, nullum tale visum est quàm quomodo D. legatus noster impensarum magnitudinem ferre queat: nam his recentissimis diebus, immensum quantum, & rerum singularum crescunt precia, & Anglica vbique iacet pecunia. Dimensum regium noui expensum, diurnum perspexi: prouisio diligens, moderatio cauta adhibe-

tur: si tamen superant expensa, in hoc multiplici concursu sumptuum, vndiq; nec opinatò confluentium, vt facilè vel immensam pecuniæ vim exhaurire & absorbere possint. Itaque, nisi abundè huic rei prouideatur, pertimescendum est, ne breui necessario exarescat eius liberalitas, foris tandem occlusa, non sine aliqua Reip. repræhensione, quæ domi semper fuit reserata cum maxima sua laude. Neque ista ἀπορία in illo solo hærebit, pertinget etiam ad eos, qui propter parem prudentiam & eruditionem, similia principum negotia deinceps sunt obituri: hoc tu facile iudicio æstimare potes, & oportunè etiam in loco consilio iuuare vis. Georgius Wheetlæus non ignotus tibi hîc propè habitat rerum & suarũ diues, & Germanicarum peritus, Anglorum omnium in hac regione negotiis & commodis, tàm cõmodus, vt eo commodè carere non possint: cupit esse seruus Regiæ Maiest. nec lucri compendium ex Anglia quærit, sed commendationis testimonium ex patria poscit. Hanc eius postulationem, maiori voluntate quàm necessitate institutam, D. Hobbæus, noui sedulo illi curabit impetratam: iustissimæ tamen rationes sunt, quamobrem optarem, vt hoc beneficium ille tibi, non alteri deberet. Pridiè illius diei, quo Londino D. Legatus profectus est, cum

ſermonem in cubiculo tuo Londini mecum, de vera religione, & recta ſtudiorum ratione inſtituiſti, qui nunquam mihi excidere poteſt. Vehementer gaudebam tàm familiarem tibi eſſe Demoſthenem: cuius & Æſchinis inter ſe περὶ παραπρεσβείας: contrarias orationes, ſi tu Latinè verteres, rem tuo loco, ſtudio, ingenio, iudicio, facultate aptiſſimam ſuſciperes: Demoſth. & Cicer. Græcæ & Latinæ linguæ, ad præclaram imitationem maximam lucem adferres: etiam pronuntiatio tua, ne diutiùs deliteſcat in Anglia: ſi mitteres ad me exemplaria efficerem, vt breui in conſpectu hominum prodiret: nec dubito, quin opera etiam Ioannis Sturmii vti poſſim, ad eam illuſtrandam. Si de me quoque aliquid audire vis: profectio hæc vehementèr placet, & in tota hac profectione, nihil magis placet, quàm conſuetudo hæc quotidiana, quâ cum Domino meo ſuauiſſimè vtor: cuius ſunt ſermones & eo ſale humanitatis ſparſi, & hiis prudentiæ notis tàm inſignes, ac ſi diſputatio aliqua acciderit, contentiones tàm argutæ cum viribus etiam & neruis, quibus accedit multiplex rerum ſcientia, memoriæque vis, vt ego non à ſtudiis diuelli, ſed in ſtudiis iam demùm viuere videar. Id quod multò verius breui dicemus, cùm poſt digreſſum D. Hobbæi, pluſculum

otii

otii nacti, optimos quosque Græcę linguæ scriptores, nos inter nos iunctis studiis conferemus. Vtor Domino ea humanitate & liberalitate, quam tu mihi sæpè prædicare soles: nondum egui re aliqua, quin multò prior & expeditior ratio fuerit illius in dãdo beneuolentiæ, quàm meæ in rogando verecundiæ. Et quanquam hoc facit iudicio, sponte, & genio suo, commouet tamen multum & tua commendatio mei. Quod igitur tua causa factũ est, intelligat quæso aliqua significatione memoriæ, id tibi quoque gratum esse. Cum Dominus meus videat me vehementer delectari secundo versu secundi operis Homeri, facilè pollicetur, me non solùm Italiam aditurum, sed eas etiam regiones, quas videndi illum ardorem tu ipse mihi incendisti, cùm Euterpen, & Polymniam Herodoti enarrasti, vt is nullo neq; laboris, neque periculi metu restingui possit. Ad promptum studiũ & voluntatem adfero corpus, non id robustum quidẽ, sed laboris, frigoris, caloris satis patiẽs, quemuis potum & cibum cum salute etiam ferens. Si ad has oportunitates, ope tua, ad opes aliquas cõparãdas abuti potuero, fructũ huius itineris tu ipse aliquẽ perciperes: nam præter diligentem priscorum monumentorum conquisitionem, adferrẽ ad te, certo quidem meo sermone, præsentẽ con-

ſuetudinem, mores & faciem eorum locorum, quorum admiratione tu ſemper tenebaris. In Anglia fauent mihi Nobiles multi, & noſti illud Heſiodi, εἰς σμικρὸν σμικρῷ, &c. Non annuum quicquam, ſed præſentem pecuniolam ad hoc iter poſco. Illuſtriſſima Domina mea, non dubito, multum tribuet huic petitioni meæ. D. Suffolcienſis, hoc proximo ſuperiori anno, prolixè & large mihi pollicita eſt, cum aliquot menſes D. Carolū Græcis literis inſtitui, & ad pulchram manum formaui: eius liberalitatem, ad hoc tempus, & hunc vſum reſeruaui. Clariſſimus etiam Dux Suffolcienſis, cum mihi fauet, & elegantiam ſcribendi, qua ille præſtat, mihi quoque debet, hanc poſtulationem meam apud matrem adiuuabit. Largior mihi multum de vtroque Marchione. Sed taceant peraces literæ, quibus pudor iampridem ſilentium inieciſſet, niſi eundi cupiditas erubeſcendi verecundiam, & illis & mihi abſterſiſſet. Sed ſpem mihi, & tua antiqua in me beneuolentia, & mea petendi non inhoneſta ratio auget. Prolixior ſum quàm in principio conſtitui. Si ſcire poſſim te has literas vnà cum confeſſione Magdeburgenſi recepiſſe, paratiùs & aliis quoque temporibus ad te ſcribam. Vale, ornatiſſime vir, & me (vt facis) ama. Anno Domini 1550. Nouembris 11.

R.A.

R. A. CLARISSIMÆ DOMINÆ IOANNÆ GRAIÆ.

IN hac longinqua peregrinatione mea, clarissima Domina, emensus sum grandia locorum spacia, vrbes amplissimas perspexi, mores hominum multorum vidi, instituta, leges, religionem, disciplinam diuersorum populorum, quàm maxima potuerim diligentiâ aduerti: nihil tamen in tanta rerum varietate, tam iustam mihi admirationem adfert, quàm quòd hac proxima superiori ęstate offenderim te, tam nobilem virginem, absente optimo pręceptore, in aula Nobilissimi patris, quo tempore reliqui & reliquæ venationi & iucunditatibus sese dent, offenderim inquam, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ! diuinam virginem, diuinū diuini Platonis Phædonem Græcè sedulò perlegētem: hac patre felicior es iudicanda, quàm quòd πατρόθεν μητρόθεν τε ex regibus reginisque genus tuum deducis. Perge porro, ornatissima Virgo, patriæ decus, parentibus felicitatem, tibi gloriam, præceptori laudem, notis tuis congratulationem, omnibus exteris summam admirationem adferre. O Elmarum meum felicissimum, cui talis contigit discipula, & te multo feliciorem, quæ eum præceptorem nacta es! vtrique certe & tibi quæ discis & illi qui docet, & gratulor & gaudeo. Hæc verba

Ioannis Sturmii sunt, ad me, de meo munere docendi illustrissimam meam D. Elizabetham, sed ad vos duos veriùs traduci possunt: vobis duobus hanc felicitatem integrã cedo, cum ego acerbam offensionem, sine omni caussa hinc exhauserim, vnde suauem laboris mei fructum optimo iure expectare debuerim. Sed intempestiuè refrico asperitatem doloris mei, qui si nõ prudentia mea, certè ipso tempore, callum sibi obducere potuisset. Hoc tantum dico: D. E. accusare non possum, qua vsus sum semper optima Domina, nec M. A. quidem: sed si vnquam in Elmarum meum incidero, in eius sinum abundè meos omnes dolores effusurus sum. Duas res à te peto mi Elmare, (credo enim te hàs meas legere) vt tuo suasu & hortatione, Domina Iana Graia ad me quàm primũ poterit, Græcas literas scribat: hoc illa recepit se mihi facturam. Scripsi etiam nuper Ioanni Sturmio, quod hoc ipsum ea mihi pollicita sit: fac literæ tuæ & illius aduolent ad nos. Via longinqua est. Ioan. Halesius cõmodissimè curabit, vt ad me perferãtur. Si Græcè etiam scribat ad ipsum Ioan. Sturmium, nec te, nec illam pœniteret illius suscepti laboris. Alterum est, quod peto, mi Elmare, vt tu cures quomodo nos inter nos, perpetuã hãc vitã vnà traducamus. Quã libere, quam suauiter, quàm philosophicè tum demum viue-

viueremus? Quid impediret, quo minus nos, exoptatissime Elmare, frueremur omnibus illis bonis quæ Cicero nunc in ipsa extrema cõclusione tertii Libri De Finibus, huiusmodi viuendi rationi tribuit? Nihil in vtraq; lingua, nihil in omni temporũ memoria, aut illa superiori, aut hac præsenti esset, ex quo non aliquid ad suauitatem vitæ nostrę excerperemus, &c. De nouis, quæ hîc sunt, clarissima Domina, nescio quid scribam: inanes literæ essent, quæ inania adferrent: & quod de suis temporibus conqueritur etiam ipse Cicero, paulò grauior res nulla ad vos referri potest, quæ non in via per lectionem releuaretur. Prætereà omnia hæc loca, & omnes hos sermones, occupant motus, strepitus, & rumores bellici, qui plærique, vt sunt aut cum dolo excogitati, aut sine authore disseminati, sic cum inani aut nulla delectatione ad vos pscriberẽtur: neç tua multùm interesse puto scire. Generale Concilium primo Maii, Tridenti inceptturum: Reginaldum Polum Cardinalem Anglum (vt ferunt) præsidem illius consilii futurum: prætereà, qui tumultus fuerunt hoc anno in Africa; quis apparatus belli fiat aduersus Turcam: & quomodo expeditio Cæsaris in Hungariam in maxima expectatione sit, cuius belli si non miles, certè comes ipse, Deo volente, futurus sum. Quid

attinet scribere de obsessis Magdeburgensibus & quomodò hii ceperunt D. Meclelburgensem: & de vniuerso illo motu, qui omnibus modis, hiis temporibus, miseram affligit Saxoniam? Hæc fusè explicare, quæ coarctaui in has angustias, nec otium, nec tutũ est. In reditu meo, qui non longinquus est, vti spero, integrũ mihi erit, coràm de integro hæc eadẽ retexere & singula horum temporũ fila longiùs opportunè, præsente sermone, producere. Liberalitas tua, nobilissima Ioanna Graia, præsenti mihi perquam erat grata, sed ea ipsa mihi absenti longè extitit gratissima. Parentibus tuis nobilissimis, longã felicitatem: tibi, quotidianam tui ipsius in literis, in virtute, victoriam sorori D. Catharinæ, vt tui simillima euadat: & tantum Elmaro meo, quantum Aschamo suo, ex animo quidem exopto. Et nisi vererer, grauare tantam Dominam, pondere leuium mearum salutationum, rogarem te salutares meo nomine Elizabetham Astlæam, quam quoniam fratris sui Ioannis summi amici mei, in omni morum & suauitate, & integritate similẽ esse credo, libenter diligo. Saluta quæso propinquam meã Mariam Latin, & vxorem meam Alisiam, cuius dictũ sæpiùs memoro, quàm feliciùs sequor. Saluta etiam nobilissimum iuuenẽ Garrettum, & Iacobum

bum Haddonum. Vale clarissima Domina in Christo, Augustæ 18. Ianu. 1551.

ILLVSTRISSIMO, POTENTISSIMOQVE REGI N. PRO D. *Legato*.

EXplicare non possum, illustrissime Rex, quanto, hoc tempore, in mærore versor, quòd, cùm reliquis Legatis integrum sit, & præsens suum officium, & suorum Principum ergà tuam Maiestatem studium declarare, ego solus tot difficultatibus exclusus, ædium mearum cõmutatione subita, intempestiua, & inexpectata: indè febris accessione, tum via & per se satis lõginqua, & nunc cæli asperitate valdè incommoda, his (inquam) tot difficultatibus exclusus, inuitus præteriti officii rationem per literas excuso, quod ipse libentiùs sermone coram præstitissem. Hunc mærorem ægrè deponerem, & has difficultates grauius ferrem, nisi mihi explorata, penitusque perspecta esset singularis tuæ Maiestatis natura, quæ sic est & insita humanitate imbuta, & multiplici doctrinâ ornata vt & velit propter summã bonitatem, & possit propter maximam prudentiam, haud aliter officium, si recta voluntate instituatur, ac si feliciter, perficiatur, æstimare. Studium & Principis & patriæ meæ, erga te, præsens verbis nõ amplificauissem:

& tamen, cùm tua celsitudo, quotidie aliquid, virtutis cumulo adiiciat, quo modò potest Princeps meus non aliqua noua beneuolentiæ accessione, nouaque indies admiratione, & te & tua suspicere? Admirari volo: arctiùs copulare non queo, vos duos, principes, qui tot vinculis similimæ vitæ rationis, vniuersis naturæ, fortunæ, virtutis ornamentis, suauitate eorundẽ morum, varietate multiplicis doctrinæ, vno eodemq; amore germanæ virtutis sic coniuncti estis. Sic inter reliquos principes omnes elucetis, vt cum solummodò vterque vtrique queat inuidère, propter summam laudẽ: non posset alter alterum non amare, propter diuinam & consimilimam virtutem. Quoties cogito de hac similitudine vestrorum morum, studiorum, voluntatum, doctrinæ, & virtutis, toties equidem exopto, vt quam opinionem virtutis vtriusque vestri vniuersi ferè homines concipiunt, hanc vos duo, in propinqua aliquando & mutua vitæ consuetudine, tanquam in verissimo aliquo speculo cerneretis. Cum enim, &c. Longior fortasse, & molestior sum, quàm par est: sed ista commemoratio partis illius dulcis sermonis, quem tecum ipse præsens paulò fusiorem instituissem, tam mihi suauiter obrepsit, vt non tam nunc veniam præteriti officii, quàm longiùs prouecti

necti sermonis his literis meis impetrare debeam: quam veniam, si amplitudo tua mihi tribuerit hoc tempore, aliâs spero, & id quoque breui, cum valetudinis ratio id tulerit, & ex istis me expediero molestiis, quicquid nunc absens præterii, non mea voluntate, sed certorum hominum injuriâ id præsens, aut debito supplere officio, aut iusta purgare excusatione, apud Maiestatem tuam laborabo. Deus largiatur tibi, maxime Princeps, vt non tàm hostes in prælio, quàm teipsum in omni prudentiæ, doctrinæ, veræq; virtutis laude in dies magis magisq; superes.

ROG. ASCH. D. IOANNI CHECO.

S. P. in Christo Iesu. Dubito, an superiores meæ literæ per Franciscum tabellarium ad te missæ, ad manus tuas venerint. Responsum, clarissime vir, non exspecto: nam video te grauioribus rebus distineri, quam vt tot literas Domini legati, singulis hebdomadis summo beneuolētiæ studio ad te missas, vel tribus verbis compensare possis: quamquàm non est vlla tam præsens amicitiæ suauitas, quam absentis vel defensa salus gratis officiis, vel culta memoria crebris literis: & contra, nihil acerbius illo hominum genere, de quibus Cicero,

cum prouinciam procuraret, grauiter conqueritur, qui absenti illi, aut silentio ingrati, aut repræhensione iniurii extitissent. Nos obscuri & humiles, hac parte feliciores sumus, quia nec dolemus, si prætereamur silentio: nec timemus, ne lædamur inuidia: quos nec ἀχαρισίας sensus multum mouere, nec ἀδικίας aculei acriter pungere solent. Cupio equidem ad te creberrimas prolixasque literas scribere: non facio, & certo consilio, & iusta de causa: nam res grauissimæ, quæ hîc geruntur, literis Domini Legati, aut priuatis ad te aut publicis ad regiũ Consilium perscribuntur. Si ego easdem res scriberem, & officium mihi commissum proderem, & laborem cum mihi inanem, tum tibi molestum sumerem: sin alias res leuiores, quotidianas, plateis iactatas, cum mendacio excogitatas, sine authore disseminatas adferrem, tuæ dignitatis, prudentiæ, iudicii rationem habere non viderer. Prætereâ, otium mihì minimum suppetit, vt si maxime voluntate id cuperem, minime tamẽ facultate præstarem. Nam D. Legatus, cum otium à publicis negotiis datum est, in peragranda Græca lingua, quotidianis & maximis itineribus vtitur, in nullo diuersorio quiescit, ad nullum diuerticulum deflectit, & iam incipit percurrere, propediem spero peruolaturus, vt nihil egisse se existimet, si reli-

quos

liquos Anglos in hoc cursu superet, nisi ad vos etiam aspiret Olympiacos, quod facturus est, etiamsi caueatis. Ad hunc modum ego tempus traduco: aut studeo, aut cum Domino lego, aut trāscribo literas quas Dominus ipse scribit in Angliam: rarissimè proficiscor in vrbem, sed omnem meam voluptatē ex domestico meo officio quæro. In omni officii genere, quod Domino meo præstare possum, (nam quod non possum, exigere, vti spero, non vult) vniuersam meam operam, diligentiam, obseruantiam, cum summa voluntate, fide, constantia exhibebo. Et quanquam hoc postulat ratio & honestatis meæ, & bonitatis illius, te tamen, Ornatissime vir, veluti præsentē spectatorem factorum meorum omnium, ob oculos quotidiè propono, vt nihil absens cōmittam, quod tibi præsenti non probarem. Et quemadmodum tua vnius opera huc missus sū, sic mea in memoria semper inhærebit illa Ciceronis sentētia, Grauiorem esse sponsionem alienę honestatis, quàm alieni ęris. Neque quicquam mihi in hac longinqua absentia mea frequentius obuersatur, quàm vt assiduè laborem, vt antiquæ tuæ in me beneuolentiæ aliquis indies nouus cumulus accedat, &c. In Græca lingua diligens sum, in Italica aliquis, in Latina nullus: nam vsum habeo illius legendæ infrequentem, loquendæ insolentiorem.

O

scribendæ rar ssimum. Ad aliquot menses libenter viserem Italiam. Quod scripsi ad te superioribus literis, aliqua vtilitas huius itineris mei ad te præcipuè perueniret. Nam, si me liberum, & integrum, non ad varias res distractum, ad notationem temporum, locorum, rerum, & hominum apponerem, nullus esset Reipublicæ motus, religionis status, literarum progressus, morum & disciplinæ gradus, vicissitudines, expectationes, aperta consilia, secreta studia, quæ vllo modo expiscari potuerim, quin tibi ea omnia perscriberem. Si ope tua, opes mihi ad hanc rē supperterent, hoc beneficium, & hoc tempore gratum & in hac absentia mihi & meis gratissimùm haberetur; hæc postulatio mea, cum vno verbo duo coniuncta, facilè, quod volo, assequeretur. Non sum tàm durus mihi, vt non sentiam, quid & ipse possim, quid etiam aliqui non possunt, quibus eximiæ Præbendæ, vt nominantur, passim tributæ sunt. Præfectura, vt tu scis, bibliothecæ Regiæ mihi conceditur; si hanc iacturam alia non compenset cōmoditas, possum ego meā deplorare ἀτυχίαν, non possunt alii suā excusare ἀδικίαν, nisi alter alterū circumuenire in nullo vitio ponendum sit. Multis nominibus amo Bartholomæum Trahernum, & facilius patiar tàm honesti viri caussa, mihi præcludi bibliothecam, modò

aditus

aditus mihi pateat, ad aliquam similẽ conditionem. Si tu, optime vir, indigeres vlla opella mea, opinor nosti, quo animo, quo studio, in id totus incumberem: sentiam & ipse quàm feliciter trado & commendo meum negotium tibi; alium, qui beneuolentia plus velit, aut facultate opportuniùs possit hoc mihi perficere, nullum habeo. Clemens Alexandrinus imprimitur Florẽtiæ, πρὸς Ἕλληνας λόγος προτρεπτικός Libr. I. παιδαγωγός. Lib. περὶ στρωματέων. Impressus est Romæ Theod. περὶ αἱρέσεων, & Venetiis nuper Dionis Chrysost. orationes Græ. 80. tractat insignia loca cõmunia, περὶ βασιλείας, πλεονεξίας, περὶ νόμου, περὶ ἔθους, περὶ πίστεως, καὶ περὶ ἀπιστίας, hanc olim vertit Camerarius, & alia similia, ad vsum ciuilẽ accõmodata; hunc librũ & reliquos mitterẽ libenter ad te, si cõmode hinc in Angliam deferri possint. Ioan. Iacobus Fuccarus, insignis mercator huius vrbis, curauit sibi ex Italia, ex Gallia, & Germania transcribi elegantissimè magnum numerum optimorum Græcorum librorũ. Bibliothêcam nondum vidi: si videro, diligenter notabo, si quid venerandæ antiquitatis illic exstat. Musculus, superiori anno dedicauit Ecclesiasticã historiã Regiæ maiestati: adhuc nõ intelligit, an liber traditus sit. Si tu Cicellus, & Co°, virtutis atque literarũ caussas in loco tuea-

animi, opinioni omnium respondebitis. Si in extremis literis tuis ad Dominum Legatum significes, quod has meas receperis, gratum faceres: sed longè gratissimum, si antiquam beneuolentiam tuam, exoptatissimis mihi sēper literis tuis agnoscere possim. Vale clarissime vir. Augustæ. 14. Ianuarii. 1551.

ORNATISSIMO VIRO D. G. CECILLO.

MAgna cum voluptate, vir ornatissime, cognoui ex literis tuis ad D. Mor. quanta animi propensione eniteris, vt me tibi beneficio tuo in perpetuum deuincias. Spes quam proponis, est mihi admodum certa: & res, quam expecto, erit valde grata: sed omnino, tua voluntas est longè iucundissima, quæ ita expedita est ad bene de me merendum, vt omnem in me præcurrat, vel gratias agendi facultatem. Itaque, cum gratiæ, quas tibi referrem, sunt penitùs nullæ: & quas tibi haberem, sunt etiam perexiguæ: ego superatus re, & destitutus oratione, referam me ad eam, quæ sola mihi reliqua est compensandi rationem. Subsequar te voluntate, studio & perpetua mea obseruantia: cuius propositi mei duos luculentos obsides mitto ad te, duos insignes Cæsares, qui vt se tibi præsentes sisterent,

ego

ego verius nec hunc æreum Deum, nec illum aureum diabolum, vtrumque in literas inclusi tuas. Aureus numus minus erit tibi gratus: nam quid pessimo principi cum optimo viro? Sed quia materies est purissima, & opus præstantissimum, fortasse iuuabit te intueri illam tyrannidem & immanitatem quæ etiam nunc apparet in ipso vultu, & in ipsis faucibus, quomodo in Suetonio etiā scitè describitur. Æreus numus est valdè insignis, & ita insignis, vt ex hac mea facultatula nihil habeam, quod tibi, tanto viro, tanto meo patrono preciosius offerre possim. Superiore mense fui apud Don Diego di Mendozza, virum literarum amantissimum & omnis antiquitatis peritissimum: ostendit mihi magnam numorum vim, dedit aliquot, rogat ecquos haberem? eduxi hunc æreum, quem præsentem habui: inspecto numo, respexit ad me: intelligis inquit, quem numum habes? Augusti Cæsaris, inquam ego: rectè, ait ille: at ex omni temporum & vetustatis memoria, nullus numus insignior isto ad hominum manus peruenit. Legis, inquit in Tito Liuio, de templo Iani bis clauso vniuersa pace constitutā: primū regnante Numa: pòst, imperante Augusto: quo anno Christus nasci voluit. S P. Q. R. imperitus prouidentiæ Dei, referebat hanc vniuer-

ſam pacem ad prouidentiam Auguſti, & facto S. C. ſalutabat eum ET DIVVM ET PATREM, feriens hunc numum, cum templo Iani clauſo, & hoc verbo PROVIDENTIA. Interrogabat me vnde haberem? reſpondebam, in oppidulo, ſecundum Rhenum ſito: credibile, inquit: nam paulò poſt Druſus & Tiberius, illa loca circumcirca bello infeſtabant. Obtuli ei numum dono, quoniam videbam illum eo delectari, ſed noluit accipere, addens dignum eſſe, cùm in Angliam redirem, quem Regiæ maieſtati offerrem. Sed nimius ſum, in re tam leui, præſertim ad talem virũ, & memor tuæ humanitatis, imprudẽs oblitus ſum authoritatis & occupationum, quibus diſtinêris. Recipies vnà cũ hiis literis, chartam Mirandulæ, cũ maxima parte Longobardiæ, & longiſſimo volumine Padi Fluuii, credo te antea habere: ſed quid impedit duobus locis eandẽ affigere? Niſi explorata mihi eſſet tua humanitas & ſingularis in me beneuolentia, nec res tam leues, nec literas tã inanes, ad te mittere auſus fuiſſem. Vale, ornatiſſime vir. Bruxellis, Iulii 7. Anno 1553.

ROG. ASCH. D. IOANNI CHECO.

IS mihi nuntius lõgè gratiſſimus fuit, Ornatiſſime vir, quo te, in Regium ſenatum coopta-

cooptari ad nos allatum fuit. Sed quia hæc dignitas, doctrinæ, prudentiæ, & integritati tuæ, omnium hominum voluntate, consensu, & voce, tanto anteà debebatur, non eam tibi vni, imò non tantùm tibi eam gratulor, quãtum hiis, quib. meo iudicio, maior prudentiæ laus in te eligendo, quàm tibi felicitatis pars in conscendendo ad hunc dignitatis locum accessura est. Gratulor itaque vniuerso nomini Britannico: primùm verò, & quidem, præcipuè, optimo nostro Principi, quòd cuius te pueritia vsa est excellentissimo Præceptore, eiusdem iam adolescẽs virilis, & grandæua deinceps ætas, in longissimos annos eundem te prudentissimum & fidelissimũ habitura sit Consiliarium, quorũ alterum tuæ præstanti eruditioni: alterum insigni probitati & spectatæ prudentiæ: vtrumque Regis & Regni nostri summæ felicitati: totum verò hoc quicquid est immortalis Dei benignitati, qua te, Principem, & vniuersam Angliã, vno hoc beneficio beare voluit, libenter attribuimus. Plurimum enim gratulor nostræ rei & publicæ & literariæ, & Christianæ, quarum triũ rerum salus tam tibi semper chara extitit, vt singularis nunc singulorum hominum tranquillitas, exoptatum studiorum otium, & purioris religionis quies, in tua iam plurimùm vnius authoritate, in excellenti doctrina, in

ardēti erga Deum studio, sint deinceps conquietura. Gratulor multùm quidem Cantabrigiæ, quæ te genuit: sed vnicè Collegio Diui Ioannis, quod te docuit: quia altera te habuit optatissimū alumnum, alterum florentissimum discipulum, vtrumque nunc te videt vtriusque optimum potentemque patronum. Seorsim verò, vltimo in loco gratularer ipse mihi, nisi hominis sui nimiùm amantis hoc esse videretur, gratulor tamen, & impensè gratulor, sed ea ratione, vt aliàs malim opera aliqua mea & obseruantia, cor ipsum ostendere: quàm nunc verbis indicare studium & beneuolentiam. Hanc meam lætitiam adauget, hominum, in his regionibus, & nostrorum & exterorum lætans certansque de hac tua dignitate congratulatio: separatim verò sermones Thomæ Hobbæi, quos mecum creberrimos vsurpat de tua probitate, & sua in te singulari obseruantia: hic iuuenis præclarè ostendit, ex cuius artificis prodierit officina: frater eius D. Philippus, vir prudentissimus, vtitur eo, & vtitur solo ad omnes res pertractandas in hac Cæsarea Aula: in qua perfunctione, tam oportunè, diligenter, considerate, & tacite se gerit, vt illorum seminum, quæ tu in eo puero Cantabrigiæ iecisti, non nascens iam aliqua spes se proferat, sed florens, eaque insignis maturitas, in eo nunc adolescente fa-

cto sic emineat, vt rectè quidẽ meo iudicio ipse faceres, si effeceris, vt is intelligat, te nõ solùm illum in hoc cursu libenter cum voluptate spectare, sed ipsũ tàm præclarè currentẽ cum aliquo etiam applausu incitare. Quia nullus stimulus ad virtutẽ aptior adhibetur, quàm laudati viri, læta collaudatio: hunc ergo totum tuũ, tibi adiungito, & saltem aliqua salutatione, in aliorum literis, ad maiorem spem excitato. In sinu meo, nonnunquam conqueritur, se plurimas literas ad te scripsisse, se tamen scire non posse, an ad tuas peruenerint manus. Nos verò vetulos, obscuros, effœtos, & tacentes, παρακμάζοντας contemnere potes: istos autem insigniores adolescentes, natos ad lucem, crescentes ad laudẽ, & surgentes ad præclaram fortunam, præterire non debes: quãquam nec me quidem præteris, cuius mentionem in literis tuis ad D. Morysinũ tam memoriter, & amanter facis. Minùs sæpè iam ad te do literas, quia vereor scribere præsertim ad tantum virum, & in re, aut nulla, aut leui: propterea metuo, ne istæ literæ, aut nimiæ, aut intempestiuæ sint, cùm tibi nec molestus esse, nec ineptus videri vllo modo velim. Superiore tamen mẽse, scripsi ad te, per famulum D. Chamberl lætor, si illæ tibi traditæ fuerunt, propter duos vetustos numos, alterum C. Cæs-

ſaris,alterum, P. Clodii, quos in eas includebam literas. Literæ quas proximè ad me dediſti, traditæ mihi fuerunt ſuperiori anno Argentinæ, gratiſſimæ quidem illæ, ſed non adeò, quemadmodum cæteræ eſſe ſolent, iucundæ: iudicabam enim ipſas valdè amantes, ſed opinabar tum quidem eas nõnihil eſſe pungentes: quarum aculei mihi aliquandiu inhæſerunt. Quod ipſum credo mihi accidit, quia nihil abs te profectum lego, cuius non ſingula pondero verba ſingulaſque appendo ſententias, vt ipſum animi tui intimum eruam ſenſum, & quo pluris te facio, eò magis ſemper ſum ſollicitus, quid de me in vlla re exiſtimes. Sed ſcrupulum, quem inanis iniecit metus, certum excuſſit iudicium; nec volui committere, vt opinioni meæ leuiter ſuſceptæ, quàm beneuolentiæ tuæ mihi perſpectatiſſimæ plus vllo modo tribuerem. Et hunc metũ, mihi concedes valdè amanti: & hanc libertatẽ, tuæ aſſignabis humanitati; quæ facit, vt libere proloquar, etiam ea, quæ inaniter cogito. Si ſcire cupis, quidnã hîc rerũ ago, intelligas me nũc deſcribere certas illas cauſſas, quamobrem Parmenſis Salernitanus, Brandeburgenſis, & Saxo Cæſarem deſeruerunt; deinde continentẽ ſingulorum dierum memoriã colligo, quid in Aula Cæſaris contigit, ab Oenopontica fuga, vſque
ad

ad Metensis obsidionis derelictionem: quibus temporibus, magnæ amicitiarum, dissidiorum, prædationum, bellorum confusiones, mutabiles fortunæ varietates, & grauissimæ rerum cõuersiones extiterunt: quas miserias omnes, ἀχαριστία, dolus, perfidia, libido, auaritia, ambitio, tyrannis, & θεομαχία, exacta libertate, violato iure, fœdata religione, contẽpto ipso Deo, permiscuerunt. In hiis rebus, veritatem sequor, ornatum non quæro: scribo enim Anglicè, & mihi soli, ac meis sociis problematariis: & propterea, non luci, sed nocti, vt harum rerum dulci sermone & recordatione proximas has hyemales noctes nos inter nos fallamus. Fuit tempus, ornatissime Cheke, cum talem materiam etiam Latinè mediocriter pe: polire potuissem: sed succus ille purioris dictionis, quem ego hausi ex hiis fontibus, quos tu profluenter quidem mihi, sed felicissimè aliis multis aperuisti, totus nunc exaruit & stylus, quem excellentis ingenii doctrinæq; tuæ cos mihi etiam nõnihil exacuerat, nunc omnis est retusus, ad duram hanc meam & desperatam etiã ex melioribus studiis, meliorem fortunam: at fortunam non deplorare meam, sed tibi gratulari tuam institui. Domi hoc, corã, præsente sermone oportuniùs faciã. Nostrum reditũ in dies singulos appropinquare speramus, quem vt accele-

res, etiam atque etiam rogo: id quod facio commotus rerum, non domesticarum stulto desiderio, nec exterarum inconstante fastidio, cum magnam capio & voluptatem ex consuetudine prudentissimi viri: & vtilitatem, ab experiẽtia grauissimarum rerum: præter vsuram rectæ conscientiæ in perfungendo illo munere, fideliter & constanter, quod tu mihi imposuisti. Ioannes Sturmius nuper scripsit ad me, petiitque vt ex meis literis ipse intelligeres, illum tui esse & studiosum & percupidum: sed quò plus ille me amat, & meliùs de me existimat, eò timidiùs sumo, & parcius facio quod ipse rogat: itaque reiicio te ad iudicium duorum optimorum virorum, Christophori Montii, & Ioannis Halesii, qui laudem doctrinæ maximam, sed humanitatis, prudentiæ, vsus, consilii, iudicii, & religionis, lõgè maiorem Sturmio tribuunt. Compendium fortunæ suæ, credo, non quærit: sed suauitatẽ beneuolentiæ tuæ magnopere appetit: cum is sit, qui præclarè possit in summis versari numis. At tamen vehementer ipse dolerem, si laudem præstantis illius operis, περὶ ἀναλύσεως vtriusque linguæ aut Gallus, aut Polonus optimo nostro principi eriperet. Aureum numum Antonini Pii hiis literis inclusum ad te mitto: felix illud seculum, propter auri puritatem, & artificii præstantiam,

tiam, sed longe felicius propter optimum Principem. Hiis priscis monumentis delector, non solùm quia fidem vetustissimę memoriæ faciunt: sed quia ad ipsius æternitatis naturam proximè accedunt: soli enim numi (isti præsertim aurei) nulla temporis longinquitate vitiari possunt, cùm cæteræ res vniuersæ tempore consumuntur. Vale ornatissime vir, & me vt soles, ama: quia nullum beneficium maius aut gratius mihi, ipsa tua beneuolentia, vnquam iudicabo. Bruxellis. 7. Iulii 1553.

ROGERVS ASCHAMVS HVBERTO SVO.

S.P. Multos magno dolore, & me non mediocri affecit, subita illa Metensis obsidionis derelictio, doctissime Huberte: quæ impedimẽto fuit quominus Heidelbergam accessissem, vbi singularem voluptatem ex suaui consuetudine, & erudito sermone, tuo videlicet, Micylli, & Cisneri percepissem: de recta namque Græcè pronuntiandi ratione, quomodo inter nos constitutum fuit, commodè & fusè disputassemus. Magnum fructum scio ex vestra eruditione, & palmam ipsam, credo, ex meliori caussa domũ reportassem. De Huberto meo hoc est, de summa bonitate tua, & multiplici doctrina, & de illa instituta nostra disputatione, sæpè

multumque cogito, & ita cogito, vt id literis, aliqua ex parte, nunc tentem inchoare, quod opportuno sermone, coram, plenè præstare potuissem. Ex hac tamen vna re, & mutua scribendi ratione duplicem capiemus commoditatem: nam initam nostram amicitiam, literarũ crebritate stabiliemus: & institutam nostram disputationem, magna cum voluptate persequemur: persequemur autẽ eo modo vt modum literarũ nunquam excedamus: propterea, singulis literis nostris, singulam quamq; Græcam literam expediamus; & sic nostræ literæ, nunquam nimis longæ, & materies scribendi semper valdè copiosa nobis proposita erit. Auspicemur igitur fauentibus Musis, & agnoscite caussam: nam vos tres, quos habeo aduersarios, libẽtèr in hac caussa patior esse iudices. Prodeat ergo vtraq; pronuntiatio, vestra & nostra, pugnent inter se. Quibus telis? Rationibus? Facile accipio. Doctrina? Id à vobis doctissimis expecto. Testibus? Et ego quoq; laudo. Rationes scio nullas habetis, nisi quas subornauit multiplex vestra doctrina. Sed testes quos? Excutiẽdi enim sunt. Testem habetis primum, vsum, quia omnes pronuntiant vt vos, exceptis nobis Anglis. Deinde, producitis ipsam Græciã, quæ hodiè retinet vestram pronuntiationem, cuius authoritas, longe anteponenda est istis diuisis

uisis toto orbe Britannis. Si vsum intelligitis priscæ illius ætatis consuetudinem, cùm vixit & scripsit Aristoteles, qui adhuc in libris doctorũ hominum conseruatur & viget, vsum & ego recipio. Sin vsum vultis hunc vulgarem, imperitum, & quotidianum, à prisco illo doctissimo vsu longe alienissimum, tot mutationibus corruptũ, tot erroribus implicatum, & temporis longinquitate exesum ego verò nõ admitto. Vsus, nisi doctrina & ratione nitatur, præceps in errores semper ruit: & hinc fit, quòd nulla vnquam fuerit vel Respublica tam rectè gubernata, vel Lex tam sanctè posita, quin vnius consuetudinis vitio, sit tandem euersa atque labefactata. Taceo, quos errores, solus vsus in ipsa verissima Christi religione producit, fouet, & tanquam sus porcellum suum, in fœtido sinu amplectitur, & mordicùs etiamnum defendit. Vis corrigere, vis emendare aliquid, quod vitiatum sit? Solus vsus repugnat, & sese opponit, clamitans, Consuetudo, Consuetudo: à qua vulgus, & imperiti homines ægerrimè diuelli possunt. Vos ergo duces scientiæ videritis, an tantũ vsui omnis erroris authori, & propugnatori, in hac causa tribuẽdũ sit: præsertim cũ nulla res extet, quę quotidianis mutationib. magis obnoxia sit quã verborũ sonus & pnuntiatio. Prætereà, cum Græca lingua

diù iam recesserit ex vsu vulgari, & sermone hominum, & sese omninò abdiderit in doctorum libros, taceat ergò & facessat vsus vester ex hoc iudicio, & prodeant libri, quos nec Iouis ira, nec ignis, nec ętas omnis potuit corrumpere. Libri, inquam, antiquioris illius fidei, quanquam nullius libri vocem, & testimonium reiicio, quem vos tres, dignum & idoneum testem iudicabitis. Ast libri, dicitis, non loquuntur, non possunt exprimere sonũ literarũ. Scio tacebunt omnes libri & literæ, & erubescent, de vestra corrupta & vitiata pronũciatione loqui: at de nostra, copiosa & luculenta dicent testimonia. Sin vlli libri de vestra quicquã loquuntur, producite, nullum reiicio: & ego vicissim libros doctissimos summæ authoritatis, pro mea in medium adferam, & id iam statim, cùm ad disceptationẽ accessero. Alter testis vester, est ipsa Græcia. Rectè. Græcia scilicet, quæ iam nescit loqui, nouit rectè pronuntiare? Græcia, quæ iam diu amisit suum imperium, gloriam, ingenium, doctrinam, imo nomen suum, & linguam, retinet tamen (si Diis placet) ipsam veram pronunciationem? Græcia tot vrbibus euersis, & ipsa suis pulsa sedibus, & tot Barbarorum cedens inuasionibus, pronunciationem tamen puram, inuiolatã, & nulla mutatione iactatã hactenus conseruauit?

Alii

Alii profectò testes melioris fati, & fortunæ, quàm isti miseri Græci, vobis quærendi sunt: nam non solùm cum vobis tribus, sed cum Græcis ipsis, qui nunc viuunt, libenter pugno: cum Græca lingua, nunc dierum, non magis sit propria Græcorum hominum, quàm lingua Latina Italorum: nisi hoc fortasse dicturi sunt, se aliter quidem, sed meliùs pronuntiare, quàm veteres illi doctissimi Græci consueuerunt, & tunc pugnabo cum hiis, qui ad inueteratum aliorum errorem, singularem etiam suam adiicient impudentiam. Quisque ergò, in hac caussa, contendere vult præsidio scientiæ, non errore consuetudinis, sese muniat, doctorum monumentis, vbi tota iam habitat Græca lingua, non Græciæ olim, nunc Barbariç regionibus, vndè omnis exulat doctrina, & ipsa etiam lingua, hanc disputationem contineat. Et hæc de vniuerso genere pronuntiationis: nunc breuissimè de vna litera, vt rationem literarum, non libelli magnitudinem nobis proposuisse videamur. De α, non contendimus, nisi cùm coaluerit in diphongum αι, sed eum locum reiiciemus ad nostram de vocalibus disputationem. β ergò prodeat. Hic longè discrepamus. Sed audiamus quomodo vos, & quomodò nos efferimus, & penes vos tres iudicium esto, vtri rectius pro-

nuntiant. Hoc verbum κυβέρνω vos sic effertis, Chiuerno, in qua vna dictione, tres errores admittitis, in κ, in υ, in β. Latini hoc verbum suum fecerunt, nec solùm vim in significatione, sed etiam veritatem in pronunciatione retinent, solùm mutantes primam literam tenuem κ, in suam mediam γ; id quod Græci veteres sæpissimè fecerunt. Itaque, nos efferimus κυβέρνω, cum Latina lingua guberno: sed de κ & υ suo loco. Nunc testes idoneos proferamus, an cum vobis dicendum sit Verno, an cum nobis Berno. Producite testes vestros, Conticescunt omnes, excepto mendaci vsu, quem comites sui, error & ignorantia, obtorto collo, & impudenti facie in hunc locum prouehunt. Audite nostros testes, quos vos scio non reiicietis. Primus est, doctissimus Eustathius, qui sic explicat illum Homeri locum, βῆ δ᾽ἤκατ᾽ ἐλύμεπσιο. &c. βῆ, inquit, est ipsissima vox ouilis: iam, vtrum vlla ouis effert Vi vt vos, an Be vt nos, iudicetis. Angliæ scio omnes oues, & Germanæ, & Italæ, pro nobis faciunt, sed fortasse Græcæ oues olim non balabant, sed vilabant, &c. Ast, qualis hæc, dicetis, disciplina est, quæ petitur ab ouibus? Certè rubore non perfundimur discere ab ouibus, cum in simili causa, ille, cui similem nemo potest nominare, non erubuerit à cane literam

ę perdiſcere. Et diſcere ab ouibus, eſt diſcere ab ipſa natura, quæ conſtans ſemper & ſui ſimilima exiſtit, nec varietatibus & mutationibus obnoxia eſt, vt vſus veſter, & fluctuans conſuetudo. Sed alterum teſtem proferamus. Ecce Marcus Cicero, qui Græcè loquendo, ipſis Græcis gloriam (vt ille ait) eripuit, in epiſtola illa, ſatis vobis nota, de obſcœnis verbis, dicit, cum audit βινεῖ putidum Græcum verbum, ſonat idem quod Vini Latinum. Sin Bi ſonuiſſet Ciceroni Vi, quemadmodum nunc ſonat vobis, mentionem Vini, non Bini proculdubio feciſſet: itaque, aut tunc Cicero βι, non rectè, aut vos, nunc malè pronunciatis. Tertium teſtem expectatis? non leuem, ſed in omni cauſa grauiſſimum authorem, D. Aurelium Auguſtinum producimus, qui planiùs (ſi quid planiùs dici poteſt) quàm aut Euſtathius, aut Cicero hanc rem decîdit. In libris de doctrina Chriſtiana (caput non occurrit, quia liber non eſt ad manum) dicit, cum audit nominari herba Bêta, videtur illi nominari ſecunda litera Græca, quomodo nos nunc efferimus: ſin verò pronuntiaſſet Auguſtinus, quemadmodum vos, Vita, id eſt, anima, non Beta herba, auribus eius circumſonuiſſet. Quartum vultis teſtem? Niſi Epiſtolæ modum mihi propoſuiſſem, & quintum, & decimum etiam produxiſ-

ſem. Verùm ſequemur illum, qui in grauiori cauſa dicit: In ore duorum aut trium, &c. Et cui Euſtathius, Cicero, & Auguſtinus non ſatisfaciunt, illi ego ſatisfacere nõ laborabo. Itaque aut me falſa retuliſſe, aut iſtos tres non rectè ſcripſiſſe, aut nos veram & germanã, & propterea Germanis hominibus aptiſſimam pronunciationẽ aſſeruiſſe ingenuè fateamini. De pronunciatione reliquarum literarum, reliquis literis noſtris deinceps ordine, Deo volente, perſequemur. Saluta doctiſſimos viros, Micyllum, & Ciſnerum, quorum literas, & tuas, de pronunciatione auidè expecto. Saluta etiam literis tuis clariſſimam illam fœminam Olympiam, quæ ſola, pro ſua ſingulari eruditione, & ſummo iudicio, ſi patrocinium noſtræ pronunciationis ſuſceperit, de vobis reliquis minùs laborabo. Vale optime & doctiſſimè Huberte, & me quod facis, ama, Bruxellis. 6. Martii 1553.

D. HIERONYMO FROBENIO NOBILI BASILIENSI TYPOgrapho.

SP. in Chriſto Ieſu. Eruditum te, ex tuis ſcriptis, Hieronyme Frobeni, humanum atque bonum ex aliorum ſermonibus eſſe intellexi: & eò faciliùs patiebar me adduci rogatu doctiſſimi viri, & vtriuſque noſtrûm valdè

valdè amantis Hieronymi Wolfii, vt inprimis tibi ſignificarem literis meis illos D. Eraſmi Antibarbarorum libros diu deſideratos, & olim Romæ Richardo Paceo ſurreptos, adhuc in Angliа reſeruari. Liber ad me proximo ſuperiore anno adferebatur, & eo vtebar Cantabrigiæ aliquot menſibus: integri ne libri ſunt, an λειπόμενόν τι, planè ignoro: egi cum illo, in cuius manus deuenerunt, vt in lucem apparerent, quod ille facilè mihi concedebat. Atque cùm mihi, ab ineunte ætate, perſpecta ſit illa multorũ officiorũ & beneuolentiæ coniunctio, quæ veſtræ Frobenianæ familiæ, cum Eraſmo interceſſit, hanc rem tibi cõmunicare, conſilium fuit: vt, ſi tu ita vis, mea opera vtaris ad id, quod tibi de hac re, tuoque iudicio conſultiſſimum eſſe videatur. Itaque expecto literas tuas: ſequor Aulam Cæſaris: ſi miſeris literas tuas Argentinam, ad Ioannem Sturmiũ, vbicunque fuero, curabit ille vt ad me cõmodè perferantur. Vidi ego Græcam bibliothecam Iacobi Fuggeri, & habeo indicem ſcriptorum librorum: multi libri ſunt, nondũ in lucẽ diuulgati: quanto maior laus eſſet huius viri, ſi tot præclaris authoribus, non ciuitatem, vt potens Conſul, ſed mundũ & vitã, vt aliquis Deus, daret quàm cõpingens eos in perpetuas tenebras, non φιλολόγος, ſed βιβλιοτάφος me-

ritò quidem haberi? Vtinam hic vir, ad hãc & priuatam gloriam, & communẽ vtilitatem excitari possit. E Britannia decedens, & nobilem Basileam visere, & fortem Heluetiorum gentem peragrare sperabam: sed vereor, vt mea negotia, hiis temporibus, hoc me patiantur facere: Religionis veræ cursum, literarum cultum & progressum, populi mores & locorum illorum oportunitates auidè perspexissem: nunc reliquum est, vt quem fructum ipse præsens ex contemplatione harum rerum percepissem, eundem ex tuis ad me longis gratissimisque literis expectem. Si vlla officii ratio, à me, aut in hac Aula, aut in Anglia, tibi proficisci possit, quantum eniti nauareque possum, libenter præstabo: & si cæteris rebus minùs queo, amore certi gratique animi significatione, & literarum etiam crebritate tibi respõdebo. Vale in Christo Iesu. Augustæ 10. Iunii.

FRANCISCO ALANO.

TRes sunt res, F. Alane, quæ in reb. humanis, plurimùm possunt, fereque dominantur; forma, pecunia, & honor. Formæ, præcipuus voluptatis sensus: pecuniæ, maximus commoditatis vsus: honori, summus dignitatis locus meritò tribuitur. Hiis enim tribus rebus, tres olim Deos,

vel

vel imperita vetustas propter vsum, vel olim docta poësis, propter prudentiam ingeniosè affinxit. Nam voluptati, ipsam Venerem: diuitiis, Plutum: dignitati, summum Iouem præesse voluerunt. Posteà, eisdem rebus ipsæ philosophorum scholæ, vltimum bonum, & omnium semper sapientum sententiæ, maximam vim assignârunt. Itaque cùm ego probè cognosco te, F. Alane, egregium esse formarum spectatorem; cùm te cupio esse ditissimum, cùm, te iudico ad dignitatem esse natum; volui tibi hunc librum offerre: in quo vno, tu, quem vnicè amo, his vniuersis tribus rebus felicissimè potiêris: formas enim hîc, non has fastidiosas & quotidianas, sed lectas & lautas illas, & Cæsarea Maiestate dignas, & liberè sine impedimento, & tutò sine periculo & suspicione contemplaberis. Hîc virginum & matronarum vultus Venere ipsa venustiores, non matres minaces, non mariti truces, non infensi riuales, non parietes, non seræ ab oculis tuis excludent. Diuitias hîc porrò, non ipsius Crœsi miserè collectas gazas, sed illius vniuersi & vrbis & orbis imperii cumulatissimè congestos thesauros accipies; adeò vt, quicquid vel bonorum frugalitas collegerat in pace, vel potentum vis corraserat in bello, vel tyrannorum libido extorserat in omni tempore, hîc tibi quietè, tutò,

& certo iure poſſidere liceat. Honor verò & dignitas, quomodo maior tibi proponi poteſt, ſiue ad imitationem, ſiue ad admirationem, quàm Cæſarum & Auguſtorum? Atque vt planè videas mi Alane, me in hiis tribus rebus cogitare tibi non fucum, ſed fidem facere, non inania verba ſed vera ornamenta dare, ecce tibi [illegible] formæ huiuſmodi ſunt, vt nullis vnquam ineſcare illecebris, ſed veris ſemper delectare voluptatibus ſoleant: non natura fallaces, nō tempore mutabiles, non ſoli, non febriculæ obnoxiæ exiſtunt: ſed ingenuæ, conſtantes, integræ, & ſanæ ſemper manent. Hæ verò diuitiæ, nec me, qui illas do exhaurient: nec te, qui eas recipis, corrumpent: quas, vt ego cedo ſine diſpendio: ſic tu nunc & poſſidebis ſine labore, & ſeruabis ſine metu, ſed vtêris ſine inuidia. Ad honorem verò & dignitatem, quæ propoſita tibi eſt in hoc libro, otioſus abſque turba, & tutus ſine periculo aditurus eſt: vt eam per beatam dignitatem, quam Cicero in initio de Oratore ſummoperè laudat, ſed nunquam conſequutus eſt, is tibi liber offerre videatur. Ad has tres ſuperiores commoditates ſummas, accedunt duæ aliæ, doctrina & amicitia: altera huius libri: altera inter nos hæc arctiſſima noſtra. Et quæ doctrinæ pars maior, quàm à maximis Imperatoribus geſtarum rerum erudita hiſtoria?

ſtoria? quæ, cùm ad ciuilem diſciplinam tota referatur: tibi, qui te totum ciuili vitę tradidiſti, non iucunda ſolùm ad legendum, ſed optata etiam ad vſum futura eſt. De amicitia noſtra parcè, & paucis dicam: ne dum te libenter & merito laudem, meipſum obiter & imprudenter, repræhendendum exhibeam: nam quorum voluntates, ſtudia, & in aliqua etiam re, ipſa conſentiunt vota, nihil ferè nec laude nec vitio dignum inter eos ſeparatum eſſe poteſt. Beneuolentia vero mihi, omnium in hac Aula, grata: certorum hominum etiam iucunda: ſed tua ſanè inprimis optata mihi contingit: cuius humanitatem tantam eſſe erga me ſæpè expertus ſum, vt nemo ſit de quo vel mihi, vel meis, plus polliceri queam. Et, cum multa vincula ſtudii & amoris, nos inter nos coniungũt, nullũ puto, aut reipſa firmius, aut vtriq; noſtrûm optatius eſſe, eo fauore & gratia, qua optimus & humaniſſimus Præſul, vtrumq; noſtrûm, ſibi tot meritis arctiſſimè deuinxit & obligauit. Itaque, ſi forma, ſine malis illecebris: ſi diuitiæ, ſine curis: ſi dignitas, ſine periculis: ſi doctrina, cum maximo vſu: ſi amicitia, cum pari ſtudio, tibi probanda fuerit: hoc meum (ſpero) conſilium, tibi offerendi hunc librum, minime repræhendes. Deus optimus maximus, & te diutiſſimè incolumem ſeruet, & vtrumque noſtrûm,

vtriusque voti quamprimùm compotem faciat. Vale.

D. FRANCISCO DVARENO.

SAlue plurimùm doctissime, humanissime, amabilissime Francisce Duarene: Hanc te ignoti hominis nouam affandi rationem, ratio & meriti tui, & officii mei, meritò postulare videtur. Doctrina enim tua quàm sit eximia, frequenter ex libris tuis editis cognoui: humanitatem verò erga omnes, atq; singularem in me seorsim amorem, ex sermone ornatissimi viri Thomæ M. tui studiosissimi, & mei etiam amantis, sæpè quidem, magnaque semper mea cum voluptate intellexi. Te igitur, de hac tua singulari doctrina, humanitate, & beneuolentia mi optatissime Francisce Duarene, & imperitus ego si non suspicerem, & inhumanus si non colerem, & peringratus si non redamarem, iure videri debeam. Sed doctrinæ tuæ deinceps, vt statuo, memoriam, & tecum sæpè crebris mittendis literis, & mecum quotidiè tuis perlegendis libris, iucundam atque fructuosam vsurpabo. Humanitatem verò tuam, mutuo ego libenter subsequar studio, atque grata voluntate: semper laborabo, vt cum tui instituti consuetudinem tantopere laudem, tui etiam exempli

empli imitationem à me alienam esse non putem. In amore autem, quantus tu cunque fueris, tibi non concedam, vt tu me plus diligas quam ego te amem: nam, quamuis ipse tibi partes in amãdo sumpseris priores, ego tamen vendicabo iustiores, cùm tu opinione, ego iudicio ad hunc amorem accessi. Tu enim vnius epistolæ satis incultæ lectione, vniusque hominis, amici admodum quidem, amantis nimiùm fortasse sermone, te ad hominem ignotum atque obscurum diligendum tradidisti: ego non ex literis priuatim scriptis, sed ex libris publicè editis, neque ex vnius amici erga te studio, sed ex vniuersæ doctorum hominum nationis de te iudicio, ad te amandum meipse dedi, adeò vt amor meus certus, tuus cæcus esse videatur. Cæcum tamen tuũ amorem & nunc esse libenter fero & in posterum sic permanere admodũ cupio, ne si oculos recipiat, me deserat, alioque auolare velit. Verùm, vt ingenuè fateor, & Ioannis Sturmii facto, & Thomæ M. sermone plurimùm atque libenter debeo, quorum operâ effectũ est, vt tu de me non vulgariter existimes. Nullius enim rei quæstum maioris facio, quàm doctorum hominũ amicitiæ præsertim, cùm ea aut virtutis opinione, aut literarũ ergô tota suscipi, nõ præsenti adulationis aucupio, non sordida lucri spe, vllo mo-

dioinst tui videatur. Amaui diu, vidi nunquam Ioannem Sturmium: sed cùm eum Platonis, Aristotelis, & Ciceronis doctrina ita excultum esse perspicerem, vt pauci admodum in hiis nostris ne temporibus quidem lõgè antè superioribus mea certè opinione, cum eo conferri possint, illius amore non calêre solùm, sed exardescere cœpi. Eadem ratio, easdem faces mihi admouet quibus incendor, vt te persimili modo amem; quem meum erga te animum, mi optatissime Francisce Duarene, si tibi gratum esse, ex literis tuis intelligam, certè vel cum nostro Thoma M. contendam, vt in omni mutuæ beneuolentiæ ratione atq; officiorum genere, licèt me cõmodandi facultate vincat, gratificandi tamen voluntate, nunquã superaturus sit. Et tamen, cum gratiore homine, aut tibi, vt sæpè ex eius sermone intelligo: aut mihi, vt indies ex eius humanitate sentio; aut cuiuis, vt quotidiè ex consentiente hominum de illo voce excipio: contẽdere in vllo humanitatis certamine non queo. Et quantum amandus est de hac humanitate, tantum certè congratulandũ est ei, quòd ad illius tam gratam naturam, tam digna accesserit fortuna: cum ei, ad benignè faciendum omnibus, non voluntas solùm parata atque proposita, sed facultas etiam, & opportuna & ampla tribuatur. Ast ego non

rectè

rectè quidem, qui fortunæ & communi felicitati tribuo quæ virtutis præmia, & prudentiæ munera & sunt, & existimari debent. Et quia hæc clarissimi viri recordatio, mentem scio vtriusq; nostrûm & meam in scribendo, & tuam in legendo magna suauitate perfundit, non sedes solùm, ad quas peruenit, sed gradus ipsos, per quos ascendit, breuiter designabo. Cũ summa rerum iure hæreditario, illustrissimæ principi nostræ Mariæ veniret, (vt in exordio, cuiusq; principis apud nos de more fit) lustratio ratioq; habita est externorum hominũ, quorum tantus huc confluxerat numerus, vt hiis passim vrbs Londini redundaret, Thomæ M. impositum fuit hoc munus decernendi, quinam ciuitate & patria nostra donandi, & qui ad suos amandãdi essent. Hoc tempore fui, sæpè vnà cum M. cùm ille frequenter atque suauiter arridens ad me, Aschame, inquit, multi Galli hodiè multum debent Duareno nostro: nihil enim prius mihi existit in hoc munere obeundo, quàm beneuolentiam quam Duareno absenti debeo, hominibus Gallicis repræsentare, vt vel hoc modo summi amici iucũdissimam memoriam suauitèr vsurparem. In hoc munere, tam moderate, cum summa fide: & tam circumspectè cum maxima diligentia se gessit, vt hæc parua initia, maiora statim

dio inst tui videatur. Amaui diu, vidi nunquam Ioannem Sturmium: sed cùm eum Platonis, Aristotelis, & Ciceronis doctrina ita excultum esse perspicerem, vt pauci admodum in hiis nostris ne temporibus quidem lõgè antè superioribus mea certè opinione, cum eo conferri possint, illius amore non calêre solùm, sed exardescere cœpi. Eadem ratio, easdem faces mihi admouet quibus incendor, vt te persimili modo amem; quem meum erga te animum, mi optatissime Francisce Duarene, si tibi gratum esse, ex literis tuis intelligam, certè vel cum nostro Thoma M. contendam, vt in omni mutuæ beneuolentiæ ratione atq; officiorum genere, licèt me cõmodandi facultate vincat, gratificandi tamen voluntate, nunquã superaturus sit. Et tamen, cum gratiore homine, aut tibi, vt sæpè ex eius sermone intelligo: aut mihi, vt indies ex eius humanitate sentio; aut cuiuis, vt quotidiè ex consentiente hominum de illo voce excipio: contẽdere in vllo humanitatis certamine non queo. Et quantum amandus est de hac humanitate, tantum certè congratulandũ est ei, quòd ad illius tam gratam naturam, tam digna accesserit fortuna: cum ei, ad benignè faciendum omnibus, non voluntas solùm parata atque proposita, sed facultas etiam, & opportuna & ampla tribuatur. Ast ego non
rectè

rectè quidem, qui fortunæ & communi felicitati tribuo quæ virtutis præmia, & prudentiæ munera & sunt, & existimari debent. Et quia hæc clarissimi viri recordatio, mentem scio vtriusq; nostrûm & meam in scribendo, & tuam in legendo magna suauitate perfundit, non sedes solùm, ad quas peruenit, sed gradus ipsos, per quos ascendit, breuiter designabo. Cū summa rerum iure hæreditario, illustrissimæ principi nostræ Mariæ veniret, (vt in exordio, cuiusq; principis apud nos de more fit) lustratio ratioq; habita est externorum hominū, quorum tantus huc confluxerat numerus, vt hiis passim vrbs Londini redundaret, Thomæ M. impositum fuit hoc munus decernendi, quinam ciuitate & patria nostra donandi, & qui ad suos amandādi essent. Hoc tempore fui, sæpè vnà cum M. cùm ille frequenter atque suauiter arridens ad me, Aschame, inquit, multi Galli hodiè multum debent Duareno nostro: nihil enim prius mihi existit in hoc munere obeundo, quàm beneuolentiam quam Duareno absenti debeo, hominibus Gallicis repræsentare, vt vel hoc modo summi amici iucūdissimam memoriam suauitèr vsurparem. In hoc munere, tam moderate, cum summa fide: & tam circumspectè cum maxima diligentia se gessit, vt hæc parua initia, maiora statim

consequuta sint: nam paulò post, propter iuris insignem & suam singularem prudentiam, cooptatus est in numerum τῶν προέδρων, qui vnà cum summo Angliæ Cancellario, maximas hominum controuersias cognoscunt, & decîdunt. Vbi illius, & doctrinæ præstantia, & rerum vsus, & ingenii moderatio, primo tempore, tam perspecta probataque fuit prudentissimo præsuli D. Stephano Win. summo Angliæ Cancellario, vt non solum in communi illo iudicio, sed in suo etiam priuato domicilio, ad res maximas, & maturè explicandas, & feliciter expediendas, eius solius ferè opera vti consueuerit. Propter hoc munus, ab eo tam fideliter gestum, & prudenter moderateq; perfunctum, tanta iam de eo excitata est, cùm optimæ Principis nostræ existimatio, tũ prudentissimi Consilii iudicium, tum vniuersi Populi expectatio, vt ex hiis gradibus, in quibus sua virtus & doctrina, aliorumq; iudicium atque prudentia eum collocauit, creberrimus iam sermo sit, illum breui ad aliam deinceps atque aliam dignitatis sedem, cum maxima omnium voluntate atque congratulatione aspiraturum. Imò, ego in hac præsenti iam sum spe, vt antequam istæ ad te perueniant literæ, ad maiora Reipub. munera peruenturus sit M. noster, adeò vt noua amici dignitas,

gnitas, nouam mihi ad te ſcribendi oportunitatem, & commodè, & breui oblatura ſit. Sed ecce, dulcis hæc amici memoria, ita me mei immemorem facit, vt nec tui rationem habere, nec epiſtolæ modum tenere, tibi videri poſſim: & te quidem ita de hoc meo facto exiſtimare credā, niſi longitudo tuarum literarum hanc nimis inuerecundam meam ſcribendi prolixitatem excuſauerit. Vale.

D. GVL. PETREES, REGIÆ MAIESTATIS SECRETARIO *Primario: De Oſorio.*

PRæclara res eſt, vel nobilibus naſci parētibus vel vetuſtis inſeri familiis, Clariſſime vir: qui verò, vnà cum iſtis bonis, rerum abundātiam, & præſtantem animi indolem ſecum attulerit, vt non naturæ ſolum exornetur muneribus, ſed fortunæ etiam cōmuniatur præſidiis, habet hic quidem ad excelſum dignitatis locum, inſignem ſibi patefactum aditum. Sed cum hæ commoditates omnes, ad maiorum plerumque referantur, vel laudem, ſi erant probi: vel laborem, ſi erant diuites: faciunt illi certè multò prudētiùs, qui nō iſtis alienis ſolum nituntur gradibus, ſed doctrina creſcere ad laudem, & virtute ſurgere ad gloriam, ac ſuis pedibus, non ſuorum veſtigiis, ad dignitatis faſti-

gium peruenire elaborāt. Hanc verò rectissimam veræ nobilitatis viam, cum tu, Clarissime vir, ducibus quidem virtute ac doctrinâ, comitibus etiam naturâ ac fortunâ, & prudentèr ingressus, & feliciter sequutus sis, hunc librum tibi, *De Nobilitate Ciuili Christiana*, offerendum esse duxi. Authorem huius operis, tibi propter materiē, valdè gratum: & propter tractationem, periucundum fore existimaui; ea enim scribit, quæ tu facis: & eo modo scribit, quo tu excellis: vt idem vtriusque vestrûm consilium, illius in scribendo hoc opere, tuum, in instituenda vita fuisse videatur. Nam hic liber, non cogitationes solùm, & mentis tuę consilia, sed actiones etiam, & vitæ instituta adeoq; teipsum tibi, tanquam aliquod illustre speculum, ostendet & demonstrabit. Videbis etiam quàm commodum semper omni populo fuerit, vt vel principis sese subiiciant imperio, vel vt prudentum tradant se gubernationi atq; consilio: quam contra non formidinem solùm & periculum, sed vastitatem etiam & exitium, vulgi furores & Catilinarum libidines, omnibus & Regnis & Rebuspublicis minitantur, prudentèr, fusè, partitè, & diserte narrat. Plebis enim amentiam, & eorum mores atq; consuetudinem, qui magis noti sunt propter scelera, quam Nobiles propter virtutem: quiq; patriæ suæ, faciem

faciem sæpè libertatis ostentant, sed faces semper furorum, ac licentiam scelerum intentant, stylo suo acriter pungit, & exagitat. Præterea Rerumpublicarum, & crebras confusiones propter iniustitiam: & subitas conuersiones, propter impietatem: & lætas ac longas felicitates, propter humani diuinique iuris conseruationem; infinitasque alias permemorabiles res, in quibus prudentiæ tuæ consilia, cogitationes, & curæ quotidianæ excubant, & exercentur, in hoc opere persequitur: vt hic liber tibi non iucundus solùm ad legendum, sed optatus etiam ad vsum (spero) futurus sit. In tractanda verò hac tam præclara materia, eam eloquentiæ facultatem & vim adhibet, qua nemo (mea certe opinione) post illa Augusti Cæsaris tempora, aut puriore, aut præstantiore vsus est. Est enim in verbis deligendis tam peritus; in sententiis concinnandis tam politus, ita proprietate castus, ita perspicuitate illustris, ita aptus & verecundus in translatis, ita frequens & felix in contrariis, suauis vbique sine fastidio, grauis semper sine molestia: sic fluens vt nunquam redundet, sic sonans vt nunquam perstrepat: sic plenus vt nunquam turgescat: sic omnibus perfectus numeris, vt nec addi ei aliquid, nec demi quicquam, mea opinione, possit. Imò, tàm

præſtans artifex eſt, vt nec Italia in Sadoleto, nec Gallia in Longolio, nec Germania in Ioanne Sturmio plus, quàm nunc Hiſpania in Oſorio gloriari poſſit. Quod eloquentiæ flumen, eò ſalubrius exiſtit, quia illud totum non ad inanes & aniles rerum leuitates, ac vagantes hominum opiniones redundat & excurrit: ſed vniuerſum, ad veram Chriſti gloriam prædicandam, & certiſſimam animi immortalitatẽ propugnãdam emanat & placidè fluit. Et hæc authoris eloquentiæ conſiliique vera laus, quanquàm per ſingulos libros, æquabiliter fuſa, ſic in extremo tamen, quem contra Nicolaum Machiauellum Florentinum, ſeorſim ſcripſit, potiſſimum enitet & elucet: Machiauellus enim magno ſemper ingenio, ſed non ſano ſæpe conſilio, Chriſti Optimi Maximi religionem, & improbè eleuare, & impiè etiam irridere, multis bonis viris viſus eſt. Hic igitur Oſorius tibi, propter libri iſtius materiem gratus: propter eloquentiam, iucundus: propter inſtitutum etiam, valdè pius videbitur: qui ſeſe, ipſa re, grauẽ philoſophũ tractatione, diſertũ oratorem: religionis ſtudio, verum Chriſtianũ eſſe omnino declarat. Et hoc porro nomine, optatus tibi ac percharus eſſe debet, qui non tã monumenta ingenii ſui quàm ornamenta virtutis tuæ: nec tã laudẽ illius

elo-

eloquentiæ, quàm commendationem tuæ prudentiæ, continere & declarare videatur. Et hæc de te, & Osorio. De me verò nihil aliud, nisi quòd, dùm mea vniuersa spes, tua vnius bonitate mihi sese & humanitèr offerente, & suauiter pollicente nitatur, iussi hunc librum, vt sese in conspectum tuum nunquam intruderet, sed aliquando offerret, vt esset apud te non flagitator importunus, sed pro me meisque rebus postulator pudens atque verecundus. Si verò nunc, prudentissime vir, vel propter Dom. Wintoniensis, Dom. Pagetti, & D. Cecilli de me iudicium: vel propter aliquod mediocris meæ facultatis specimen, quod ex literis meis, vel priuatim ad te, & publice, pro Regia Maiestate, scriptis, iam potes capere, ita de me existimas, vt non omninò ineptus videri possim, qui hoc munus literas scribendi subeam, me ad tuam voluntatem, nutum, vsum, & omnem etiam oportunitatem libentèr reseruabo. Sin verò alitèr sentias, in locum nonnulli beneficii deputarem, si illud mihi significare velis, me nimis diù hîc & spem alam & tempus teram, & ipse mihi alieno ære grauior, meisq; diurno sumptu molestior indies fiam: nã viginti libris non Aulicam sed Londinensem vitam quomodo integrum annum, sustinere queã, cùm hii primi quinq; superiores mẽses, mi-

præstans artifex est, vt nec Italia in Sadoleto, nec Gallia in Longolio, nec Germania in Ioanne Sturmio plus, quàm nunc Hispania in Osorio gloriari possit. Quod eloquentiæ flumen, eò salubrius existit, quia illud totum non ad inanes & aniles rerum leuitates, ac vagantes hominum opiniones redundat & excurrit: sed vniuersum, ad veram Christi gloriam prædicandam, & certissimam animi immortalitatē propugnādam emanat & placidè fluit. Et hæc authoris eloquentiæ consiliique vera laus, quanquàm per singulos libros, æquabiliter fusa, sic in extremo tamen, quem contra Nicolaum Machiauellum Florentinum, seorsim scripsit, potissimum enitet & elucet: Machiauellus enim magno semper ingenio, sed non sano sæpe consilio, Christi Optimi Maximi religionem, & improbè eleuare, & impiè etiam irridere, multis bonis viris visus est. Hic igitur Osorius tibi, propter libri istius materiem gratus: propter eloquentiam, iucundus: propter institutum etiam, valdè pius videbitur: qui sese, ipsa re, grauē philosophū tractatione, disertū oratorem: religionis studio, verum Christianū esse omnino declarat. Et hoc porro nomine, optatus tibi ac percharus esse debet, qui non tā monumenta ingenii sui quàm ornamenta virtutis tuæ: nec tā laudē illius

elo-

eloquentiæ, quàm commendationem tuæ prudentiæ, continere & declarare videatur. Et hæc de te, & Osorio. De me verò nihil aliud, nisi quòd, dùm mea vniuersa spes, tua vnius bonitate mihi sese & humanitèr offerente, & suauiter pollicente nitatur, iussi hunc librum, vt sese in conspectum tuum nunquam intruderet, sed aliquando offerret, vt esset apud te non flagitator importunus, sed pro me meisque rebus postulator pudens atque verecundus. Si verò nunc, prudentissime vir, vel propter Dom. Wintoniensis, Dom. Pagetti, & D. Cecilli de me iudicium: vel propter aliquod mediocris meæ facultatis specimen, quod ex literis meis, vel priuatim ad te, & publice, pro Regia Maiestate, scriptis, iam potes capere, ita de me existimas, vt non omninò ineptus videri possim, qui hoc munus literas scribendi subeam, me ad tuam voluntatem, nutum, vsum, & omnem etiam oportunitatem libentèr reseruabo. Sin verò alitèr sentias, in locum nonnulli beneficii deputarem, si illud mihi significare velis, me nimis diù hîc & spem alam & tempus teram, & ipse mihi alieno ære grauior, meisq; diurno sumptu molestior indies fiam: nã viginti libris non Aulicam sed Londinensem vitam quomodo integrum annum, sustinere queã, cùm hii primi quinq; superiores mẽses, mi-

hi parcè restrictéque viuenti, quadraginta libras exhauserint? Itaque, quemadmodum omninò statui, perpetuam tuæ in me beneuolentiæ memoriam, perpetuo meo studio, officio, & obseruantia colere atque conseruare: sic, nonnihil etiam vereor, ne vsum beneficentiæ tuæ, hîc diu expectare non queã. Sed hæc cura minùs me sollicitat & perturbat, cùm cogito, te eum esse, cui ego, fortunæque meæ, non tam traditi sumus necessariò, quàm à te libenter suscepti & beneuolè; cuius bonitati, omnium consensu & voce, tantum tribuendum est, vt minimè ego dubitem, quin, quarum rerum spe, ad Aulicam vitam me vocasti, harum maturo fructu alacriorem me ad omne officium facturus sis: vt quantam nunc voluptatem, ex hac tua peroptata mihi beneuolentia capio, tãtam breui commoditatem, ex aliquo tuo grato beneficio, percepturus sim. Quam meam spem, in te hoc modo repositam expedies, pro mea verò voluntate, cum qua mora volueris: pro mea autem necessitate, cum qua maturitate potueris: pro tua denique prudentia & bonitate, cum qua oportunitate commodissimè esse duxeris. Vale.

DOCTO-

DOCTORI COLO, CVM OFFERRET ILLI ARISTÆAM DE *Settanta Due interpreti*.

TAntum ego & communi omnium voci de tua eruditione, & frequenti Moryſini ſermone, de tua humanitate ſemper tribui, doctiſſime humaniſſimeque Cole, vt imperitus ipſe ſi te non colerem, & inhumanus ſi non amarem, meritò videri poſſim. Hunc igitur libellum, mei in te ſtudii, & ſi vis, ſique id aliquid eſſet, iudicii etiam teſtem, tibi libẽter offero. Hic author, quia & tempore priſcus, & lingua Græcus, & vſu rarus, & inſtituto pius, & conſilio prudens exiſtit, gratus tibi & acceptus, atque etiam propter ipſam linguam, in quam nunc feliciſſimè verſus eſt, iucundus, ſpero, futurus ſit. Hoc itaque munus, pro mea quidem in te voluntate ſanè puſillum, reipſa tamen aliquid, ſi grato animo acceperis, te mihi pergratam rem feciſſe exiſtimabo. Vale.

D. WINTONIENSI.

OBitus Eduardi optimi noſtri Principis, vitalis quidem illi, luctuoſus verò mihi, & meis rebus perquàm calamitoſus extitit, optime Præſul: itaque cùm mens mea mæroribus confecta, & fortunæ meæ curis, inopia, & ſolitudine valdè implicitæ impe-

ditæque fuissent, non lætus ego, sed totus gemens, literas illas meas superiores Anglicè scriptas, minime lautas, sed omninò lugubres, tibi offerebã. At verò, cùm eas ipsas literas sermone barbaras, scriptione incultas: prolixitate molestas importuneque pertaces, tanta humanitate, non solum ipse legeris, sed aliis etiam ostenderis: committere certè nolui, quin & mentem & manum excitarem, vt has nouas lætiori loquentes voce, & lautiori indutas veste, atque gratiori institutas ratione, amplitudini tuæ offerrem. Intellexi enim & ex aliorum sermone, & ex tuo, non solùm vultu, sed voce excepi, quàm præsenti retines memoria mea postulata: & quàm parata animi propensione eniteris, vt me tibi beneficio tuo, in perpetuum deuincias: à quo nexu tantum abest, vt me expedire velim, vt in ea ipsa vincula arctiùs me induere, omni labore, fide, officio, & obseruantia mea, perpetuò laboraturus sim. Et quanquàm spes, quam ipse mihi proponis, est admodum certa, & res quam ego abs te expecto, erit valdè grata: voluntas tamen illa tua, qua me tuendum suscipis, est omnium longe iucundissima, & tua voluntas ita expedita est, & sic quasi euolat, ad bene de me merendum, vt non solùm eam vllo meo officio consequendi spem, sed omnem etiam agendi gratias præ-
curtat

currat facultatem. Et cum gratiæ, quas tibi merito tuo referrem, sunt penitus, nullæ: & quas tibi iam habeo maximas, sunt illæ etiam meo iudicio non satis dignæ: ego itaque superatus re, & derelictus destitutusque oratione, subsequar te certè, grata vicissim voluntate, parato officio, & perpetua obseruantia, & sic conferam me ad eã, quæ sola mihi reliqua est, compensandi rationem. Non est enim mos horum temporum, clarissime Præsul, non consuetudo horum hominum, non tui loci & dignitatis, sic descẽdere ad vsum hominis mei ordinis, imò, non est humanitatis, sed diuinæ cuiusdam naturæ, tam esse paratum, sic esse propositum ad benefaciendum omnibus, atque id etiam hiis, qui nullo suo officio, nec anteà promereri, nec postea compensare tantam tuam beneuolentiam queãt, & hoc est quod anteà dixi, mihi proponi quidem certam spem, & expectari etiam gratam rem, sed tuam mihi beneuolentiam, longè omnium esse iucundissimam: qua tua beneuolentia, nullum ne tuum beneficium quidem, mihi gratius esse poterit. Et tamen, vt ingenue dicam non tantum gratulor mihi, illam ipsam tuam beneuolentiam: quantum tibi gratulor, eam tam præclaram benefaciendi naturam: imò, non tibi tantum talem tuam naturam, quantum vniuersæ An-

gliæ suam felicitatem, cuius rem, & publicam in Curia, & literariam in Academia, multis iam iactatam modis, variisque diù afflictatam miseriis, consilio nunc tuo iuuare, eruditione promouere, tantopere conaris. Quarum rerum salus, tibi tam semper chara extitit, vt iam spes tandem affulserit singularem nunc singulorum hominum tranquillitatem, exoptatum studiorum otium, totiusque Reipublicæ quietem, in tua iam plurimum vnius authoritate, in excellenti doctrina, in ardenti erga Rempublicam studio, deinceps conquietura. Et cum prudentissima nostra Princeps maximam harum rerum curam, tuæ vnius æquitati, doctrinæ, & moderationi credidit atq; commendauit, nonnihil & ipse lætor, tria illa mea postulata illiusmodi esse, vt siue otium studendi in Academia, siue negotium scribendi in Aula, siue laborem peregrinādi in aliena regione, tua gratia & fauore sortitus fuero, omnes vitæ meæ rationes, hiis rebus omninò inseruire necesse sit, quibus tua prudentia præest & moderatur. Nam si otium in Academia, ex sententia mihi concessum fuerit, quod inprimis opto: omne illud dico otium, non languidum ad inertiam, sed quietum ad alacritatē, eò incumbet & excubabit, vt linguæ & literæ nonnīhil ad meū fructum, plus ad aliorum vsum,

potis-

potiſſimùm verò ad tuam laudem, quarum tu iam antiſtes es, colantur & eſſloreſcant. Sin peregrè profectus fuero, vt vel mea excolam ſtudia, vel Reip. inſeruiam commodo, bone Deus! quàm frequentes & prolixas literas, & ſingulis aptas perſonis, & accommodatas rebus, & diſtinctas locis, & partitas temporibus, atque omnia quidem fideliter, cautè & conſideratè ad te perſcriberem? Vſum etiam nonnullum ad hanc functionem adferre poſſim: nam iſtius proximi ſuperioris, & Mauritani motus, & belli Gallici temporibus interfui: in quibus magnę amicitiarum, diſſidiorum, prædationum, bellorum confuſiones, mutabiles fortunæ varietates, & grauiſſimæ rerum conuerſiones extiterunt: vbi præſens oculis meis perſpexi quantum ἀχαριστία, dolus, perfidia, libido, ambitio, θεομαχία, has miſeras res humanas permiſcent & conturbant. Fuit tempus, eruditiſſime Præſul, cùm talem materiam, etiam ſcriptione perpolire mediocriter potuiſſem; ſed ſuccus ille purioris dictionis, quem ego hauſi ex optimis vtriuſque linguæ fontibus, totus iam exaruit, & ſtylus, quem mihi ſpes ſita in Eduardo Principe, nonnihil exacuerat, nunc vehementer eſt retuſus, ad duram hanc meam, & abſque te fuiſſet, plane deſperatam inopiam & ſolitudinem. At verò ſi aura fa-

uoris & gratiæ tuæ mihi (quomodo ſpero) aſpirauerit, ita me excitabo ad nouam ſpem, & comparabo me ad tuum ſenſum & voluntatem, vt te nunquam pœniteat, hoc in me contuliſſe beneficium. Tertium meum poſtulatum fuit, vt ad literas Regiæ Maieſtatis Latinè conſcribendas ponar, quod mihi officium Eduardus Rex benignè aſſignauit. Ad hoc munus, quanquam non ingenium, nec artem, fidem tamen & diligentiam, atque nonnullum cùm mentis tùm manus vſum, in ſimili perfunctione, adferre poſſum: quæ tres res, ductu prudentiæ tuæ gubernatæ, ſi non laudem mereri, repræhenſionem certè vitare queunt. Itaque, ſiue in Academia, ſiue in Aula, ſiue peregrè viuam, ego & omnes vitæ meæ rationes, in tua voluntate, gratia, & authoritate conquieſcemus. Et has tres meas petitiones, hiis etiam literis repetere ſtatui, ne nō te rerum mearum, ſed me meiipſius immemorē eſſe oſtenderē. Hoc ab humanitate tua ſummoperè impetrare cupio, vt ſciā Academiæ ne, Aulæ, an peregrinationi me deſtinare velis, vt ad illud vitæ inſtitutum me intereà comparē: hos enim mihi nimis graues ſumptus vereor vt diù poſſim ſuſtinere. Penſionem, quam mihi liberaliter conceſſit Henricus 8. & benignè confirmauit Eduardus 6. nullo modo dubito, quin confirmatura

etiam

etiam ſit nobiliſſima noſtra Regina: itaque literas, quas Patentes vocant, mihi ſcribi curaui, vt gratia & authoritate tua manu & ſigillo Regiæ Maieſtatis de more obſignentur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, te Reipublicæ, Literariæ, & Chriſtianæ æquiſſimum Iudicem, optimum Patronum, & doctiſſimum Præſulem diutiſſimè ſeruet incolumen. Octobris 8. Anno Dom. 1553.

EIDEM, CVM OFFERRET ILLI APOLLINARIVM.

EST hic libellus, ornatiſſime Præſul, re, tractatione, linguâ, inſignis: Pſalmos enim Dauidis, eleganti carmine, eoque Græco, complectitur: res & lingua, altera vitæ, altera ſtudio tuo aptiſſimè conuenit. Et quàm carmine etiam delectaris, ſcio, cuius condendi vſu, & ſuauitate, illam ſuperiorum temporum, & caſtigare inſolentiam, & lenire acerbitatem frequenter conſueuiſti. Hinc certã facio coniecturam, ſimillimorum hominũ ſimile eſſe ſtudiũ, conſiliũ par, & eundem ferè ſenſum. Te optime Præſul, intelligo, & Socratẽ Athenienſem; vterque enim potenti calumnia, ſimili de cauſa, ingratæ iuſſu patriæ, in cuſtodiã dat⁹ eſt: vtrique veſtrûm in tanta & hominum iniuria & temporum triſtitia, & indignitate

loci, æqualis fortitudo, constantia par, ideòque etiam relaxandæ mentis propositum fuit consilium: vterque enim illigando, in carmen, ille (vt Plato narrat) fabellas Æsopi, tu grandiores res, sollicitam carceris solitudinem, soliti estis mitigare. Reliqua omnia paria, dispar fuit sola fortuna: vitam enim illi ingrata abstulit patria, tibi penè restituit gratiosissima Regina. Carmen igitur, quod tum in deposita iacentique fortunâ fuit gratum, in erecta iam atque florenti erit periucundum: tale præsertim carmen, quod rem optimam, optima explicatam lingua continet. Nonnus in faciliori versatus materia, versu, mea opinione, magis impedito magisq; obscuro vsus est: itaque, hunc libelium tibi offerre volui, vt esset studii atque obseruantiæ meæ aliquis testis, & pro me meisque etiam rebus apud prudentiam tuam, licèt non flagitator importunus, postulator tamen non satis fortasse verecundus. De fortunulis meis constituendis, minùs iam laboro, cùm tu me tuendum tibi susceperis: vereor tamen nonnihil, ne perpetuam potiùs beneuolentiæ tuæ memoriam colere, quàm fructum beneficentiæ tuæ diu expectare queam. Tenuitas enim mea, me iamiam Londini abiget, & officium compellat nūc, breui etiam Cantabrigiam coget, ne exigua, non mea,

sed

ſed temporis transgreſſio facilè mihi eripiat, quod multi anni, longaque ſtudia, & vix & diu collegerant. Et quanquam non dubito, quin ego tuæ authoritatis præſidio munitus, tuæque prudentiæ ductu gubernatus poſſim, licèt non ingenio & facultate, fide tamen, diligentiâ, & taciturnitate, munus illud ſcribendi literas Latinè ſuſtinere, ad eum tamen locum ſolicitus accedo, cum ſic in Aulam Principis ex Schola Biantis prodiero, vt non ſolummodò mea, ſed nonnihil etiam alieni, mecum apportaturus ſim. Sed hæc me cura minùs perturbat, quoties cogito; cuius mea & ſpes bonitate nititur, & res authoritate conſtituetur. Deus, &c.

D. G. PETREES REGIO SECRETARIO.

EX ſermone D. Cecilli cognoui, & ex noſtro inter nos mutuo colloquio perſpexi, Ornatiſſime vir, quàm parata voluntatis inclinatione propendes, vt me tibi, tuo beneficio, in perpetuum deuincias; à quo beneuolentiæ nexu, tantum abeſt, vt me expedire velim; vt in illa ipſa vincula, me arctiùs induere omni diligentia, fide, officio, & obſeruantia mea perpetua, perpetuò laboraturus ſim. Laborabo enim ſedulò, me ſic totum ad tuum ſenſum & voluntatem

comparare, vt nihil exoptem priùs, quàm vt omnes vitæ meæ rationes, in tuo vnius fauore, gratia, & authoritate conquiescere queant. Ad munus verò illud literas Latinè conscribendi, quanquam non ingenium & artem, fidem tamen & diligentiã, & taciturnitatem, atq; nonnullum cùm mentis, tum manus in scribendo vsum, mecum ex Academia in Aulam apportabo. Magnam eloquentiæ vim non consequutus, sed ne sequutus quidem vnquã sum; hoc enim in scribendo consilium, tantum mihi propono vt proprietatem in verbis, vt perspicuitatem in sententiis, semper tuear & conseruem; vt appositè ad singulas personas, vt accommodatè ad quamque rẽ, vt partitè & distinctè cogitata mentis, siue meæ, siue alterius explicare queam. Istæ facultates, per se quidem tenues & exiguæ, prudentiæ tamen tuæ præsidio adiutæ, & consilii tui ductu gubernatæ si non laudem mereri, reprehensionem certè vitare (spero) poterunt. Si tuo satisfecero iudicio, de reliquis meis rebus minus laborabo: inprimis verò sollicitus sum de aliquo loco commodo, vbi res mihi impositas & commendatas, & oportunè curare, & tutò conseruare queam. Ad hanc commoditatem mihi obtinendam, siue inter Aulæ parietes, siue in alicuius Nobilis familia, dũ res meæ meliùs con-

constitutæ fuerint, quodãmodò mihi polliceor gratiam tuam & authoritatẽ: omne enim otium, quod mihi reliquum erit, ab officii mei perfunctione, libentissime ponerem in perlegendo vniuersam vtriusque linguæ histor.ã, & eô libentiùs id facerem, si is meus labor alteri, qui eodem gaudet studio, vsui esse possit. Spero, prudentissime vir, non te propterea minùs benè de me existimare, quòd illas, quas vocant, Præbendas non admodum mihi expetam; satis multi sunt, nimisq; multi, qui ista extraordinaria cuiusuis vtilitatis aucupia, nimis auidè consectãtur. Istorum hominum consiliũ, non ego impedire, nec multùm repræhendere statui, eorundem tamen nec consuetudinẽ sequi, nec numerum in Aula augere, vnquã in animo habui. Neq; tamen sic durus & iniquus mihi ipse sum, vt cõmoditates meas aut negligã, aut aliis tradere velim; sed vehementer lætatus sum, cùm superiore die, in cubiculo tuo, pensionem illam Petri Vanni, & dimidiam præsentem mihi beneuole promiseris, & reliquam etiam integram breui mihi, præclara spe, spoponderis. Sed hanc rem, & reliquas omnes fortunas meas tuę prudentiæ constituendas relinquo: ego verò paratus sum, vt iureiurando de more, fidem meam & obseruantiam astringam. Dominus Iesus prudentiam tuam diutissimè seruet incolumem.

D. PAGETTO.

MIra mihi silendi necessitas imposita fuit in vtraque tua fortuna, honoratissime D. cùm nec in spoliata, dolorem meum ostendere, sine offensione; nec in recuperata, gratulatione vti, sine adulandi suspicione, potuerim. Gratulandi tandem vicit voluntas, literasque Bruxellis tibi scripsi; quas cum antiqui officii monitu, nouique gaudii impetu parauissem; eas tamen, pudoris suasu, apud me retinui & suppressi; ne non rationem officii, sed ostentationem studii; non beneuolentiam tuam, sed vsum meum: non rectam oportunitatem, sed præsens tempus sequi tibi viderer. Sed, cùm istis proximis superioribus diebus vetera tua in me collocata beneficia, non solùm mihi retenta & conseruata, sed per te etiam, adaucta & conduplicata esse voluisti: atque id, eo modo, vt multo gratior esset beneuolentia tua, propter humanitatem; quàm beneficium tuum propter commoditatem: nolui committere, vt licèt à compensandi facultate sim reuera inops, à gratificandi etiam studio & significatione habear itidem alienus; grauissimus igitur tibi, & nunc cupio videri, & perpetuò volo esse. Sed cum gratias tibi possim referre quidem nullas, agere verò perexiguas; & quas tibi nunc

nunc habeo maximas, & illæ beneficiis tuis impares sint & indignæ: hanc officii partem amicissimis meis, Sturmio & Nannio imponam: qui, vti spero, non minùs ostendent se tibi lætos & gratos, in explicata mea fortuna & constituta, quam anteà erant soliciti pro me, ac fortaßè tibi molesti, in eadem impedita atque dubia. Scribendum mihi quidem est necessariò, illis viris: ac scribam nunc libentèr, non solum propter officium illis debitum, sed propter materiam abs te mihi datam. Illis duobus multū sanè debeo: quorum, ad te scribendi pro me studium, quia sunt amicissimi: & iudicium, quia sunt prudentissimi, plurimi quidem facio: de te verò, non ad te, sed ad illos scribam. Et quāquam soleo libentèr prędicare, te natum esse, fatali quadam prouidentiâ, qui solus velis, solusque soleas rebus meis adesse: tamē, cum nunc tua & D. Cancellarii in me iuuando, cōiuncta sint studia, ego posthàc vestras non separabo laudes: quorum duorum prudentia, humanitate, & moderatione, non mea solum, sed reliquorum ferè omnium, & hominum & rerum salus constituitur. Hoc tempore, hunc librum de Gloria tibi offerre volui, munus tibi valde consentaneum: si enim Gloria nihil aliud est, quam incorrupta rectè iudicantium vox, & consentiens bonorum hominum laus, de excellenti ali-

cuius virtute, & insigni probitate, nō alia res offertur à me in hoc libro, quam omnes homines certatim deferunt ad te suo sermone atque iudicio. In vniuerso tamen choro laudum tuarum, ingenii, doctrinæ, vsus, industriæ, consilii, prudentię, moderationis, abstinentię, morumq; suauitatis facilimę, nulla virtus tua altiùs emicat, quam ea, quæ cum hominis maximè propria sit, humanitas appellatur. Hęc virtus, nomen quidē ab homine, sed officium quidem à Deo sortita est, cuius bonitatem potissimum referre videatur. Et cum te semper perspexi, cùm natura propendêre, tùm voluntate comparatum esse, ad benignè faciendum vniuersis: hanc laudem in te non humanitatis, sed diuinæ cuiusdam naturæ semper esse iudicaui. Cùm tanta igitur in tua & natura voluntas, & authoritate facultas & in istis etiam temporibus, materies benefaciēdi tibi proposita sit: perge, Honoratissime vir quod semper fecisti, perpetuò facere: hoc est, beneficiis iuuare quàm plurimos, & bene promereri de vniuersis. Et cum in hoc laudis cursu, neminem habes, quicum maiore cōtentione certare debes, aut gloriosiore cum victoria superare potes, quam teipsum; age porrò hanc laudis palmam aliis præreptam, teipsum etiam vincēdo ampliorem reddere. Sed quorsum ego hæc? qui non hortantis personam

induc-

induere, sed gratificantis partes suscipere volui: nec monentis consilium, sed collaudantis officium, sequi institui: quanquā mihi semper placuit, dulcissimū illud suauissimi Poëtæ carmen:

Qui monet vt facias, quod iam facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Attamē hoc modo ad te scribere ausus non fuissem, nisi quantum debeam tuæ bonitati, tantum etiam faueam honori tuo & laudi. Et hæc de te, paucis ac parcè. De Osorio verò authore huius libri, sic planè existimo, neminem extitisse, post illa M. T. Ciceronis feliciora tempora, qui puriore & prudentiore oratione, aut maiore eloquentia quicquam scripsit, quàm hic hanc Gloriæ materiam ornauit & perpoliuit: est enim in verbis deligendis tam prudens, & in sententiis concinnandis tam peritus, ita aptus & verecundus in translatis, ita frequens & felix in contrariis, ita proprietate castus, ita perspicuitate illustris, suauis vbiq; sine fastidio, grauis semper sine molestia: sic fluens vt nunquā redundet, sic sonans vt nūquā perstrepat, sic plenus, vt nunquā turgescat: sic omnibus modis perfectus, vt nec addi aliquid, nec demi quicquā ei, mea quidē sententiâ possit. Nec video iā, cur plus aut Italia in Bēbo, & Sadoleto: aut Gallia, in Longolio, & Perionio: aut Germania, in Erasmo, &

Ioanne Sturmio: quàm Lusitania nunc in vno Osorio gloriari possit. Si hanc meam opinionem, inter legendum, iudicio etiam tuo comprobaueris, vehementer gaudebo. Leges enim credo, & libentèr leges hũc Osorii librum, qui non magis monumenta ipsius ingenii atq; doctrinę, quàm ornamẽta virtutis & vitæ tuæ, nec tã laudẽ eloquentiæ illius, quàm commendationem tuæ prudentiæ, continet & declarat. Vale Honoratissime D. & me, vt facis ama atq; tuere. Londini. 14. Nouembris. 1553.

CLARISSIMÆ FOEMINÆ D. CLARKE.

INsignis iste in te, Clarissima fœmina, & virtutis amor, & literarum cultus, cũ tanto ingenio & industria coniunctus, laudem quidem, per se magnam: maiorẽ, quia fœmina es: maximã, quia in Aula viuis, commeretur: aliæ enim solent esse, cum huius sexus occupationes, præter literas, tum huius loci deliciæ præter virtutes. Hanc duplicem laudem tuam, auget etiã geminum illud exemplũ, quod tibi, & proposuisti prudẽter & sequuta es fideliter: quorum alterũ, hæc Aula, alterum tua familia elargita est. Illustriss. intelligo nostram Reginam Mariam, & nobilem illum auum tuum, Thomam Morum, quo viro vno vniuersa Angliæ

glia exteris Gentibus nobilior est habita. Ab hac Principe nostra, industriam ad virtutem: ab illo auo tuo, ingenium ad doctrinam: ab vtroque, vtriusque facultatis laudem summam consequuta es. Cum tu igitur hiis, quos memoraui, ducibus, hunc præclarum virtutis & literarũ cursum tam auspicato ingressa es, vt insignem vtriusque victoriam, virtutis fœmina viris, doctrinæ, Aulica Academicis, videaris præripere: ego certè summa tui admiratione commotus, hiis literis tibi, nõ hortator capessendi noui laboris, sed applausor perfruendæ iam partæ laudis, esse volui. Sed nimis fortasse hæc fidenter ago tàm ignotus, at libenter sanè ad te tam Nobilem: & hoc etiã nomine, valdè confidenter, cum iudicarem ab hoc comitatu tot diuinarum in te virtutum humanitatem abesse non posse. Et hoc consilium meum scribendi ad te, non illud totum ab admiratione tui profectum, sed à mea voluntate nonnihil, & à ratione etiam officii mei plurimũ susceptum est: is enim ego sum, quem ante aliquot annos mater tua Margareta Ropera, fœmina & illo tanto patre, & te tali filia dignissima, ex Academia Cantabrigiensi accersiuit ad se, ad ædes D. Ægidii Alingtoni necessarii vestri, rogauitque vt te, reliquosque suos liberos, Græca Latinaque lingua instituerem: sed

tum ego nullis conditionibus ab Academia diuelli me patiebar. Hanc matris tuæ tum postulati memoriam mihi periucundam, libenter nunc apud te renouo, & eiusdem si non perfectionem, conatum tamē aliquem iam in Aula tibi offerrem, nisi ipsa sic & præstares per te doctrina, & abundares etiam opere, cùm opus est, duorum doctissimorum virorum Coli, & Christophersoni, vt mea opera non indigeas, sin hiis perpetuò præsentibus vti non poteris, me aliquandò voles, & quoties voles, abutêris. Et hoc scribo ad te non propter facultatem vllam quæ in me omnis perexigua est, sed propter voluntatē quæ in me maxima est: & propter oportunitatē, quę mihi iā peroptata data est. Amplissimi enim Præsulis D. Steph. Wint. voluntate, gratia, & authoritate accersitus sum ex Academia, vt illustrissimæ nostræ Reginæ seruiam in Aula, & seruiam in eo loco, vbi eadem ipsa mihi sequenda est viuendi ratio propter officium, quæ à me suscepta fuit in Academia propter studium: munus enim literas, pro Regina Latinè scribendi mihi impositum est: quam prouinciā, si non ingenio & facultate, cum aliqua laude: fide tamen, & diligentia, sine magna repræhensione, spero, sustinebo. Sed dum meam tibi & gratulandi occasionē, & gratificandi voluntatem atq; oportunita-

tem

tem significem, vereor nè importunitate etiam scribēdi, tibi nimius & molestus fiam. Sed admiratione quadam, & amore etiam virtutis tuæ, longiùs prouectus sum, quam institui: Te enim tam insigne, cùm tui sexus, tùm huius Aulæ ornamentum, & imperitus, si non suspicerem, & inhumanus, si nō colerem, videri merito potui. Et propterea, ego hoc nobile institutum tuum veram laudem ex virtutis studio, & literarum cultu adipiscendi, si non ipse opera iuuare, gratulatione tamen prosequi, & applausu incitare volui; sin vero ad id, quod tua sponte, & indole, ad altissimas cogitationes erecta facis: quod exemplo principis & parentis suscipis: quod consilio doctissimorum virorum institutis: mea etiam aut manu aliquando vti velis, ad tuum vsum, voluntatem, & sensum libenter me comparabo. Vale Ornatissima fœmina. Ianu. 15. 1554.

ORNATISSIMO PRÆSVLI, D. STEPH. EPISCOPO WINTONIensi, *Magno Angliæ Cancellario.*

SCribo sæpè quidem, & libentèr semper ad te, amplissime Præsul, timidè tamen & valdè sollicitè hoc facio: ne literæ meæ, si aliquid negotii adferant, permolestæ: sin nihil contineant nō necessariæ, in hoc multiplici negōtiorū publicorum concursu, esse

videantur. Tibi enim, cùm tot ſuſtineas ac tanta negotia ſolus, ſi quantulumcumq; ſcribam, nimius: ſin nulla de re, ineptus facile videri poſſum. Sed quia nimis ſæpè importunus eſſe, quàm nimis valdè ingratus haberi maluerim, hoc tempore certè, nullam rationem potiùs tuorum negotiorum habuiſſe, quàm nullam memoriam tantorum in me beneficiorum retinuiſſe, videri volui: ſcribo tamen hoc tempore nō nihil confidentiùs, quàm ſoleo: quia non negotiorum tuorum turbam augere, ſed dulcem tantùm tuorum in me beneficiorum memoriam repetere ſtatui. Proximis meis ſuperioribus literis, Anglicè ſcriptis, hoc ſum conatus efficere: at veritus ego, ne turbarum vndæ, quibus in ſingulas penè horas obrueris, illas literas abſorpſerint, idē officium iam reſumere volui, ſed nunc paucis ac parcè: & re potiùs, quàm ratione, exigua quidem illa, ſed ad id, quod volo, exquiſita & perappoſita. Superioribus meis literis, me, hoc eſt, mea omnia officia, ſtudia, fidem, & obſeruantiam, ad tuum ſenſum, voluntatem, & nutū, arctiſſimo quaſi nexu alligaui. hiis literis, promiſſi mei, veluti arrham aliquam repræſentare volui: hunc aureum numum intelligo, quem animo quidem grato, omine verò fauſtiſſimo, tibi offero. Altera parte inſculpta eſt, opti-

optima post hominum memoria fœmina, HELENA AVGVSTA: altera parte, dulcissima felicissimæ principis, & felicissimorum temporum vox, SECVRITAS REIPVBLICÆ. ô fœminam orbis imperio dignam! cui nihil tam fuit cordi, nihil tam altè insederat animo, quam SECVRITAS REIPVBLICÆ. Hæc est illa Helena, quæ maximam gloriam ex inuestigatione Crucis, maiorem ex sedatione calamitatū Crucis, quibus Christianum nomen, nimis tam sæuè & crudeliter exercebatur, reportauit. Accipe igitur, doctissime Præsul, & grato animo & fausto omine, hunc numum, non tam illorum temporum insigne monumētum, quàm tuarum rerum, tuorumque & studiorum, & consiliorū in Republica præsens atq; expressum indicium. Hoc monumentum mihi propter materiam, opus, personam, tempus, καὶ τὸ ἔτυμον, diu fuit gratum, charum etiam, cū propter locum vbi inuentum est, tum propter amicum, à quo datum est: & nunc quoque iucundum mihi, & peropportunum propter te, ad quem missum est. Neque hoc munus, credo, quia exiguum est, aspernaberis; sed illius diuini potiùs Poëtæ iudicium, & amplectêris propter humanitatē; & probabis propter doctrinam, qui in omni beneuolentiæ ratione, toties laudat & inculcat ὀλίγον τε φίλον τε.

Superiori anno, Treuerim veni, incidi in Secretarium reuerendissimi Electoris, qui cum mihi anteà, Augustæ, in Aula Cæsaris, multus vsus, & intima familiaritas fuit, multa ab eo tum percontatus sum de Treueri, celebri olim Academia, & nunc ruinosa vrbe, quam cognoueram D. Hieronymi testimonio, qui eò se studendi gratia receperat, nobilitatam esse: multa etiam de Helena & Constantino Magno, quorum in ea vrbe, & corpora condi & vestigia apparere, & monumenta multa & culta & conseruata esse intellexi. Cum singula meis, non auribus solùm, sed oculis etiam exposuisset, ecce, hunc numum aureum promit, mihique dat, quem illius vrbis, illorum principum, eius erga me studii, atque beneuolentiæ gratum μνημόσυνον esse voluit: quare si gratius mihi quicquam suppeteret, tibi, cui gratissimus esse debeo, oblaturus essem. Cùm viderem hunc numum esse fœminæ & Reginæ, & illius, quæ non solùm Crucem Christianis in lucem reuexit, sed securitatem etiam Reipublicæ restituit, illustrissimæ nostræ Reginæ M. cum breuissima epistola offerre in animo habui: quia eadē vtriusque patria, consimilis imperii dignitas, par in vita sanctimonia & æqualis in Republica constituenda voluntas fuit. At hoc consilium, cùm verebar, ne videretur

esse

esse hominis non satis prudentis, sed nimis sese ingerentis, libenter mutaui: & te mihi proposui, cui propter idem studium, eãdem in Rempublicam voluntatem, aptissimum munus esse iudicaui, vt in hoc numulo, dum alterius laudem admiraris, tuam interim recognoscas, quam naturâ, doctrinâ, bonitate & humanitate, omnium bonorum iudicio consequutus es. Sed harum rerũ tacita apud te potiùs meditatione, quàm aperta mea prædicatione, te frui malo. At nimius ego, ad tantum virum, in re præsertim nulla. D. Gulielmus Petrees, te credo breui, vt ait, conuenturus est de me, in Aulico meo officio constituendo: sed quia illa res non magis iam mea est, quàm tua, cuius vnius gratiâ & authoritate, ex otio literario, ad negotia Aulica accersitus sum, spero, eandẽ & tuę voluntatis, & meæ vtilitatis rationem habitum iri, hoc est, tuam bonitatem, nisi perfecta re, rebusq; meis ritè constitutis, nunquã de me bene merendo conquieturam. Hac spe confidentiùs ad Aulam accedo, vbi si mens, aut manus mea rebus tuis inseruire possit, me, meaq; omnia ad tuam voluntatem, sensum & nutum comparabo. Dominus Iesus amplitudinem tuam diutissimè seruet incolumem. Londini Calendis Ianuarii, Anno Domini 1554.

D. SECRETARIO B. CVM OFFERRET ILLI LIBELLVM, QVI *continebat sententias ex Cicerone & Poetis priscis collectas.*

ORnatissime vir, cùm libris multùm delecteris, cumque multos, nec in itinere commodè circumferre, nec in Aula per negotia legere possis; hũc vnum, instar multorum, libentèr tibi mitto. In vnum enim libellum hunc, quicquid prudentis eloquentiæ ex ipso Cicerone colligi; quicquid suauis & sanæ voluptatis, ex optimis Poëtis decerpi potuerat, erudito delectu, & exquisito ordine illigatur. Itaque, si grato animo, hũc libellum, mei in te cultus & obseruantiæ testem, accipias: efficies, vt aliquid aliquandò maius, quod non tantum alieni ingenii, sed laborem meæ etiam industriæ referat, tibi confidenter offeram; è memoria enim mea excidere non potest, quòd prudentia tua de huiusmodi instituto semel mecum egit. Qui meus labor, quia magna ex parte cũ magna laude experientię, moderationis, & fidei tuę singularis, in illustrissimam Principem nostram coniunctus esset, leuis mihi & periucundus foret. Sed de hac re, oportuniùs coràm & sermone. Deus te Principi fidelissimũ consiliarium; mihi optimum Patronum, diutissimè seruet incolumem. Londini. 28. Augusti, 1554.

SCRI-

SCRIPSIT HANC PRO CAPTIVIS ET VINCTIS IN PORTA LVDdensi, *in aduentum Philippi Regis.*

INter tot hodie in hac vrbe præclara spectacula, quæ oculos tuos oblectant: inter tot lætas congratulationes, quæ aures tuas demulcent: ecce vocem & gemitum pauperum, quæ animum tuum, vt speramus etiam commouebunt; vocem quidem lætitiæ, gemitum verò miseriæ. Libentèr enim lætamur omnes propter optatissimum aduentum in hoc regnum tuæ Maiestatis: necessariò autem nos seorsim congemiscimus, ob miseram sortem nostræ infelicitatis: miseri enim nos sumus, & in ipsam (vt vides) inclusi miseriam. Sed quia fortunâ, non scelere miseri, & aliorum magis iniuriâ, quàm nostra culpâ calamitosi sumus, confidenter ad tuæ maiestatis clementiam accedimus quidem minimè, quia non possumus: sed voce & gemitu, & scripto, quod hoc tempore, & hoc in loco solum facere valemus, diuinam tuam & inuocamus clemētiam & imploramus opē & bonitatem. Hic locus, prudentissime princeps, nō sceleratorū carcer, sed miserorū custodia & est, & nominatur: & in hanc custodiam, nos non intrudimur ab aliis, sed ipsi confugimus: & huc confugimus, non metu supplicii, sed spe melioris

fortunæ: fortuna.n. sola nos in hanc miseriã detrusit. Nam ciues sumus Londinenses, qui vitam antè & satis affluẽtem inter nostros & valdè (vt speramus) probatam inter vicinos, traduximus: sed nũc, quod sæpè accidit mercatorum sorti & fortunę, vel crebrâ pecunię nostræ deprauatione, vel variis Gallorum in mari latrociniis, vel tempestatum iactationibus atque naufragiis, vel creditorum valde grauibus vsuris, vel debitorum nimis leui perfidiâ & dolis, in eam miseriam collapsi sumus, eoque tam graui ære alieno obstringimur, vt nisi ab eodem ære, diuina tua ope & bonitate leuemur atq; liberemur, in hiis duris vinculis atq; fœdis carceribus vitam miserrimè simus consumpturi. Et quòd nostra neq; libidine neq; insolentiâ, hoc æs alienũ contraximus: sed aut maris tempestate, aut hostium vi, aut debitorum fraude, in has rerum angustias deuenimus, testes non magis idoneos proferre possumus, quam ipsos creditores nostros: qui cum probe intelligant nos, non studio faciendæ iniuriæ, sed communi quadam mercatorũ sorte atq; infortunio, in hunc locum cõfugisse, memores humanæ conditionis atq; vicissitudinis, ita faciles, itaq; bonos sese nobis præbent, vt cum nos qui triginti numerò hîc sumus, decem millia librarum & eo plus, eis debemus: duobus millibus contenti, quod reliquũ est cõdona-

donaturi sint. Per tuã igitur, optime Princeps, diuinã bonitatem; per hunc tuũ & in hoc regnum, & in hanc vrbem felicissimum ingressum, per spem non tuam vnius, sed vniuersæ Angliæ optatissimæ tuæ sobolis, Maiestatem tuã rogamus, vt hanc nostram tam deploratam, tamque depositam fortunam, amplissima tua munificentiâ benigne consolari, atque in integrum erigere velis. Deus Optimus Maximus ita conuertat mõtem Maiestatis tuæ, ad eam commiserationem nostræ miseriæ, vt cum Dauide verè cantare, primum Deo, proximè tibi possimus, propter vocem & gemitum pauperum, Nunc exurgã dicit Dominus. Spẽ itaq; voti nostri consequendi eandem nobis promittimus quam in hoc fausto die, abs te felicissimo Principe, expectare debem⁹. Deus Maiestati tuæ annorũ & liberorum longissimũ numerum, in hac Britannia florentissimum regnum, in ipso orbe vniuersum imperium benignè & cito concedat feliciter & perpetuo conseruet. E custodia & vinculis. 18. August. 1554.

R. A. RADCLIFFO SVO.

S.P. Amantissime Radcliffe. Rodulphus noster (communis enim iam factus vtriusque est:) in hoc totus hoc toto tempore fuit, vt tuæ voluntati morem gereret & ex-

pectationi etiam satisfaceret. Literarum omnium, iustã formam, aptam coniunctionem, & rectũ ordinem valdè peritè nouit; & vt vim atq; potestatẽ cuiusq; literæ, in quoquo loco, perfecte cognoscere, eũ quotidie exercui; in qua re, eos progressus fecit, vt nõ spes in eo atq; conatus, sed maturitas iam atq; perfectio spectanda sit, si ad hanc facultatem iam cõparatam quotidianus scribẽdi vsus, & sedula manus exercitatio accedat. Cùm enim Rodulphus noster naturâ sit valdè aptus, & institutione etiã satis peritus, vt vsu quoq; fiat admodũ perfectus, vterq;, credo, nostrûm vehementer exoptat: ad quã rem plenè absoluendũ nec tuo voto, nec Rodulphi commodo mea opera vnquã deerit. Cœpi diligere Rodulphũ tua causâ, & nunc suo merito illum valdè amo; est enim in hoc puero ea indoles, pudor, & morum probitas, vt per se quidẽ plurimi faciendus sit; itaque, & tibi talem filium, & illi talem patrẽ ex animo gratulor. Sed hæc fusius coràm, domi tuæ quod fiet, vt spero, circiter Festum Palmarũ, nisi meũ hoc priuatũ consilium impediant publica negotia. Vale amicorũ certissime. Saluta lectissimã coniugẽ, & suauissimũ meum puerũ Hieremiã, & fratrem meũ charissimum Ioannem H. vnà cum reliquo cœtu tuo, inprimis vero integerrimum virum D. hypodidasculum.

DVO-

DVOBVS ORNATISSIMIS IVVENIBVS, FRATRIBVS, AMICIS suis.

VTriusque vestrûm (ornatissimi iuuenes) singulare in me studium, coràm in Italia, ex multis gratis officiis: & posteà in Flandria, ex suauissimis vestris literis, cum summa mea semper voluptate expertus sum: vt anteà vestro amore calere, nunc planè exardescere meritò videri possim. Hanc mihi cum vestra familia institutam necessitudinem, eò pluris facio, quòd ea, non ab vtilitatis spe vlla profecta, sed ab ipso solo humanitatis fonte tota deriuata sit; quam, sic à vobis humaniter susceptam, & nostra deinceps inter nos mutua voluntate, vtrinque & sanctè cultam, & constanter conseruatam, ego semper in posterum, omni amoris officiiq; cumulo, indies magis atque magis augere & amplificare laborabo. De vobis, vestrisque, & nunc in Italia præsentibus studiis, & posteà in Anglia futuris vitæ rationibus, frequentes sermones cum patre vestro, mihi admodum iucundi, illi (vt video) non ingrati, & vobis (vt spero) aliquando commodi, domi apud se sæpius, vt fit, instituuntur. Et cùm ego, reuera semper sum vestræ virtutis fautor, & etiam cupio aliquando esse vestræ dignita-

tis adiutor, ecce quàm opportunè intereà temporis, factus sum vestræ laudis testis atque applausor. Literas, quas Petrus Vannes in vtriusq; vestrûm laudem, amanter sanè & fusè scripsit, ad reuerendissimum Wint. ego ipse, de patris vestri consilio, illi tradidi: illas ipsas mihi recitauit eo vultu, & eo gestu, vt sensus illius erga vos animi, atque adeò iudicii, multis sese modis ostenderet. Multa ille ex me de vobis: multa de vestris studiis, de ætate, forma, statura, de permansione in Italia, de reditu in patriam: multa de vestro præceptore D. Turnbullo diligenter perquisiuit: ad quæ singula, ego sic respondi, quomodo beneuolentia inter nos & vestra, & paterna, & mea, quomodo iudicium meum de vobis, quomodo expectatio vestra de me, quomodo ipsa res atque veritas postulauit. Denique illum nostrum sermonem illustri de vobis conclusit iudicii sui testimonio, dicens, Felicissimorum parentum felicissimi existunt liberi.

Videtis (ornatissimi iuuenes) quàm grauem expectationem sustinetis, non laudis, quam adepti estis; sed dignitatis, ad quam recta viâ contenditis. Ad hanc dignitatem, vos doctrinam & virtutem: parentes, opem & spem: ego, officium & commendationem: reuerendissimus Winton. gratiam & authoritatem simul coniungemus, &c.

PETRO

PETRO NANNIO PRO D. PAGETTO.

S.P. simul mihi traditi fuerunt libri tui, humanissime Petre Nanni & ego proficiscebar Legatus Orator in Brabantiam ad Cæsaream Maiestatē qua nostra subitâ profectione factum est, quò minùs ego tum, libros eos, ea qua cupiebā, oportunitate, iis quibus destinati sunt, tradere ipse atq; cōmendare potuerim. Hoc tamen negotium dedi, offerendi libros tuos, alteri ex primariis secretariis, qui ad id præstandū cum esset non solū facultate valdè idoneus, sed voluntate etiā admodum paratus, subita tamen & repentinâ infirmitate, ita fuit ab omni officio obeūdo exclusus, vt libros tuos non redditos, sed ad reditū meū reseruatos, ipse ad Aulam reuersus offenderem. Quos ego primo quoq; tēpore, ita commodè, itaque ex arbitratu meo & ex sententia tua, iis quib. cupiebas, tradidi atque commendaui, vt non solum eos læto vultu & lubenti animo, sed cum magna tua laude tuæque doctrinæ prædicatione acciperent atq; perlegerent. Itaq; ex hiis laborib. tuis fructum, & laudis in præsenti magnū, & vtilitatis in posterum aliquem, vti spero, percepturus es. Orationem tuam, qua horū superiorum proximorum temporum apud nos turbas

atque tumultus explicas, diligẽter perlegi: consilium tuum valdè laudo, & studium etiam erga hoc regnum vehementer probo. Tractatio ipsa pererudita: sed materies omnis, non ea fide, ad te comportata est quã res ipsa postulat. Itaque, ne hoc tuum laudabile institutum careret ea laude, quæ prima est cuiusuis historiæ, calamum ipse sumam, & certis quibusdam in locis, vt res feret: addam aliquid & immutabo, si tu ita vis; aut si tu non aliter sis per literas mihi significaturus. Quòd te non accerserẽ, cùm proximè essem in Brabantia, non tui obliuione id feci, sed temporis angustiâ, & rerũ, quibus distinebar, magnitudine impediebar; postridiè enim illius diei, quo Bruxellas veni, & salue & vale Cæsari dixi, perendiè in Angliam: nam sic me totum occupabant, cum istic essem, negotia publica, vt nec priuata meorum; nec mea, neque me curandi facultas, vel leuissima, mihi tum temporis concessa fuerit. Sin aliter, nihil mihi certè prius fuisset, aut optatius tuæ doctrinæ & humanitatis plena consuetudine atque familiaritate, de qua sæpè & crebris literis R. Brandisbæus: Multùm & frequenti sermone R. Aschamus libenter prolixeq; mecum egit. Itaque, mi Nanni, tibi de me meoque in te studio atque adeò iudicio polliceri potes, vt quicquid vel tibi gratum, vel tuis rebus

bus cōmodum facere queam, id quando voles, paratissimè semper præstiturus sim. Vale ex Regia, Westm. 10 Febr. 1555.

IOANNI ET DOMINICO VACHANIS, FRATRIBVS, ET MABELLA Vachanæ illorum sorori lectissimæ Virgini, &c.

O Primorum parentum, felicissimi saluete liberi. Non obliuione vestri, non neglectione officii mei factum est, quòd ad literas vestras, multis nominibus mihi periucundas, nihil hactenus responderim. Scribendi materies ampla, mittendi facultas oportuna, & quotidiana mihi oblata fuit: ego solus, hiis commoditatibus defui, non quia alienior à vobis, sed quia offensior nō- nihil omnibus Musis, hiis superiorib. mensibus, mihi ipse esse videbar; sed iam denuò repositus in gratiam cum literis arrepto calamo, præteriti silentii mei, si non culpam omnem excusare, saltem veniam aliquam à vobis impetrare cogitabam. Culpam silentii fateor magnam, iudicii verò sinistri mei de vobis, de quo me sic accusatis, penitùs agnosco nullam: omnes enim mihi Musæ in perpetuum irascantur, si aliter vnquā existimaui de vobis, quàm de rarissimis non solùm nostræ ætatis, sed longè superioris memoriæ, virtutis & literarum exemplis,

Mirabar equidem, & non iniuriâ mirabar, vos puellos in hac ætate, te virginem in hoc ſexu, intra domeſticos parietes, ſub quotidiana matris indulgentia, in præſenti hac vrbana licentia & luxu, aſpirare potuiſſe ad eã literarum præſtantiã, quã ſequuti multi, aſſequuti ſunt admodum pauci, & id quidem, facti iã viri in ipſis Academiis, ſub duriſſima diſciplina, vbi ad literarum impedimentum nihil, ad incrementum omnia comparata eſſe videantur. Fallimini igitur, ſi putatis meam admirationem, ad vllam dubitationem de veſtra facultate, & non ad ſummã commendationem veſtri ingenii, doctrinæ & educationis omnino referri deberi: has enim tres res, ingenii veſtri vim, doctrinæ rationem, & educationis cõſilium, ſupra modum admirabar. Laus ingenii tota, quoniã eo ſic vtimini ad virtutẽ, ſolummodò veſtra eſt: doctrinæ, cum præceptore cõmunis: educationis, ad parentes referenda. Namque, in veſtro ingenio raram indolem, paratiſſimam voluntatem, & conſtantem induſtriam ſemper perſpexi. In præceptore, cùm facultatẽ, cùm diligentiã, tum fidẽ probaui. In parentib. & prudentiam, & bonitatẽ ſummoperè commendaui; prudentiam propter conſilium, quod de vobis ſic educandis ſapientiſſimũ ſuſceperũt: bonitatẽ, ꝓpter ſumptus, quos maxi-

maximos in vobis ita instituendis sustinuerunt, in illis inesse præcipuam animaduerti. Et his rationibus adductus ego, in initio literarum mearum, vos rectè optimorum parentũ felicissimos nominabam liberos, quã felicitatem, & vobis, & vestris parentibus ex animo cõgratulor; vobis, propter summum vsum: parentib. propter maximam lætitiam, quam illi ex vestra eruditione & studiis, vos, ex illorum bonitate atq; consiliis capietis. Itaq;, quod ad me attinet, ero perpetuò, quomodo hactenus semper fui, & libens spectator vestri cursus, assiduus hortator vestræ industriæ & præcipuus commendator atq; admirator vestræ virtutis; imò etiam, pro meo de vobis iudicio, ero quoq; certus expectator illius honoris, quem talis cursus, tãta industria tàm præclara virtus iure commereri videantur. Ex hoc enim cursu tàm prudẽter instituto, ex hac industria tàm constanter collocata, ex hac virtute tàm feliciter iam comparata, nihil certè ego, nisi rarum, nisi amplum expectare queo: id quòd vt contingat, vtque breui etiam contingat, ille (absq; dubio) qui omnis est & fons prudentiæ, & author industriæ, & largitor felicitatis effecturus est: qui vos vestraq; studia indies promoueat, & optimorum vestrorum parẽtum de vobis spem multo læto & longo gaudio perimpleat Deus, &c.

PRO D. IOAN. BVRNO, AD A. FILIVM.

S.P. Acceptæ mihi fuerunt literæ tuæ, Antoni fili, fuissent quoque pergratæ, si illæ gratiæ tuæ, quas pro vestitu agis, paulò maturiùs ad nos venissent: venerunt enim tardiores, quàm nostra de ea re expectatio, aut tui erga nos officii ratio postulabat. Silentium hoc tuum, aliquam solicitudinem mihi, magnum mærorem matri apportauit: quomodo ageres, quid faceres, vbi esses, omninò ignorauimus. cogitabamus ambo, & id quidem anxiè, potuisse fieri, vt tu, vel morbo correptus, vel ab Academia, & studiis absens, vel (quod nos magis commouebat) negligens tuæ erga nos obseruantię, vel obliuiscens nostræ in te beneuolentiæ, nihil ad nos tanto tempore scriberes; ita vt tu culpam, vel officii negligenter à te præteriti, vel pietatis erga nos parentes ingratè violatæ effugere non potueris. Sed bono animo sis. Antoni fili, hanc enim culpam facilimè redimes, facileque, & quādo & quamprimum volueris, in gratiam mecum redieris: si in tuis ad me literis posthac scribendis crebritatem, mittendis oportunitatem, sedulò studueris adhibere. De matre, credo, minus sollicitus es; hanc enim in te offensionem, ante illa deposuit, quàm suscepit: & tu

& tu propterea artem tenes matrem tractādi pro tuo arbitratu; hîc doctior es, quam vellem, aut quàm par est: si negligentiam amas in discendo, permitto tibi, vt negligentior sis, quàm soles in hac discendi arte. Sed iam à delicto, quod commiseris, in neglectione officii, ad certa quædam errata, quæ admiseris, in scriptione literarum accedo. Errores quidem sunt, non delicta, & errores etiam leues; sed quia leues, eo etiam nomine, grauiori animaduersione sunt castigandi: hos enim errores, non ignoratio, sed negligentia peperit. Atque in literarum studiis, ignoratio sæpè, negligentia nunquam excusari potest. Fateri ignorationem, laudem in loco, habet modestiæ. Præ se ferre negligentiam, omnem virtuti aditum, omnem doctrinæ viam obstruit, & sibi ipsi nullum veniæ, nullum excusationi locum relinquit. Sed hos etiam errores tibi condono libenter, Antoni fili, sub pari tamen conditione, quam tibi ego antè in notatione neglecti officii tui perscripsi. Et quia te vnicè amo, & perpetuò amare volo: errores autem omnes, omnemque negligentiam ex animo semper odi: statui, non te virga, sed errores tuos veru quamprimum verberandos atque iugulandos esse. Remitto igitur tibi, primùm, omnes tuas & culpas & errores, deinde ipsas literas tuas, tui ac-

cusatrices, vt illas ipse ex animi tui sententia castiges. In extremis literis tuis, quod scribis, te cum nouis vestibus nouum induere studendi studium, tam mihi gratum optatumque fuit, vt omnes superiores & culpas tuas, & literarum tuarum errores, penitùs ex animo meo eripuerit. Isthuc tene Antoni fili: hac enim via, & ferè sola hac via, summas commoditates tibi, maximas nobis parentibus tuis lætitias cumulabis. Prætereà, si in hoc studiorum cursu constanter progrediaris, potest fieri, vt tu aliquandò non solum illi Academiæ decori, sed patriæ tuæ ornamento esse possis: ad quam rem perficiendá, si tu voluntatem & cõstantiam in studiis adhibueris, nos parentes tui opem & opes nostras, assiduasque ad DEVM preces, cum istis tuis conatibus, libẽter coniungemus. Vides, quam longas literas in hoc concursu publicorum negotiorum ad te scripsi; videre etiã tu debes, vt ego videam, & vt alii intelligãt, has literas, ab amãte parente, ad memorem & obedientem filium peruenisse. DEVS te, vt annis, sic pietate, virtute, & doctrina adaugeat. Ex Regia, ad D. Iacob. 22. Septemb. 1557.

HANC SCRIPSIT PRO F. K. CVIDAM AMICO EXTERO.

S. P. Ornatissime vir, & amice charissime. Literę tuę, Frãcofordię Calẽdis Octobris datæ,

datæ, pergratæ mihi multis nominibus fuerunt: ex hiis enim libenter intellexi, meas literas, & oportunè à te receptas, & tibi valdè quoque acceptas fuisse. Oblectauit me, mirum in modum tàm expressa declaratio, tot tuorum officiorum, singularis studii in me, beneuolentiæ in meos, humanitatis in omnes Anglos, congratulationis de fortuna & priuata mea, & publica, cum Regni, tùm principis nostræ illustrissimæ: vt taceam de gaudio, quod immensum concipis, de pura Christi religione, non solum auspicatò reuirescente, sed felicissimè iam florente, per omnes & Angliæ partes, & Anglorum animos: cuius rei certa passim & explorata iudicia, magis ac magis indies ostendunt sese atque proferunt. Hanc tuā beneuolentiæ, humanitatis, gratulationis, ac pietatis rationem omnem, nos vicissim, memore semper animo mutuo in omni re studio, & omni quo possimus officio, libentèr subsequemur: nam, licèt te de hoc tanto amore tuo valdè amē, istud tamen tibi non concedam, vt quia tu, ac tui & inprimis ornatissimus filius tuus, in isto humanitatis certamine, oportunitate, & tēpore ipso fueritis priores, propterea volūtate, memoria, & gratificādi studio, sitis futuri quoq; superiores: quē animi nostri sensum nō nūc scripturâ, sed iāpridē re declarauissemus, si no-

ſtra facultas, voluntati noſtrę par eſſe potuiſſet. Intereà, dum oportunitas tibi ac tuis gratificandi mihi dabitur, cuius quærendæ nullam non viam ipſe perſequar, grata colam memoriâ, frequenti vſurpabo ſermone, & illuſtriſſimæ noſtræ Principi, captâ ad eam rem iuſtâ occaſione omnes tuas gratas humanitates, eximia in nos & noſtros officia, pia erga Deum, & religionem instituta, plenè fuſeque declarabo. De ſtatu religionis apud nos audiendi, cùm intelligã te percupidum eſſe, in nulla certè re, curæ omnes sereniſſimæ noſtræ Principis magis excubant, quàm vt per hoc Angliæ regnũ, repurgatis primùm in cultu religionis omnibus fœdis erroribus, emendatis deinde in vſu vitæ temporum & morum vitiis, purum illud vnicum Euangelii tandem ſemen in animos noſtrorum hominum perſpergatur, vnde ſalutares Chriſtianæ vitæ fructus, certè & ſolidè effloreſcant. De vicinis noſtris Scotis, quoniam tu tàm libenter commemoras, non inuitus ipſe quoque aliquid de illis ſcribam; id quod, licèt ad audiendum, non ita tibi futurum eſt iucundum, ad te tamen, de præſente iſtic motu, certiorem faciendum admodum erit appoſitum. Galli, conſilia ſua, multos iam annos, vires omnes, hoc tempore huc conferunt, vt religionis in Scotia nunc naſcentis

occa-

occasus, legum omnium ac priscæ libertatis interitus, & vniuersæ demum reipublicæ vastitas, agatur feraturq; in eo regno. Speramus tamen Deum, qui exurgere consueuit ad gemitum pauperum, (vt ipse disertè promittit) & dissipaturum istorum impia consilia, & fracturum omnes eorundẽ crudeles cruẽtosq; conatus. Et hæc spes eò certius nobis affulget, quo iam est exploratius omniũ hominũ iudicio vniuersam pacem, per hanc præsentẽ Christiani nominis vniuersitatem, vbiq; gentium, optatissimè, felicissimeq; fore iam cõstitutã, absq; hac turbulenta natione Gallica esset. Par itaq; est, vt communes omniũ bonorũ preces, contra tam apertos Christiani nominis inimicos fundantur: & credibile sanè est, Deum, præsentem opẽ suam contra tã insolentem eminentemq; hominum audaciã promptè oportuneque exerturum. Intelligo me nimis longè esse prouectum: sed abundantia amoris mei erga te facit, vt nõ illibẽter sim prolixus, vel saltẽ hoc nomine, vt tuas longissimas eliciã literas: qua re, nihil mihi gratius esse potest. Precor tibi omnia & læta & felicia, ex animi tui sententia, & tuo itidem humanissimo filio, meoque optimo amico, quem vt officiosissimè salutes meo nomine, volo. Vale, Ex Regia, Londini. 28. Decembris. 1559.

VALENTINO ERYTHRÆO LINDAVIENSI.

EA ingenii, doctrinæ, iudiciique præstantia mihi ſemper in Ioanne Sturmio elucêre viſa eſt, doctiſſime Erythræe, vt non cum noſtræ ætatis hominibus conferri, ſed in eorum numero potiùs reponi debeat. quos Deus in vtraque vrbe, vtriuſq; linguæ principes & præceptores, ad omnis poſteritatis & ſummum vſum, & maximam admirationem excitauit. Et quantum conſentiens eruditorum vox huic excellenti viro tribuit, quòd pro ſumma ingenii ſui luce, diſſerendi dicendique doctrinā feliciſſimè partiendo tradiderit, tantum vniuerſæ literarū ſcholæ, & tibi quoque (mi Erythræe) debent, qui præclaro ſtudio, induſtria, ingenio, & iudicio, Oratoriarum partitionum perfectiſſimos σχηματισμοὺς confeceris. Atque, cùm ipſe caſu, his ſuperioribus diebus in huius laboris tui & mentionem & laudē apud honeſtiſſimū iuuenem Matthæū Negelinū inciderim: & is ſtatim mihi ſingularem eruditionem tuam, morum & humanitatis tuæ maximam ſuauitatem declarauerit: vix credibile eſſe poteſt, quas ſubito faces ad te perpetuò diligendum admouerit mihi, eximia illa probitatis tuæ vis, quæ in Negelini ſermone, iucundiſſimaq; commemo-

memoratione tui, tanquam in speculo aliquo, mirificè elucebat. Hic verò labor tuus, sic omnium iudicio comprobatus est, vt nihil potius optemus quam vt eundem laborem, in Rhetorica Aristotelis ad Theodecten, Ioannis Sturmii præstanti ingenio explicata susciperes. Matthæus Negelinus ostendit mihi, quàm industrius artifex sis in coniungendis Oratorum exemplis, cum Rhetorum præceptis: nihil est, quòd maiorem aut lucem literis, aut commoditatem studiis adfert. Hoc docet vnus ille locus apud Ciceronem in partitionib. Oratoriis, de conuersa oratione atque mutata, tàm illustri exemplorum appositione à Ioanne Sturmio explicatus, vt has tres paginas integris aliorum commentariis facile anteponerem. Vtinam sibi amputarent reliquos labores: & in congerendis exemplis, vbi nimis parci & restricti sunt, diligenti animaduersione, delectu, & iudicio adhibito, quantumuis prolixi & largi esse velint. Luculentè explicat præceptum, qui aptum adiungit exemplum: tu hortatione mea non eges vt hoc facias, nisi fortasse consilium suauissimi Poëtæ sequeris, dicentis:

Qui monet vt facias, quod iam facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Quòd tã audacter ad te scribo, non multùm curo, si prudentiam in me desideres, quo-

niam solius beneuolentiæ ratio hoc tempore mihi omnino proposita fuit. Et hoc amicitiæ constituendæ initium, quod nulla lucri sordida suspicio, sed eruditionis atq; humanitatis commendatio sola excitauit, aut tacitus silentio improbabis, aut mutuum tuum in amore respondendi studium, literis tuis libenter declarabis. Vale in Christo Iesu. Mense Aprilis. Anno Dom. 1559.

MAGISTRO, SOCIIS ET SCHOLARIBVS COLLEGII DIVI IOannis Cantabrigiæ.

QVantum celeberrimo isti Collegio, celeberrimi viri, & inclytæ vestræ consociationi debeo, suaui ipse indies recolo memoriâ, frequentique apud omnes meo sæpè cõmemoro sermone: & quò libentiùs me, meaque omnia vobis debeo, eò plus deinceps me velle quoque debere, ingenuè præ me fero. Nam vt anteà, non voluntate solùm & studio, sed officio atque merito, isti nostro Collegio, ego (si quisquam alius) etiam, atque sum, semperque sum futurus addictissimus: ita nunc vobis, vestro seorsim beneficio, cõmuni iure, priuato nexu, mancipatus esse cupio. Cupio enim ego ille olim alumnus vester, vester iam fieri villicus, & fundum vestrum Bromehallensem, propè hîc à Regia Windesoria situm, pro anni-

anniuersaria de more pensione, & pro consueto inde vobis percipiendo fructu, mihi meisque, ad certos annos conductum, de vobis habere. Hæc mea omnis petitio, prudentissimi viri, non perindè ad vtilitatem rei, quàm vt ad cõmoditatem loci à me instituta est: nam quo oportuniùs & meliùs istîc habitetur, ipse meis non parcam sumptibus, cùm ædes illæ, iam, vt nunc sunt, siue villicorum incuriâ neglectæ, siuè temporum vetustate excesæ, malè materiatæ, & valde ruinosæ existunt. De conditionib. nõ ambigemus; accipiã .n. quæ offerentur. Si quid vltra etiã requiritis, vel ad publicũ augendũ ærariũ, vel ad cõmunẽ & mihi olim dulcissimũ vestrum ornandũ conuictũ, nec ad cõmodandũ vniuersis, nec ad gratificãdum singulis, vllum meũ, pro vestro arbitratu prætermittetur officiũ. Ad hanc porrò rẽ vrgendã, non extraordinariam aliquã gratiã, non ascitã cuiusquã authoritatem, (quæ res mihi non ita difficilis fuisset) sed vestrã solũmodò, beneuolentiã libẽter adhibeo: vobis .n. non aliis, debere hoc beneficiũ volo. Si qua in re ipse, aut Collegii seruire dignitati, aut cuiusquã vestrũ vel vtilitati cõsulere, vel ornamẽto ꝓspicere queã, nõ vestras morari expectationes, sed omnes persequi oportunitates, studiose & diligenter laborabo. Deus, &c. Ian. 18. 1563.

DISERTISSIMI VIRI ROG. ASCHAMI ANGLI,

Commendatitiarum, *Petitoriarum*, & similium eius generis *Epistolarum*, Principum, Academiæ Supplicumque nomine, ad alios Principes & Magnates conscriptarum,

LIBER I.

HONORATISSIMO PRINCIPI, Eduardo Duci Somersettensi, Regiæ Maiestatis Gubernatori, & totius imperii eius Protectori, &c. Literarum Patrono maximo, ROG. ASCHAMVS.

PRO COLLEGIO D. IOANNIS.

NOs homines in hac humili cõditione positi ad te in altissima Reipublicæ sede collocatum non scriberemus, nisi nostra causa magna, nisi tua bonitas maxima existeret, honoratissime Dux. Et cũ Deus in te congessit singularẽ gratiã suam, cum tu à Deo excitatus in hoc totus sis, vt, aut publicã salutẽ alas, aut patriã ab hostib. defendas, aut verã religionẽ restituas: habes tamen aliud quiddam à Deo, cuius vtilitas erga Rempubli-

publicam æquat singulas virtutes tuas, cuius laus in te superat vniuersas commendationes tuas, hoc est, quòd causas inopum respicis, quòd gemitũ pauperum exaudis. Hęc non prudẽtia humana, sed benedictio diuina, & rarissimorum temporũ rarissima certè felicitas existit. Agnosce hanc veram laudem tuam, & perpetuò tuere prudentissime Domine: hæc vna laus superat vniuersam reliquam fortunam tuam. Hac opinione certa de te nos commoti, causam nostram tibi adferimus. Si scire cupis, quinam homines sumus? Respondemus, vniuersus cœtus studẽtium Collegii D. Ioannis Euangelistæ Cantabrigię. Si vnde orti? Ex omnib. Anglię partibus in hoc Collegium promiscuè confluimus. Quorsum? Vt studeamus. In quem potissimùm finem? Primùm, vt Euangeliũ Domini populo Dei dispergamus. Dein, vt humanam doctrinam, hoc est, papismum, cum omni hypocrisi, superstitione, & idololatria, quantum nos possumus, tollamus. Quæ leges continent vos? Ad laborem difficilimæ, ad fructum studiorum valdè comparatæ. Quam operam & opem Reipublicæ confertis? Primùm, alimus optima ingenia, optimis disciplinis & moribus; deinde, ex nostro cœtu proficiscuntur, qui reliqua ferè singula Collegia erplent & ornant: demum, in vineā Domini mittimus plurimos operarios:

in reliquam Rempublicam, aptos & instru-ctos viros. Quem numerum sustinetis? In hac re superamus singula in hoc regno Collegia. Quibus prædiis & fructibus hoc efficitis? Et hîc quidem superamur nos à singulis ferè Collegiis. Quæ certa pecunia vobis penditur? Ad victum, singulis hebdomadis, hii tres denarios, illi septem, qui maximum capiunt, duodecim. Ad vestitum, discipuli nihil, socii Marcam vnam: ad reliquam vitam sustētandam, ad supellectilem vniuersam, ad libros emendos alteram Marcam accipiunt. Sed adiuuant boni viri? Hii vixerunt. At patres? Nunc dierum non possunt. Quæ reliqua spes vobis est? Vt ad te veniamus supplices nobilissime Dux. Quid petituri? Partim, vt æquum, & quod nostrum est, postulemus; partim, vt pietatem tuam excitemus. Quod æquum & vestrum est postulare licet. Nunc sanè licet, & felicia hæc tempora, in quibus licet; & te felicissimum, per quem licet. Fingant adulatores quicquid velint, felicissime agitur cū Republica, cum suum cuique postulare liberè licet, qua felicitate, ad laudem tuam maxima, ad Reipublicæ salutem vtilissima, vt Anglia diù per te fruatur commune omnium Anglorū votum est. Sed quam petitionem instituitis? Petimus reipsa iustum, nobis certè vtile, sed Reipublicæ vtilissimum, & nomine tuo valdè glo-

dè gloriosum. Ausculta beneuolè quæ dicimus, & da benignè quæ petimus. Diua Margareta, proauia Eduardi Regis nostri, hoc collegium fundauit, optimis legibus ad doctrinam, commodissimis prædiis ad vsum muniuit. Ex eo tempore tria acerbissima tempora hoc Collegium afflictârunt: primum, certi quidam homines regii ministri, qui diuitias Regis in aceruis pecuniarũ ponunt, (cùm beneuolentia populi, salus Reipublicæ, vera religio, & optima doctrina, optimi Regis certissimæ diuitiæ extant,) hoc beneficium Diuæ Margaretæ magnam partem nobis abstulerunt: quadringentæ enim minæ annuæ ex nostris prædiolis concisæ & amputatæ sunt. Multis annis post Ioannes Fischerus Episcopus Rofensis, dùm falsam doctrinam nimis peruersè defendit, optimas literas in hoc Collegio, suis ornamentis & suis diuitiis denudauit. Hoc vir nutu suo rexit hoc Collegium: & propterea, in manu eius posita sunt clarissima ornamenta, quæ D. Margareta huic Collegio elargita est. Singula recensêre nolumus, vniuersa vno verbo complexi sumus. Libri etiam eius vniuersi nostri erant. Cùm libros eius dicimus, magnum Thesaurum dicimus. Thesaurus sanè ille dignus erat, qui incidisset in bonos & peritos homines. Quid multis? Eius peruersa doctrina, & il-

lum vita, & nos summis diuitiis nostris priuauit. His duobus modis, in magnam penuriam Collegium nostrum redactum excipit tertia calamitas, quæ diù nos pressit, in miram angustiam compegit, & in extremam conditionem hoc tempore non nos solùm, sed reliquos omnes studiosos detrusit. Quæ illa est? Durissima caritas omnium rerum vendibilium. Augetur pretium omnium, pecunia nostra non augetur. Quomodo olim duodecim denariis, nunc non licet viuere viginti. Vndè hæc miseria? A Deo? Verba meliora. Deus nunquam magis benedixit terram. A singulis hominibus? Facile credimus: quia singuli homines singulariter peccant. Vbi culpa? In multis magna, in certis hominibus maxima. Et quia huc oratione nostrâ deuenimus, & tu is es à Deo constitutus, qui istis rebus & potes & debes mederi, apertè maximam Reipub. ruinam ostendemus. Nullus est tam imperitus rerum Vestiarius, Lanius, vel Sutor, qui non didicit expilare publicam vtilitatem. In singula quaque arte, singuli peritissimi sunt, ad augendum commune rerum pretium, hoc est, ad tollendam omnem humanam societatem, & ad permiscendã summa miseria totam Rempub. Culpa igitur residet omnis in his quotidianis artificibus? Aliqua certè, sed ea minima, quia non

tàm

tam ſua voluntate, & malo animo cõmoti, quàm extrema neceſſitate, & aliorum ſcelere coacti, hoc faciunt. Qui authores ſunt tantæ miſeriæ? Dicemus, & Domino monente, ac demonſtrante dicemus. Sunt illi qui domum ad domum coniungunt, qui rapinas pauperum congerunt, qui fructum eorum rariſſimè comedunt. Hæc dicit Dominus per Eſaiam Prophetam: nos apertiùs loquemur. Sunt illi, qui hodie paſſim, in Anglia, prædia Monaſteriorum, grauiſſimis annuis reditibus auxerunt. Hinc omnium rerum exauctum pretium: hii homines expilant totã Rempubl. Villici & coloni vniuerſi, laborant, parcunt, corradunt, vt iſtis ſatisfaciant: hinc ſinguli coguntur ſingulis imponere, & vniuerſa Reſpub. grauiſſimè premitur. Hinc tot familiæ diſſipatæ, tot domus collapſæ, tot cõmunes menſæ aut iã nullæ, aut in angulos & latebras concluſæ. Hinc, quod omniũ miſerrimũ eſt, nobile illud decus & robur Angliæ nomen (inquã) Yomanorum Anglorũ fractũ & colliſum eſt. Et hæc etiã miſeria maximè redundat ad authores eiuſdẽ. Quotuſquiſque enim eſt mercatorũ Lõdinenſiũ, (hii homines hanc miſeriã mirifice cõcitarunt,) qui nõ anguſtiꝰ, tenuius & preſſius hiis tẽporib. viuit quã cũ paſſi ſunt alios homines viuere? Nã vita, quę nũc viuitur à plurimis, nõ vita, ſed miſe-

ria est. Tum, omnes res parabiles & venales erant: pretium rerum moderatum erat. Nunc, plurimi in hanc vnam curā incumbunt, quomodo ad satiandos paucos mercatores pecuniam, quam non habent, quoquo modo corradant. Quomodo hæc res fregit Reipub. vires, quomodo stomachum omnē & facultatem ad bellum sustinendū abstulit, quomodo noua furta, & inauditas intolerantias inuexit, nimis longum esset percensêre. Hoc omnes experiuntur, infinitam omnium miseriam esse. Bubones illi Babylonici qui lucem oderunt Euangelicā, totam hanc calamitatem assignant relucēti veræ doctrinæ. Sed hæc vox horum hominum noua non est: ad hunc modū sub Lege, contra Prophetas: & sub Gratia, nascēte iā Ecclesia, contra Apostolos, vociferatum est. Quantò saniùs insanus ille apud Sophoclē Aiax, qui dona & spolia inimicorū damna esse ducebat? Hæc spolia Ægypti. (Scripturę verbis vtimur,) & hæc bona Monasteriorum, quemadmodum olim domini illorū: sic illa nunc, culpâ certorum hominum, Rempub. vehementer perturbant: hæc nimis longa, sed profectò nimis vera. Vides ergò, prudentissime Dux, quomodo tota Respub. conuellitur, & in miserrimas angustias cōpingitur, & quib. modis & quorum hominum improbitate hoc fit. Quæ calamitas,

mitas eò certè calamitosior existit, quòd illi viri eam minimè sentiunt, qui tanto malo remedium potissimum adferre possunt. Abiecti homines, & humi repentes, acerbissimum sensum huius mali tolerant, qui nullam opem sibi adferre valent, & auxilium ab aliis vix implorare audent. Sed sedet in cælo, qui non obliuiscitur pauperum, & cuius palpebræ interrogant filios hominum, Tandem exurget D. propter gemitum pauperum: nec dubitamus quin iam surrexit in te amplissime Dux, vt per te coerceat nimis effluentem horum temporum priuatam cupiditatem. Agnosce quem locum tueris, circumspice oculos pauperum in te suspicientes, & suspice tu in Deum, qui vultu suo iudicat & iudicem & populum. Et hoc à te petimus, nos quidem literis nostris, sed vniuersa Respub. votis publicis, quanquam in nullam partem Reipubl. maiori impetu inuasit hoc malum, quàm in rem literariā. Reliqui homines ita liberi sunt, vt possint quærere sibi vitam; studiosi non quærunt, sed quæsitam recipiunt: quæ si augetur, hoc fit non opera illorum, sed bonitate aliorum. Postremò, debet pecunia nostra aut maior esse quod cupimus: aut caritas (quæ quanta nunc sit, omnes ferè intelligunt) rerum minor esse, quod per te fore speramus; aut fructus studiorum minimus erit, quod ma-

ximè omnium metuimus. Alios relinquimus: de nobis & nostro Collegio iam loquimur. Hæc tanta caritas rerum, & hæc nulla charitas hominum intra hos paucos annos expulit ex hoc vno Collegio, plura optima ingenia, quàm nũc sunt perfectè docti viri in tota Academia, nec solùm expellit præsentes, sed aufert vnà etiam vniuersam absentium spem. Quale nostrum Collegium sit, quæ studia sequimur, quantam opem & religioni & reipublicæ adferre possumus, Ioannes Checus, & Gulielmus Cecellius, olim duo alumni huius Collegii, nunc duo clarissima lumina totius Reipub. tibi explicare possunt, qui nec tibi falsum dicere audent, nec in caussa honesta verum reticêre debent.

Petimus tantum, quantum tu dare vis. Sumus centum septuaginta & plures, qui hoc petimus, qui participes vnius tui beneficii esse cupimus. Cupimus, vt clarissimum hoc Collegium, conditum ad illustrandam doctrinam Iesu Christi, quod instruit optimis disciplinis optima ingenia, quod sustinet minimis prædiis plurima corpora; Cupimus & hoc communibus precib. proiecti ante bonitatem tuam, vt aliqua pars spoliorum Babylonis sustentare possit, in hoc Collegio tantum numerum ingeniorum, quæ gloriam Christi postea illustrabunt. Intelligi-

ligimus multos priuatos viros, ex benignitate Regum magnas diuitias consequutos esse. Optimè factum, hoc modo, excitabuntur, reliqui vt Reipub. seruiant. Verùm, si vtilitatem, quæ proficiscitur ex plurimis ingeniis optime institutis, cum vnius hominis opera comparare velis, facilè cernes, quantum nos honestè petere, & quantum tu iustè tribuere, non nobis, sed Reipub. potius debes.

Græci Romaniq; principes nobilissimi, qui belli aut pacis laude floruerunt, trophæa, statuas, pyramides, & arcus triũphales sibi erexerunt: monumentum profectò nec illustrius ad laudem, nec stabilius ad omnem perpetuitatem erigere tibi ipse potes, quàm si insigne aliquod testimonium animi tui erga virtutem, & doctrinam Iesu Christi, in hoc Collegio constitues. Hæc pyramis altitudine sua superabit omnes illas Memphicas, imo penetrabit in conspectum Iesu Christi, qui hoc opere tuo multùm delectabitur. Agè igitur, clarissime Princeps: foue & complectere spem nostram, quæ in te tanta sita est, quã-ta tua bonitas est, & tantum nos abs te expectamus, quantum ab optimo Principe sperare debemus. Dominus Iesus sublimitatem tuam, &c.

EIDEM.

Pro Academia.

IN maximis illis curis, quas tu quotidie in Reip. procuratione ſuſcipis, honoratiſſime Princeps, ſperamus te quoque aliquam partem temporis tui, & huic cogitationi impartiri, quomodo literarũ dignitas, ſub te digniſſimo Reipub. protectore conſeruetur. Nam, cùm omnes conſiliorũ tuorum rationes, in hiis tribus reb. verſentur, vt Dei purus cultus, Principis vera obedientia, Populi ſalus & quies & reſtituantur & conſeruentur; & cùm prudenter intelligis quantum adiumenti ad has res conſtituendas doctrina conferat, facilè quidem perſpicimus, quo in loco, & quo numero literæ apud te ſunt. Literæ tamen, vt dignitatem ſuam non ſolùm iudicio tuo commendatã: ſed authoritate etiam tua confirmatam retineant, vehementer hoc tempore laborãt: laborant enim, vt in hoc conſilio Parlamẽtario earum ratio habeatur, vt illæ immunitates & priuilegia, quæ longiſſimis ab vſque temporibus ad noſtra tempora deducta ſunt, & ſingulorum Anglorũ Regum & voluntate & authoritate cõprobata ſunt, in hoc etiam nouo Parlamento, nouã authoritatem & dignitatem obtineant. Ex quo nouo Regis, Parlamenti, & tuo beneficio,

nouam

nouam quandam alacritatem ad vetera sua studia persequenda Academia nostra suscipiet, vnde nouus certè & singularis fructus, ad magnam Reipubl. salutem exoriturus est. Non dubitamus igitur quin quantum cõmodi, literæ quotidiè Reipub. adferunt, tantum adiumenti Respub. vicissim literis per tuam authoritatem in hoc Parlamento sit allatura. D. Iesus, &c.

EXCELLENTISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI, EDVARDO *sexto; Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Regi, Fidei defensori, Ecclesiæ Anglicanæ, Hybernicæq; post Christum supremo capiti, Domino nostro clementissimo.*

PRO ACADEMIA.

POpulo pacẽ dare summa laus summorum Regum semper fuit, illustrissime Rex, pax autem nulli Reip. parti confirmari potius debet, quã illi, vndè pacis germanæ artes, & vera doctrina ad alios trãsfundi solet: si hii fontes exaruerint, vel aliqua iniecta turba occludantur, quomodo vlla quietis spes reliquæ Reipub. ali excitarique possit, non videmus. Petimus igitur, à te, nobilissime Rex, vt quibus legibus, ad quietem studiorum nostrorum quietissimè hactenus, beneficio maiorum tuorum, vsi sumus, iisdem deinceps nos communiti, in

veteri tranquillitate nostra, authoritate & iussu tuo conquiescamus. Nouum beneficium non petimus, sed vetus ne nobis auferatur, requirimus: quod à vetustissimis maioribus tuis traditum accepimus, & longissimis temporibus quietè vsurpatum possedimus. Quomodo verò quies Academiæ tuæ ab inquietis Oppidanis nostris perturbata est, Maiestati tuæ literis referre, nimis longum esset: hanc rem propterea commisimus istis grauissimis viris Academiæ nostræ, qui omnia tibi, si ita visum fuerit, fusissimè explicare possunt, quibus vt Maiestas tua fidem habeat, vehementer omnes rogamus. Et speramus quidem, te tantum literarum caussâ tribuere velle, quantum vel antiqua maiorum tuorum exempla, vel proxima nobilissimi patris tui vestigia, vel eruditissima doctorum tuorum præcepta, vel summa ingenii tui & animi bonitatis ornamēta, literis tribuere te commouere velint. Nos vicissim omnibus studiis nostris laborabimus, vt purissima semper doctrina cum optimis literis coniuncta, ex Academia tua Cantabrigiensi deriuata, in reliquas Regni tui partes affluentissimè redundet. Dominus Iesus Maiestatem tuam imperio maiorem, doctrina & virtute maximam indies semper efficiat.

EIDEM

EIDEM PRINCIPI NOBILISSIMO.

Pro Academia.

MOs fuit maiorum tuorum, maxime Rex, susceptis à Christo regni gubernaculis, inprimis in hanc curam incumbere, vt habitis descriptisque solennibus comitiis Parlamentariis, primùm veræ Religionis, dein Reipubl. salutis ratio haberetur: ad quas duas res constituendas, cum animaduertissent literarum cognitionem maximum conferre adiumẽtum, nihil prius faciendum sibi ducebant quàm Academias regni sui priuilegiis & immunitatibus sic munire, vt spes ingeniorum excitata beneficiis illorum, ad omne disciplinæ genus alliceretur. Nunc autem, si nos longo sermone apud te vrgeremus, exemplum hoc maiorum tuorum, ad nostra priuilegia de integro confirmanda, committeremus certè, vt tu merito existimares, nos aut stultè ignorare, qualis tu nunc es: aut improbe dubitare, qualis erga nos perpetuò futurus sis. Da igitur, optime Princeps, tantum huic maiorum tuorum exemplo, quantum vera religio, salus regni tui, voluntas animi & bonitatis tuæ tribuendũ esse postulet. Christus Opt. Max. præstet, vt annis, imperio, doctrina, virtute, felicitate, votum & spem Anglorum tuorum superes.

EIDEM ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, D. EDVARDO SEXTO, *Domino nostro clementissimo.*

PRO ACADEMIA.

PRinceps prudentissimus Henricus octauus pater tuus, illustrissime Rex, maximam & sibi laudem, ad sempiternam nominis memoriam: & huic Academiæ spem, ad singularem doctrinæ cultum excitauit: cuius diuino beneficio factum est, vt omnium linguarum & optimarum scientiarum optimi professores, amplissimis ab eo donati præmiis, in hac Academia constituerentur. Inter hæc patris tui immortalia monumenta, munus profitendi iuris ciuilis nunc vacuum est, cuius scientiæ præclaram doctrinam, tanto ingenio, eruditione, & assiduitate, frequentissimo hominum cōcursu, Gualterus Haddonus hoc triennium apud nos tradidit, vt nihil prius, vniuersi nos vna voce à Maiestate tua contendamus, quàm vt hoc docendi munus huic doctissimo viro conferatur. Et talem virum Maiestati tuæ commendamus, cuius vnius ingenio, & illustri doctrina, vniuersa hæc Academia commēdatior existit. Huic omnium nostrûm, de hoc viro testimonio, & consentienti Academiæ voci, quantum Maiestas tua tributura est, facile intelligimus: & quātò præ-

to præstat amplissima doctrina magnis quidem diuitiis, tanto erit tua, in præficiendo eruditissimo Doctore, quàm patris in constituenda vtilissima lectione maior & illustrior gloria. Dominus Iesus, &c.

HONORATISSIMO SENATVI, Regio Consilio, Dominis *Consiliariis prudentissimis.*

Pro Academia.

CVm singuli vos, maxima beneficia, in hanc Academiam seorsim sæpè collocauistis, honoratissimi Domini: vniuersi vnum, & id quidem vobis ad tribuendum perexiguum, Academiæ verò nostræ ad impetrandum summe necessarium facile concedetis. Schola iuris ciuilis, nunc apud nos conticescit, quę cum hos aliquot pręteritos annos, doctissima Gualtheri Haddoni voce, ad illius immensam laudem, ad Academiæ summam vtilitatem, circumsonuit, lubentes quidem hoc tempore facimus, vt cuius diuino ingenio, & singulari doctrinâ, vniuersa hæc Academia mirificè illustrata est, is ipse etiam, publicâ Academiæ voce, vicissim ad hoc munus commendaretur. Quanquam non Haddoni causam, sed literarum cum præsentem salutem, tùm posterā spem agimus. Tantum enim abest, vt pertimescamus, ne plus studii erga priuatum virum,

quam officii erga Rempub. hæc consentiens Academię vox declarauisse videatur, vt multò magis nobis verendum sit, nè vobis, quos Deus, ad tuendam doctrinam, in hanc celsam sedem euexit, videamur indigni vel eruditione tanti viri, vel beneficētia tanti Principis, si nostro silentio committeretur, vt inferioris notæ homines irrependo in possessionem præmiorum doctrinæ, illustrem hâc illustrissimi Regis in Academiam liberalitatem obscurarent. Itaque commendando talem virum, cùm nos & nostrum debitum officium sequuti fuerimus, & vestram iustam offensionem effugerimus, non dubitamus quin si hoc eruditionis præmium, huic eruditissimo viro conferatis, hoc vnum vestrum beneficium & plurimos Haddonos ex hac Academia procreabit, & reliqua excellentia ingenia, simili præmiorum spe, ad similem doctrinę laudem excitabit. D. Iesus, &c. 1550. 1. Martii.

INCLYTO DVCI SOMERSETTENSI.

PRO ACADEMIA.

INueni virum secundum cor meum: Vox est æterni patris, & clarissimum elogium in Dauidem, honoratissime Dux. Sed vndè tanta tanti viri laus? Pax, salus, iustitia; timor Dei, & vera Religio: mentis altitudo,

tudo, & diuina ad frangendos hostes prudentia, hæc singula Deo placuerunt: hæc vniuersa Dauidem Deo commendauerunt. Familia Iessæ magno timore erga Deum, non maximo honore apud populum efflorescebat: & ex paruis initiis magna prouidentia Dei Dauidem non maximũ virum, in summum locum euehebat. Et nos cùm singularem gratiam, & præcipuum Dei fauorem erga familiam Semuriam animaduertimus: cum te, & omne ætatis tuæ præteritæ spacium, ab ipsis incunabulis tuis in hunc diem deducimus, videmus certè, & hos aliquot annos vidimus, te (nobilissime Dux) non virga Mercurii, sed nouo Samuelis spiritu, & digito Dei, è reliquo numero hominum selectum esse, cui vni quatuor res, in hoc mundo maximè à Deo commẽdarentur. Pax & salus Reipublicæ, cura laborque belli, purioris Religionis solicitudo, Diui Eduardi Regis virginis sacrosancta custodia tibi vni imponitur. Attende quid nos dicimus, intellige quantum tu sustines: & agnosce, quantum in his omnibus Deo debes. Pax per te tanta, tantaque viuendi suauitas Angliæ nunc constituta est, vt quæ vox populi de te sit, quantus fauor singulorum existat, quomodo Patrem Patriæ vniuersi certatim te appellant, animo tuo te suauiter concipere, quàm

nos literis nostris ostendere maluerimus. In bello Deus Gedeonis gladium tibi commisit: victoriam dat, non communem cum quotidianis mundi principibus, sed qualem Iosuæ à regibus Madan, & Asur; qualem Iudas à magno Antiocho & Nicanore olim reportarunt. In Religione eiusdem Gedeonis spiritum, ad demoliendam aram Baal, in te Deus excitauit, cuius abominationes vniuersas vt radicitùs euellas, vniuersi nos obsecramus. In sacrosancta custodia Iosiæ nostri, tàm diuinam suscipis curam, vt hic Rex virgo, primus enim nostræ memoriæ regum meritò esse dicatur, qui ab omni non labe solùm, sed suspicione etiam fornicationis cum meretrice Babylonica purus & integer virgo existat. Itaque cùm te vnum Deus constituit domi pacis authorem, militiæ patriæ propugnatorem, Religionis fortissimum vindicem, sacrosanctæ regiæ Maiestatis sanctissimum tutorem, vox profectò Dei & vox populi de te est, Inueni virum secundum cor meum. Et cùm hęc dignitas tua ornata his quatuor reb. maximis amplissima existat, vt nullus locus eius augendæ reliquus esse videatur, ecce Deus, quia illum & prouidentiam eius in his omnibus sancto timore agnoscis, suspicis, & veneraris: nouo cumulo honoris, noua accessione laudis te etiã atq; etiã augere

gere instituit. En literæ & studia literarum vniuersæ Academiæ Cantab. se offerunt tibi: quintum locum laudis apud te occupare student, tuæ voluntati, opi, consilio, gratiæ, & authoritati sese tradunt & commendant: te Ducem & Protectorem, te summum earum Cancellarium, vna mente & voluntate, vna voce & ore agnoscunt. Vt literarum dignitatem in tuam fidem recipias, pax publica rogat, laus bellica postulat, vera Religio obsecrat, & regia Maiestas exemplo suo imperat; quoniam hæ quatuor res, licèt maximæ sint, sine literarum tamen præsidiis decus & splendorem suum tueri certè non possunt. Iam laus maior nec à te expectari, nec à nobis excogitari vlla potest: iam hoc solùm reliquum est, vt vna & consentiens afferatur vox Dei, Regis, Reipublicæ, Religionis, & literarum, Inuenimus virum secundum cor nostrum. Scripsimus nuper ad te de literarum dignitate in hoc Parlamēto conseruanda: nunc tua res tota est, incumbe igitur eò, quò te in hac re Religionis & Reipubl. salus, quò te Regiæ Maiestatis & tua voluntas prouocat. Si beneficium quæris, audi prudentissime vir: liberè, verè & obligatâ tibi fide nostra loquimur. In nullum hominem, in nullam rem beneuolentiam tuã vnquã contulisti, quæ diuturniore

in memoria retinere, & omni posteritati oportuniùs beneficii recordationem transmittere potest, quàm literæ facere solent. Quid te facere cupimus, & anteà nos scripsimus, & tu optimè nosti: hoc tãtum addimus, & in alta mente tua condere cupimus, vt non tantum laborare velis, quomodo hii, qui nunc doctrinâ florent, præmiis afficiantur: quantũ quomodo spes parentum, qui liberos suos solent mittere ad studia literarum, quomodo spes iuuenum & ingeniorũ ad nouam alacritatẽ, excitari possint. Maximam rem paucis verbis complexi sumus. Si hæc vna res bene ibit, expeditissimum cursum optimorũ studiorũ Respub. expectare potest: quæ res, cum vniuersis summo emolumento, tibi vni profectò maximo ornamento erit. Veremur ne simus molesti amplitudini tuæ: Deum igitur rogamus omnes, vt, qua prouidentia Deus te ad hunc multiplicem honorem hos multos annos reseruauit, eâdem etiam prouidentiâ, te perpetuum pacis authorem, fortissimum Reipub. vindicem, sinceræ Religionis repurgatorem, Regiæ Maiestatis fidissimum tutorem, & Academiæ Cantabrigiensis summum Cancellarium diutissimè seruet incolumem.

SERE-

SERENISSIMÆ REGINÆ NOSTRÆ DIVÆ CATHARINÆ, VIRtutis, *nobilitatis & literarum illustrissimæ Principi.*

PRO ACADEMIA.

SI magnam commoditatem ex beneficiis tuis in nos collatis, si maiorem voluptatem ex literis tuis proximo superiori anno ad nos scriptis percepimus, clarissima Princeps: maximam profectò culpam committeremus, si vel tanti beneficii in adiuuando, vel eximiæ voluntatis tuæ in scribendo, memoriam vnquam abiiceremus. Et quanquam beneficia tua ita grata fuerint nobis, vt absque hiis salus Academiæ nostræ contineri non queat: magnitudo tamen eorum omnium ita superata est suauitate literarum tuarum, vt istis beneficiis, quibus nunc vtimur, quàm illis literis quas olim recepimus, carere maluissemus. Beneficium enim à quouis accipere, populare quiddam & quotidianum est: vti autem tantæ Principis tantâ beneuolentiâ, vt nihil est ad vsum vberius, ita profectò, nec ad animi iucunditatem suauius, nec ad memoriæ diuturnitatem stabilius quicquam exoptari potest. Iuua igitur nos semper, optima Princeps, & scribe ad nos sæpius, eruditissima Regina: hoc nomen eruditionis ne spernas

prudentissima fœmina: est enim laus industriæ & ingenii tui maior omnibus ornamentis fortunæ tuæ. At fortunæ quid? Hìc certè loci nihil habet, cùm tu omnia tua soli Christo accepta referas. Vehementer sanè omnes admiramur felicitatem tuam, felicissima Princeps, quę plura discis in tanto negotio dignitatis tuæ, quàm plurimi apud nos in tanto otio quietis nostræ: & hoc facis etiam in ea celsitatis amplitudine, vbi reliquæ fœminæ literas despicere velint: & in ea etiam ætate, quando doctrinam antea perceptam ex animo abiicere solent. Et hâc doctrinæ laudem sic vniuersam possides, vt eam cæteris omnibus præreptam, soli tamen Diuæ Elizabethæ communicatam esse, cum magna mutuæ societatis suauitate, libenti animo feras. Vides ergo nobilissima Regina, qua spe, & qua re commoti ad te accedimus, opem tuā imploraturi. Nam, vt opem feras nobis authoritate & iussu tuo, in hoc Parlamento vehementer petimus: qua autem ratione hoc facias, grauissimus vir, & magna eruditione ac modestiâ præditus Ioannes Madew Vicecancellarius noster, tibi (si ita libet) coram fusè declaraturus est, cui vt fidem habeas etiam atque etiam omnes rogamus. D. Iesus amplitudinem tuam honore, felicitate, doctrinâ, & virtute ampliorem indies faciat.

REVE.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO *Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, & patrono nostro singulari.*

PRO ACADEMIA.

QVantas quotidiè curas laboresque exhauris, reuerendissime Pater, in repurgandis fæcibus illis, quæ per sentinam Papisticam in ecclesiam Anglicanam deriuatæ influxerunt, vniuersi nos cum summa & laude tua & congratulatione nostra accepimus. Et cum tibi sedulò inprimis incumbenti ad hanc puram tradendam constituendamque doctrinam, hæc nostra Academia, singularem opem, paratissimum studium, instructissimos semper viros præstiterit: vicissim illa à te postulat & expectat, vt mutua ope authoritateque tua, eius dignitas atque salus conseruetur. Salus autem eius hoc tempore grauiter tentata iactataque est noua audaciâ veterum vexatorum quietis nostræ oppidanorum Cantabrigiensium: priuilegia enim nostra, quibus omnis Academiæ salus continetur, authoritate Regum, consensu Parlamentorū, longinquitate temporum munitissima, de tradendis in publicum carcerem sceleratis hominibus eripere nobis cœperunt. Huius facti, & horum hominum importunam

indignitatem & vim, qui has perferunt literas, late explicare possunt. Nos satis mirari non possumus, vnde hanc spem, & hæc noua consilia susceperũt Oppidani nostri: nescimus quorsum hæc insolentia his Reipub. temporibus eruptura sit. Hoc omnes scim^9, Academiã nostram, quomodo nunc est, per se satis depositã & inclinatam esse, quò veniendi paucissimis spes, & hîc diu manendi paucioribus alacritas est. Itaq;, si Academia extrinsecus & foris, ne vmbram quidem veteris dignitatis & loci tueri queat, intus autem & domi vincula neruiq; salutis eius concidantur, quid Regnum, quid Religio, quid Regia Maiestas ab hac Academia sperare amplius possit, non videmus. Et profectò, literarum studiis, nulla insignis pernicies importari potest, quæ non veram etiã religionem, eodem motu, in eundem occasum & interitum trahat. Quamobrem, in hanc spem ducimur, nullam noctem & tenebras literarum studiis offundi posse, in his potissimum temporibus, quæ ad splendorẽ veræ germanæque Religionis mirifice illucescunt. Et cum hæ duę res sic inter se cohęrent implicitæque sunt, vt si hæc fluat, illa consistere non possit: non dubitamus, quin, quã curã in vera doctrina illustranda suscepisti, eandẽ ipsam in Academiæ nostræ dignitate constituenda collocaturus sis. Nos

autem

autem perpetuò laborabimus, vt nostra in studiis diligentia, in moribus modestia, in religione sinceritas, hoc beneficio tuo nos non indignos sit demõstratura. D. Iesus, &c.

EIDEM.

PRO COLLEGIO.

AD decimum Calendas Octob. reuerendissime in Christo Pater, iuuenis iste, quem ad te misimus, nomine Iosephus, natione Gallus, officio seruus D. Rob. Staffordii, importuna quadã & imperita audaciâ, funiculum illum, quo Pyxis superaltaris in nostro Collegio ligata est, clam nocte concidit. Hanc rem imprimis Dominationi tuæ significandam esse duximus. Qua ratione, quibus vestigiis, hæc res à nobis inuestigata est, Thomas Leuerus, qui has perfert literas, vir eruditus admodum & grauis Collegii nostri socius, tibi explicabit. Qua mente autem, & quo consilio, hoc factũ ab eo institutum fuit, ab illo ipso intelliges: rẽ ipsam tractauimus, minimo motu, nullo tumultu: veremur tamen, ne certi quidam homines, qui occasum interitũq; superstitionis admodũ stomachantur, & relucenti (hoc tempore) Euãgelio tenebras quouis modo offundere conatur, hoc eius facto ad imminuendã dignitatẽ huius Collegii abuti velint. Ipse iuuenis eruditus certè est, & quiete honesteq;

hactenus se gessit apud nos. Et quanquam D. Staffordius, qui literarum studio mirificè sese dedidit, istius iuuenis operâ carere dolet: prudenter tamen, quid tu vel de facto iudices, vel de pœnâ statuas prudentiæ tuæ committit. Nos omnes orabimus Deum, vt Pauli spiritu, quod hactenus fecisti, hanc rem, & reliquas puræ Religionis à te susceptas institutasq; rationes moderêris. Christus Iesus Dom. &c. Ad octauum Calendas Octob. 1547.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

ALiquid à te suppliciter petere, cùm tu omnia nobis lubenter tribuis, (doctissime Præsul) non inane & superuacaneum negotium, sed gratæ voluntatis debitum potiùs officium esse ducimus. Rogamus igitur te, vt in hoc Senatu vestro, priuilegia nostra confirmentur. Quantum Reipub. interest, vt doctrinæ ratio haberetur, omnes fere intelligunt: quantùm verò puræ Religionis interest, tu vnus plus vniuersis aliis animaduertis; scis enim tu, quòd annis ab hinc quingentis, aut plus eò, cognitio literarum, Regum vitio, à quibus ali debuerat, è conspectu hominum sese abducere, & in tenebras relabi cœpit. In quibus temporibus sic caligine obductis, sic ignorantiâ inuolu-

uolutis, aper ille singularis de sylua, supra modum depopulatus est vineam Iesu Christi, non proculcans solùm Reges terræ, & imperium sibi collocans mundi: sed ita inuasit erupitq; in sanctam sedem & templum conscientiæ, vt nulli fere nunc sint mores hominum, nulla institutio vitæ, nullus ceremoniarum ritus, nullum Ecclesiæ sacramentum, nullum Christi vestigium, quod non sit eius aut fulmine prostratum, aut halitu fœdatum: quod non sit (vt mitiùs, sed significantiùs cum Diuo Paulo loquamur,) prudentia humanæ ἐθηλοθρησκείας fœdissimè corruptum & constupratum. Hæc nox disciplinarum & ignoratio vocem Domini nobis abstulit, & humanæ doctrinæ imperium, in illam libidinem euexit, vt pro vero cultu Dei, recto diuinissimarum rerum vsu integra & pura vitæ consuetudine hypocrisis, idololatria, & adulterium ceruicibus hominum astutissimè imponeretur. Hãc inscientiæ pestẽ libentiùs cõmemoramus, quòd nunc in magnam spem ducimur constituẽdæ de integro dignitatis literarum, in hiis præsertim temporibus, cùm omnia ad verã Religionem illustrandam, à qua præclara doctrina abesse certè non potest, mirifice cõparata sunt. Et cùm prudentia tua ad verbum Dei restituendum, diuinitùs sit & nunc excitata, & diu reseruata: non dubitamus,

quin omnem operam & authoritatem tuã, ad salutem etiam literarum continendam collaturus sis: commotus aliquid certè vel hac ratione, quòd nulla hoc tempore literis vel insperata clades, vel expectata commoditas accidere potest, cuius tu non aut author, ad magnam commendationem: aut particeps ad aliquam repræhensionem voce ac sermone omnium iactatus eris. D. Iesus, &c.

CLARISSIMO VIRO COMITI WARVICENSI.

PRO ACADEMIA.

CVm intelligimus, nobilissime Domine, te esse & salutis Patriæ strenuum defensorem, & veræ Religionis fortem propugnatorem, vt non maiorem soleas incutere terrorem hostibus regni, quàm inimicis Iesu Christi & verbi Dei, in eam cogitationem adducimur vniuersi nos qui Cantabrigiensem Academiam incolimus: vt credamus, te literarũ etiam dignitati multùm tribuere velle. Nec dubitamus quin eã laudem, quã maximam tibi in propugnãda & Republ. & Religione consequutus es, maiorem indies, suscepta quoq; literarum defensione, accumulare velis. Atque, si splendor laudis bellicæ, si studium Religionis puræ, si patrocinium doctrinæ, (tria maxima ornamenta

maxi-

maximorum ſemper Principum,) in vno Warnicenſi conſpirauerint, quid amplius ad veram gloriam, in hac vitæ vſura, accidere tibi poteſt profectò non videmus. Et animum tuum mirificè inflammari literarum amore, vel hinc certè perſpicimus: quòd tantam curam ſuſcipis tibi in educãdis omnibus filiis tuis, potiſſimùm verò, in nobiliſſimi patris nobiliſſimo filio tuo Domino de Lysle: nec apud te prius quicquam eſt, quàm vt claritas generis, & fortunæ dignitas, ſplendore literarum indies illuſtraretur. Academia noſtra petit à te, (nobiliſſime Vir) vt ope & gratia tua, priuilegia & immunitates eius in hoc primo Senatu Parlamentario Eduardi regis noſtri, (quemadmodum mos ſemper fuit) confirmentur. Rationem petitionis noſtræ vniuerſam declarabit tibi fuſiſſimè, qui has perfert literas, grauiſſimus vir D. Vicecancellarius noſter. Expectamus igitur te tantum laboraturum in hac re, quãtum ad veram laudem tuam, ad dignitatem Academiæ, ad certam noſtram de te opinionem pertinebit. Faxit Deus, vt te Chriſtus fortem Religionis ſuæ propugnatorem: Princeps, ſtrenuum regni ſui defenſorem: Academia noſtra, ſummum literarum patronum diutiſſimè ſentiat. Dom. Ieſus, &c.

AMPLISSIMO DOMINO GVILIEL. MARCHIONI NORTHAMTONENSI, *Comiti Essexiæ, Baroni de Kendal, Domino Par, magno literarum Patrono.*

PRO ACADEMIA.

CVm in te tanto viro, tanta humanitas, consilium, & authoritas cernitur, (amplissime Domine,) vt maior in quauis iusta caussa, vel suscipienda voluntas, vel agẽda prudentia, vel perficiẽda facultas, quam in te sit, requiri non possit: mirifico sanè Academia nostra studio excitata est scribendi ad te, hoc postulans: vt literarum dignitas, dignissimo tuo patrocinio, in hoc proximo Senatu Parlamentario, ad priuilegia sua confirmanda vti possit. Rationem caussæ huius tuendæ vniuersam, fusè tibi explicaturus est, qui has perfert literas, grauissimus vir D. Ioannes Madew Vicecancellarius noster. Quæ caussa vt defendatur, non tam nostrâ interest, qui scribimus: quam vestrâ, qui à Deo ad vestram Religionẽ conseruandam, ad salutem Reipub. procurandam constituti estis: quàm aliorũ omnium, qui ex literis vllum fructum percipere queant. Nos enim qui ista scribimus, tantum adiumenti ex studiis nostris cepimus, quãtum ad mediocrem vitã in Repub. sustentandam, quomodocunque fors tulerit, suf-

ficere

ficere possit. At cùm Academia singularem opem suam, ad opes certè aliquas, & vitæ commoditates nobis constituendas contulerit, manifesta officii præteriti culpa teneremur, si non significaremus vobis (nam & hoc tantum possumus) quomodo salus & dignitas eius conseruari potest. Vos autem, nõ dubitamus, quin sic cogitetis: quòd quò maior à Deo vobis authoritas conceditur, eò maior cura ab eodem imponitur, & eò maior pœna à vobis etiam repetitur, si vestra culpa, splendor literarum vllis tenebris obscuraretur: obscurabitur certè, si non ea lux bonitatis & authoritatis vestræ hiis temporibus refulserit, quę & literis veterem honorem: & ingeniis nouam spem, allatura est. Credi enim vix potest, quàm pauci sunt, qui literarum magno ardore inflammantur. In hoc Parlamento, (nisi valdè fallimur,) veram Religionem restituetis. Diuinum profectò consilium & nos vnà Deum rogamus omnes, vt ne vestigium quidem Papisticæ fæcis in vlla parte Religionis, quæcunque illa fuerit, amplius resideat. Sed ignorantia quid? Tolletur ex omni populo. Quorum industria? Doctorum: At vbi sunt? In Academiis. Quòd nulli illic sunt, falsum est: quòd pauci illic sunt, neque hoc verum est: si angustias Academiarum respiciamus, quàm plurimi il-

lic sunt: & quot requiruntur ad ignorantiam ex Anglia relegandam, polliceri quidem nos non audemus. At plures quotidiè illuc confluent. Qua spe? Honore artium? Nullus ferè est. Expectatione præmiorum? Sed illa & rara sunt, & exigua sunt. Nomine & honestate literarum? Quo loco nunc iacent literæ, vel ignari omnium literarum facile animaduertunt. Et qui posthac docti erunt? Pauperes? At hîc non diu manent propter inopiam. Sed diuitum filii? At hii minùs, vel propter alterius vitæ expectationem, vel literarum hiis temporibus obscuram conditionem. Sed parentes, vt filii sui instituantur literis, semper curabunt. Ast hii spe lucri magis, quæ iam sublata est, quàm doctrinæ cupiditate, quæ in illis nulla est, hoc fecerunt. Ast boni viri inopiam studiosorum leuabunt. Hoc olim factum est; sed nunc prioris seculi felicitatem potiùs admirari, quàm hac spe studiosorum vitam alere & sustentare possumus. Quorsum tot scholæ in Anglia, si ad Academias pauci sese conferunt? Imo aut paucæ sunt, aut relictæ & contemptæ sunt: & parentes hodiè cuiuis rei potiùs, quàm literis liberos suos addicunt. Sed Respublica huic rei remedium adferet. Digna certè res, in qua totum occupetur Parlamentum: Nisi enim

nim hæc ſemina doctrinæ, teneris animis tempeſtiuè ſparſa fuerint, quænam in Republica vel exoriatur ſpes, vel adoleſcat virtus, vel efflorefcat pura Religio, & vera felicitas, prudentia tua intelligit. Multa ad hunc modum veriſſimè dici poſſunt, delabenti iam, & admodum procliui ad occaſum literarum dignitate, nobiliſſime Marchio: quæ res, quantum in ſe veri habet, tantum adiumenti à te requirit ad maturum illi adferendum remedium. Hoc dabis Religioni & Reipubl. hoc dabis multorum parentum ſolicitæ ſpei, multorum ingeniorum præclaræ indoli: dabis hoc etiam ſaluti poſterorũ temporum, in quibus nullus doctrinæ fructus exoriri poteſt, cuius ſementis ſuperioribus temporibus facta non fuerit. Dabis hiis omnibus quantum vis, vis certè tantum, quantum literis, hoc eſt, ſummis & veræ Religionis præſidiis, & florentis Reipubl. ornamentis dari debere, prudentia tua iudicabit. D. Ieſus, &c.

NOBILITATIS, VIRTVTIS, ET LITERARVM ORNAMENTIS *clariſſimo, Comiti Arundelio.*

PRO ACADEMIA.

LAus florẽtis Reipub. amplior eſſe nõ poteſt, ampliſſime Comes, quã vbi nobili-

tas fortunæ suæ doctrinam sociam, sapientiam moderatricem adiungit. Hinc prudenter fingunt Poetæ Nestorem Agamemnoni, Polyidum Minôi, Prometheũ Ioui præstò semper fuisse. Hinc etiam vera tradit historia, Simonidem Pausaniæ, Anaxagoram Pericli, Polybium aut Lælium Scipioni, in omni vitæ rerumq; ratione assiduum comitẽ fuisse. Hæc laus illustrandi claritatem generis, splendore doctrinæ, & societate virtutis, ficta Poetarum monumentis, expressa clarissimorum virorum exemplis, tradita Platonis ad Dionysium præceptis, neglecta tandem multis seculis, relegata ex omnibus ferè regionibus, nuper in Italia, excitata Medicum familiis, & nũc postremò in Anglia, in Arundelio nomine sic omnem sedem suam & tabernaculum posuit, vt tuo merito, & omnium iudicio, nec inter nobiles doctior, nec inter doctos nobilior quam tu es quisquã reperiri queat. Itaque, cùm literæ nobilitati tuæ tanto ornamento sunt, æquum sanè est, vt tua vicissim nobilitas literis magno præsidio esse velit. Hac de te opinione prouocata Academia, ad te inprimis scribere instituit, postulans vt ope, consilio, gratia, & authoritate tua, immunitates ac priuilegia eius in hiis primis Regis Eduardi solennibus Comitiis (quod fieri semper solitum est) con-

firmen-

firmentur. Hæc causa non ad nostram vtilitatem suscepta, sed ad singularem potius vsum veræ Religionis, Reipub. salutis, spei omnium parentem: alacritatis bonorũ ingeniorum, curæ etiam posterorum temporum instituta nobis fuit. Et quantò tu magis scis, quàm reliqui homines, quòd hæc vera sint, tãtò libẽtiùs scribimus ad te, atque rogamus, vt dignitas literarum, à te dignissimo earum patrono, in hoc Parlamento cõseruetur. Nos Devm orabimus, vt te Religionis, Reipublicæ, & Doctrinæ tantum præsidium & ornamentum diutissimè seruet incolumem.

DOMINO MARCHIONI Northamtonensi.

Pro Collegio.

QVantum tu vnus vniuersæ Academiæ nostræ, & præsentem alacritatem, & posteram spem alis, clarissime Domine, singuli fere nos cum summa & vtilitate sentimus & congratulatione agnoscimus. Nam, quomodo & ope tua vtimur, & opibus tuis fruimur ad omnes nostras, siue publicas causas in Aula promouendas siue priuatas tenuitates in Academia sustentandas, nemo omnium nostrorum est, vel tam ignarus, qui nescit; vel tam ingratus, qui non summè prædicat. Et his proximis superio-

ribus diebus, sic per Tho. Leuerum & inopiam plurimorum subleuabas, & spem omniũ excitabas, vt hæc noua alacritas studiis per te reddita, nouos literarum fructus in his etiam difficillimis temporib. ad immensam Religionis Reipublicæque vtilitatem procreatura sit. Sed hæc singularis & Academiæ commoditas, & laudis tuæ cõmendatio diuturna esse non potest, si literarum fontes, è quibus Academiæ deductæ sunt, sic, (vt fit) passim, in Anglia exaruerint. Ruinam intelligimus & interitum publicarum Scholarum, in quibus nisi radices iuuentutis rectè cultæ fuerint, nihil in Academiis adolescet, quod in vineam Domini, aut in administrationem Reipubl. posteà assumi possit. Et quàm grauis vniuersa hæc Scholarum calamitas est, nos facilè experimur in vna Sedbarensi schola, ex qua multa præclara ingenia ad hoc Collegium multos iam annos prodiêrunt. Cuius Scholæ recuperandæ, nisi spes noua aliqua nobis affulserit, quomodò huius Collegii veterẽ splendorem & laudem contineamus, planè nescimus. Ad te ergo, nobilissime Domine, nos conuertimus: quoniam neminem cognoscimus, qui maiori aut authoritate possit, aut studio velit, tam honestã causam suscipere. Rem totam, venerabilis vir Gulielmus Billus Præfectus Collegii nostri, &
Tho-

Tho. Leuerus tibi explicabunt. Age igitur, clariss. Domine, foue & complectere spem nostram, quæ in te tanta sita est, quanta tua bonitas est: ex qua, tantum in hac literarum causa expectamus, quantum ipsæ literæ ex optimo earum patrono sperare possunt. D. Iesus, &c. 1550. Martii 25.

ORNATISSIMO PRÆSVLI WINTON.

PRO ACADEMIA.

IN quàm solicito absentis tui desiderio, vniuersa nostra Academia hisce iacuit temporibus, non tam explicatè nostra scriptione ostendi, quàm verè & expresse tua opinione cõpræhendi potest, ornatissime Præsul. Et quamuis in hac cõmuni omnium de reditu tuo congratulatione, vetera potiùs erga nos beneficia tua grato animo repetere, quàm noua vlla negotia tàm subitò tibi imponere debeamus: tamen, vt nunc sumus ad tres res non tàm naturâ sua difficiles, quam ipso tempore implicatas, consilium, opem, & gratiam tuam vehementer requirimus. Quemadmodum Collegiorum nostrorum omnium prædia, cum annuis suis fructibus per regios Procuratores censentur, & in certos libellos relata sunt, obscurum Dominationi tuæ esse non potest: rumore tamen ad nos perfertur, nouos etiam alios Procu-

ratores, ad vniuersa Collegia vbiuis in agro Cantabrigiensi, sita per Regiam Maiestatem amandari, qui ne potestatem suam in Academiam etiam exerceant vehementer pertimescimus: quoniam, vt auditione accepimus, neque nos quidem nominatim excipimur. Quæ certe res, nos omnes in varias & perturbatas coniecit cogitationes. Quamuis enim certus & explicatissimus nobis sit perpetuus ille Regiæ Maiestatis fauor, & immortale literarum dignitatis tuendæ studium, manuque etiam tenemus serenissimæ Reginæ literas, quibus hoc ipsum præcisè & explorate nobis significatum sit: non nihil tamen veremur, ne certorum hominum nimis proiecta importunitas, aliquid nobis importet turbæ & negotii. Quorum hominum audacia, nisi prudenti consilio, & authoritate præcipua, repressa coerceatur, quid amplius literis sperandum sit, nemo dubitare potest. Itaque, cum hæc vna causa finibus suis, non dignitatem solùm literarum, sed vitam earundem & spem contineat, qua sedulitas adhibenda, & quæ authoritas interponenda sit, tu pro tua summa prudentia, etiam atque etiam perspicis. Aliam porrò causam Dominationi tuæ adferimus, quæ licèt non exitium studiis, permolestum tamen negotium omnibus studiosis perlatura est, nisi aliquod certum remēdi-

medium & matura cautio adhibeatur. Est homo apud nos obscurus & egens, nomine M. moribus oppidanus turbulentissimus, vitæ instituto aut carceris semper aut vrsi custos, nunc tamen (vt fit,) vecturæ regiæ piscis præficitur. Hic homo, in hoc positus loco, equos pro sua libidine, istius vecturæ nomine, cunctis absque delectu adimit: & paucis abhinc diebus, cùm currus eius aliquot iam horas in itinere fuisset, nouo more, nullo exemplo, si in multorum seculorũ memoriam respicere velis, equum Præfecti Collegii D. Petri in ipsa platea abducit, nulla minima pactione facta cum equi domino, quæ tamen antè fieri debet: vt taceamus priuilegia nostra, quibus cautũ est, Ne quid in nos iuris habeant huiusmodi homines. Istius siue hominis intolerantiam, siue rei indignitatem, & reliqua ea vniuersa, quæ tàm insolenti oportunitati adiuncta esse solent, facilè prudentia tua ob oculos tibi proponere potest. Vides etiam quò hæc audacia fluat, & quid turbæ ex hac re struatur omnibus eis, qui equum aliquem sibi hîc alere volunt, nisi istius hominis tam effluens improbitas aliquo supplicio coerceatur. Est & alter homo naturâ suâ perquàm litigiosus, qui M. Edouardum Bucknamum virum quietum Collegiique tui socium, Londinum ad ius experiundum de

peculii debitis coram ſummo Angliæ Cancellario arceſſit. In qua cauſa, ſi authoritate tua tantum effecerit, vt nec innocenti viro iniuria illata, nec priuilegiis noſtris vis vlla impoſita ſit, & tranquillitatem magnam noſtris ſtudiis comparari, & ſpem omnem malis negotii, faceſſendi præcîdi exiſtimabimus. Has tres grauiſſimas cauſas leuitèr attigimus, ſingulas autem fusè perſequi nõ potuimus. Quamobrem, vehementer Dominationem tuam rogamus, vt huic nuntio noſtro G. Sh. prudenti & graui viro, fidem adhibeas, qui ſingula longſſime explicabit, quæ ad has cauſas pertinebunt. D. Ieſus, &c.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

QVàm ſecure hactenus hos aliquot annos in tua ſolius authoritatis præſidio Academia noſtra conquieuerit, ornatiſſime Præſul, & nos vniuerſi intelligimus, & ſinguli ferè experti ſumus. Veremur tamen, vt amplius poſſimus eum curſum, quem tranquillum diù tenuimus, niſi recens orta ab Oppidanis noſtris & nimis imminẽs noſtræ quieti tempeſtas, veteri conſilii tui gubernatione deuitetur. Chartam noſtram antiquiſſimam de iuramento, à duobus Aldermannis & aliis oppidanis ad pacem conſeruandam exigendo, abrogare conantur. Ius-

iuran-

iurandum Aldermanni repudiant: ratione (vt illi opinantur) arguta & aliqua (vt nos arbitramur) inani & nulla, vt Dominatio tua (ni fallimur) iudicabit, insolenti admodum & inepta. Aiunt enim se iureiurando ad pacē semel obligatos, nouo deinceps obstringi non debere. Omnem nostrā disceptationem hic nuntius, qui illis rebus interfuit, fusissimè narrare potest. Nihil non confusione miscere conantur. Quę hominū nimis effluens audacia, nisi authoritate aliqua primaria coerceatur, ad magnā quietis & studiorum nostrorum calamitatem redundabit. Hanc causam, & reliquas Academiæ nostræ rationes vniuersas, (more nostro) prudentissimo tutissimoque consilio tuo tradimus & commendamus. D. Iesus, &c.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

ANtiquum tuum perpetuumq; studium in tuēda, hoc tempore, Academia nostra, noua quadam voluptate nos omnes perfundit, ornatissime Præsul. Nam, quamuis semper ante hac vsitatum quotidianumque tibi fuit, omnem opem gratiamq; tuam in augenda literarum dignitate consumere: nuper tamen his proximis superioribus mensibus, cū vehementer pertimesce-

remus omnes, ne ſempiterna nox Academiæ noſtræ offunderetur: Ecce, veluti noua quædam & ſuauiſſima lux prudentiæ tuę attemperate nobis reddita, quæ literas in maiorem ſplendorem excitauit, quàm vel ſperare his temporibus potuerimus. Et quãquam ex abſentis tui deſiderio vehementer laboraret Academia noſtra, ſuſpenſa admodum & ſolicita, vndè opem, à quo conſilium, aut petere audacter, aut expectare fidenter poſſit: hæc tamen ſpes nobis omnibus iniecta fuit, quod te Capite prudentiſſimo noſtro tandem nobis reddito, aut nullum, aut non magnum malum, nos membra tua eſſemus perpeſſuri. Quod ita verum eſſe iam experti ſumus, vt oraculum illud antiquum Apollinis Pythii non olim Argiuæ ciuitati editum, ſed Cantabrigienſi Academiæ in hoc tempus conſeruatum fuiſſe putemus:

Καὶ κεφαλὴν πεφύλαξο, κάρη δὲ τὸ σῶμα σαώσει.

Laboramus vehementer, eruditiſſime Præſul, quibus verbis abundantiam amoris tui, & magnitudinem pietatis erga noſtram Academiam, complecti vel cogitando poſſimus. Quæ ſingularis bonitas, tua nec amicis ſolicitando, nec precibus rogando, nec literis ſuadendo euocata eſt: ſed tota ex voluntate animique tui inductione ſua ſponte effuſa, ad laudis tuæ immenſum cumulum,

mulum,

mulum, ad vtilitatis nostræ vberrimum fructum perpetuò redundabit. Gratias quas maximas tibi habemus, & lætitias, quas summas per te exhausimus, non sermone nostro exprimendas, sed opinione tua metiendas relinquimus: semper sperantes, Academiæ nostræ nec præsidia, ad suam stabilitatem, nec ornamenta, ad vllam dignitatem vnquam defutura, quandiu te talem Cancellarium & patronum singularem est habitura. Plurimũ etiã debemus vniuersis Consiliariis regiis, quibus seorsum per literas, gratias egissemus, nisi te & libentèr velle, & opportunè posse hoc ipsum nostro nomine præstare putauissemus: potissimum tamen magno Angliæ Cancellario, cuius paratissimũ semper nobis præsidiũ, multũ absentis tui deliniuit desiderium, vt eodẽ tempore eundem virum, Anglia & Academia haberent Cancellariũ Quo minus solidè gaudeamus, ornatissime Præsul, hoc commune nostrum gaudium, communis quædam difficultas & solicitudo nos vehementer impedit: admiratio enim nos magna tenet, quid sit, quòd electio sociorum Collegiis nostris hoc tẽpore adimatur: vix dici potest, quam exigua spes, quàm nulla alacritas iuuenibus relicta sit. Comitia nostra splendida olim & celebria, abiecta nũc & mirandum in modum infrequentia sunt.

Si fontes literarum clausi fuerint, fructus studiorum exarescere necesse est. Sed quid hæc nos apud te, cuius prudentia abstrusas intimasque huius difficultatis latebras lõgiùs penetrat, quàm nos vllis literis ostendere possimus. Itaque, cupimus tantum in hac causa fieri, quantum tua prudẽtia faciendum esse iudicat. Et semper laborabimus vt nostra in studiis diligentia, in moribus modestia, in Religione sinceritas, nos tanto beneficio non indignos semper sit demonstratura. D. Iesus.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

PRocuratores regii, ornatissime præsul, qui pecuniæ contribuendæ præficiuntur, etiam nostra Collegia in hanc solutionem illigare conantur: quam tamen vacua ab huiusmodi solutionibus Academia solet esse, nemo meliùs intelligit, quam Dominatio tua, cuius ope & gratia ad omnem immunitatem nostram obtinendam semper vtebamur. Quantus autem literis occasus immineat & interitus, si nostræ tenuitati hæc solutio imponeretur, penitùs prudentia tua perspicit, & certiùs videt, quam nos possumus literis explicare. Videt etiam prudentia tua infinitas alias difficultates cohærentes & implicatas cum hac solutione,

ne, nisi ab ea, ope & consilio tuo, expediamur. Petitio nostra eadem est quæ semper fuit: vt literarum cursus liber & solutus, & nullis impedimentis retardatus, eò progrediatur, quò vt perueniat, omnes prudentiæ tuæ cogitationes cum magna sedulitate hactenus elaborarunt. Hæc caussa nostra non noua est, sed nouis temporibus renouata est, quæ vt nullum nobis nouum onus importet, omnem veterem tuam in nos pietatem & studium imploramus. D. Iesus, &c.

MAGNO ANGLIÆ

CANCELLARIO.

INuiti facimus, honoratissime Domine, vt tibi tantam regni molem soli ferè sustinenti, vllum nouum onus imponamus. Veteres tamen vexatores quietis nostræ Oppidani Cantabrigiæ, eò nos compellunt, vt hoc tempore, tempora tua paululùm morari cogamur. Cogimur autem iniusta illorum operâ, & eò iniustiori, quò illi ad magis iustam Reipubl. partem complectendam à nobis hactenùs excitati nunquam fuerint, nempe vt pacem regiam inuiolatam nos inter nos conseruaremus. Res hæc est. Chartam habemus ab Henrici III vsque temporibus deductam, perpetua deinceps Regum authoritate firmatam, & longo seculorum serie in an-

nuo vſu apud nos poſitam, vt ſingulis annis Viceçancellarius & Præfectus vrbis ad dictum diem & locum coïrent, quo iuſiurandum à certis Scholaſticis & Oppidanis ad pacem quietemque publicam tuendam exigerent. Ex Oppidanis duo Aldermanni, & ex ſingulis parochiis duo alii requiruntur. Hoc anno nec Aldermannus vllus, & vix etiam ex grege populi quiſquam alius, perduci potuerat, vt hoc faceret, cùm illud tamen, vt facerent, Viceçancellarius ſæpè Regis nomine poſtulabat. Quod nomen Regis, ne publica authoritas contemnatur, in omnibus iuramentis veluti ſacramẽtum quoddam interponi putamus. Vniuerſam rem in longam verborum diſceptationem productam, breuibus complecti literis non poſſumus: fidem propterea vt huic nuntio noſtro graui viro adhibeas, etiam atque etiam rogamus. Vnum tamen hoc verbum vt animo figas, vel potiùs memoriæ tuæ reuoces, vehementer cupimus. Fuit tempus, cùm Oppidani noſtri, metu Scholaſticorũ, ſe probè in officio continerẽt: nunc autem, cùm nos ſic ſumus, & eò ſtatus Academiæ deuênit, vt nullus metus à nobis immineat, nulla nocturna graſſatio illorum ferociam comprimat: eò iam ſeſe efferunt, vt quod anteà non ſperare, hoc iam palàm audere, & cuncta pro libidine miſcêre non verean-

tur.

tur. Nos contrà nihil præsidii in domesticis fortunis ponimus, sed nos totos æquitatis tutelæ, hoc est, tuæ prudentiæ iampridem tradidimus. Quod sanè consiliũ nostrum in hanc spem nos perduxit, vt nunquam possit esse tàm proiecta Oppidanorum audacia, quæ authoritate tua non reprimatur: nec Academiæ salus tam iacens & deposita, quę ope tua non facile erigatur. Faxit Deus opt. max. vt te summum Principi Consiliarium, patriæ Cancellarium, literis Patronum diutissimè conseruet.

HONORATISSIMO VIRO D. TH. WRIOTHESLEIO, ANGLIÆ *Cancellario magno, Academiæ Cantab. & literarum patrono maximo.*

Pro Academia.

EX literis quas nuper ad Academiam, Regiæ Maiestatis Consiliarii dederunt, intelligimus, clarissime vir, quantum Oppidani nostri, conatu quodam nouo, sed antiquo suo more & instituto, laborauerunt, vt omnis illorum sumptus in rem militarem faciendus Academiæ æquè ac illis imponeretur. Quæ caussa illorum constare minimè potest, cùm ea omnis duplici fundamento nititur; quorum alterum verum non est, alterum admodum imbecillum est. Nam, quod de consuetudine adferunt,

quantum nos ex his, qui multa prouecti ætate, multos annos in Academia permanserunt, elicere quimus: vel quantū ex omni superiorum temporū memoria, & monumentorum nostrorum omniū antiquitate colligere possumus, nihil tale vnquam in vsu apud nos positum fuit. Ex illo verò decreto, quo Academiam, ad eum, cum Oppidanis, sumptum partiendum teneri contēdunt, faciliùs coniicere possumus, quanto studio veteres illi vexatores quietis nostræ, ad Academiā perturbandā incūbunt, quàm quid Academia & Musæ ad belli vires sustentandas conferre vllo modo debeant. Quod profectò decretum, si pro ea re vnquam quicquam facere potuisset, certe Oppidani nostri, homines ad suam rem tam attenti excubatores, in Academiam tam intenti semper aduersarii, in tanta temporum opportunitate, in tam iusta (vt ipsi ferunt,) caussa, (cum & iniustissimam quamque attentare audeant) tam diuturno silentio obrutam delitescere minime permisissent. Quamobrem Academia cum omni literarum ratione, ad te vnum conuersa (cui vni quàm vniuersis aliis se chariorem intelligit,) partim tibi vt alumno suo, cum authoritate imperat: partim, vt patrono summo, demissè & humiliter supplicat: vt eius decus atque dignitas omnis,

ab o-

ab omni bellicarum rerum motu immunis & calumniatorum ſtrepitu ſecura, in tui vnius gratia, ope, & authoritate conquieſcere poſſit. Oppidani noſtri, qui ſe tam graues aduerſarios ad conuellendam Academiam intendunt, duplici errore hoc faciunt, quorum alter ingratæ impudentiæ eſt, alter miræ cuiusdam imperitiæ eſt. Ingrati enim ſunt, quod eos lædere conantur, quorum vitæ communione, omnis illorum vita continetur. Nam opibus noſtris, vt viuant, ope noſtra, vt bene viuant, facilimè efficitur. Imperiti autem ſunt, quòd dum abducere nos à ſtudio literarum, & rei bellicæ ratione irretiri cupiunt, quantam iniuriam vniuerſæ Reipubl. moliantur, non ſatis intelligunt. Etenim, ſi viderent quod Dominatio tua cum paucis aliis videt, quanta ad puram Religionem retinendam, ad veram obedientiam Principi & magiſtratibus exhibendam, ad omnem denique humanæ vitæ ſocietatem, à ferino ritu & ignoratione ſeparandam in ſe literæ momenta haberent, nequaquã nos vlla belli curatione à ſtudiis literarum diſtraherent: ſine quibus, nec quando bellum iuſte ſuſcipiatur, nec quando pax ritè conſtituitur, vllo modo cognoſci poteſt. Itaq; cum Princeps noſter grauiſſimus, hoc Reipubl. ſuæ munus Academiæ imponit, vt omnis cogitationis & doctrinarum

genera, ab ea, tãquam è fonte quodam profluant, quæ posteà in reliquas regni sui partes diffusa, sinceram Religionem, omnium officiorum ordinem & descriptionem, virtutis morumque probitatem progignant & conseruent: precamur à te, prudentissime vir, vt ope ac consilio tuo, Academia nostra non distrahatur ad alias quasuis Reipubl. partes, sed totam sese ad eam grauissimam Reipublicæ prouinciam exornandam tradat & accommodet, quam Princeps non sine magno consilio imponit, & ab ea semper non sine magna expectatione requirit exigitque. Quo beneficio tuo, non solùm Academiam, nos omnes & ipsas literas; sed Religionem, rectam vitæ institutionem, & reliquam vniuersam Reipubl. salutem, quæ literis aut alitur aut continetur complectêris. Christus Iesus Dominationem tuam diutissimè seruet incolumem. Cantabr. E Senatu nostro.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

E Sacra Scriptura discimus, honoratissime Domine, tùm demum populo suo Deum Opt. Max. vnicè fauëre, cum nõ pueros, sed viros prudentes ad rerum publicarum gubernationem diuinitus designasse videtur. Splendor autem & decus pruden-

tis

tis viri nulla alia in re eminentius elucet, quàm cùm tota mente in hanc incumbit curam, vt illa hominum ſocietas, cuius rectionem ſuſceperit, ſumma cum felicitate tranquillam vitam traducat: id quod ſemper euenire ſolet, vbi hominum cùm mens doctrina exculta, tùm reliqua omnis vita publicæ pacis præſidio communita fuerit. Doctrinæ homines, vt homines ſint, & vt germanum humanitatis nomen retineant, ſolæ faciunt. Præſidium pacis ſic homines inter ſe deuincit, vt absque ea eſſet, omnis hominum humanitas in immanitatem belluarum breui prolaberetur. Quantum verò prudentia tua diuina ad hæc duo Reipub. vincula conſeruanda elaborauerit, iucundâ nos profectò memoriâ tenemus, & in literarum monumentis in infinitam poſteritatem transmittimus. Nam ſi ab ipſo primo ortu creſcentis dignitatis tuæ, beneficia tua in Academiam noſtram commemorando perueniremus ad hanc celſam ſedem, in qua nunc collocatus es, ſentiemus, nunquàm tibi aditum patefactum eſſe ad ſublimiorem dignitatem, quin iisdem ipſis gradibus tuis literæ nixæ & inſiſtentes, ad maiorem ſemper ſplendorem & amplitudinem, vnà tecum excitatæ aſpirauerint. Et, vt verè fateamur agnoſcimus bonitatem tuam ſic ſe effudiſſe, ad complecten-

dum omnes partes dignitatis literarum, vt ipsæ literæ ignorent, quid ampliùs à te ad earum conseruationem petere queant, nisi hoc tantum, vt quod semper fecisti, hoc perpetuò facias, vt dum literarum petitiones à tuis meritis vincantur, minimè formident, ne aliorum imperitæ crudelitati subiiciantur. Age igitur clarissime Vir, & perpetuò age, vt literæ in hunc locum, vbi nunc sunt, tua potissimùm opera euectæ, tua itidem authoritate in eodem, cum dignitate sua, & consueto otio, acquiescere queant: quo otio, quo minus more nostro frui liceat, tentatum est per hominem apud nos valde turbulentum, nomine Maxwellum. Res primo aspectu grauis esse non videtur, verùm si attentè consideretur, præterquàm quòd est contra omnem antegressæ memoriæ consuetudinem, sine omni exemplo, contra ius & fas, profectò nisi prouisio huic rei adhibeatur, infinitam perturbationem posteræ vitæ nostræ inuectura est. Hic M. ad vecturam regii piscis, cui præficitur, equos solet, per authoritatem scripti cuiusdam, à certis hominibus ademptos ad hanc vecturam traducere: & nuper, siue imperitus, quantum facere debet: siue improbitate concitatus, ad quicquid ei libet: equum Præfecti Collegii Petri, cui vni propter temperatum & compositum incessum, ad

salu-

salutem suam recuperandam, (quæ valdè hoc anno imminuta est) certis temporibus consueuit, in ipsa p latea, vbi multi alii fuerunt equi inuito seruo eius, nulla ante pactione cum equi domino facta, abducit: nec id quidem ad vecturam piscis, (nam currus eius iam aliquot horas in itinere progressus fuerat:) sed ad seruum eius vehē-dum, qui longè post currum insequutus est. Nec huius equi, nec huius Præfecti caussam agimus, prudentissime Domine: agitur caussa omnium eorum qui equos in posterum hîc habituri sunt. Prospicimus iam, nisi hîc homo authoritate tua reprimatur, quò hæc importunitas paulatim serpendo euasura sit. Sentit etiam prudentia tua, quàm insolenter ad vexandum cæteros solet sese iactare hoc genus hominū, si imperita illorum libido nulla prudenti moderatione coerceretur. Cautum enim est nobis antiquissimo Senatusconsulto, ab vsque Eduardo primo nobis confirmato, ne vlla tali in re vexaremur. Quod priuilegiū nostrū, tot seculis, in tam intenta aduersus Academiam, Oppidanorum audacia, in tanta improborum hominum licentia, inuiolatum hactenus & integrum nobis fuit. Rogamus igitur te, per prudētiam tuā, ne subiiciamur istiusmodi hominum intolerantiæ contra priuilegia

nostræ: sed ita in eum animaduertatur, vt omnes tùm quieti tùm turbulenti homines intelligant, quid à Dominatione tua expectare debeant: & quòd, te Cancellario, nec bonis præsidium, ad suorum leuationem deesse: nec malis spes vlla, ad aliorum vexationem, relinqui possit. Rogamus etiam Dominationem tuam, vt huic nuntio nostro viro integro & prudenti fidem adhibeas, qui tibi has & alias res fusiùs possit exponere. Christus Iesus Dominationem tuam ad publicam & literariam rem tuendam perpetuò seruet incolumem.

D. R. RICHE MAGNO ANGLIÆ CANCELLARIO.

QVàm primùm cognouimus te in hanc celsissimam Reipubl. sedem euectum esse, prudentissime Domine, in qua tu sedens habes in te coniectos omnium hominum oculos, in qua tu quamuis Iudex sedens, iudicia tamen aliorum sustinebis & colloquia etiam plurimorum hominum subibis. Ecce Academia Cantab. tibi hanc nouam dignitatem gratulatura, vt debet; & veterem opem suam ex hac sede, quam tu nunc possides, imploratura, vt solet: offert sese tibi inter reliquam hominum turbam, qui salutem suam ex æquitate tua postulant, & expectant. Petit verò vt priuilegia

gia eius in hoc primo Regis noſtri Parlamento confirmentur, ſine quibus nec ſpes literis, nec alacritas ingeniis, nec vlla Academiæ ſalus contineri poteſt. Quid Academia ſit, quam Reipub. partem complectitur, quos & quot viros quotidiè emittit, & in vineam Domini, & in adminiſtrationem Reipublicæ, quantam ſpem optimorum ingeniorum ſuſtinet, & quantam curam ſalutis etiam poſterorum temporum in ſe recipit, prudentiæ tuæ obſcurum eſſe non poteſt. Hæc vtilitas ab Academia ſæpiſſimè percepta, & in vniuerſas veræ Religionis reliquæque Reipublicæ partes latiſſimè diffuſa, excitauit omnes Reges, omnia Parlamenta, omnes Angliæ Cancellarios, in magnam curam procurandæ ſalutis Academiæ noſtræ. Hinc fauor ille, quo noſtra ætate mirificè Academiam hanc complexi ſunt omnes, qui te in hoc officio antegreſſi ſunt: quos cum tu æquas in omni ratione poteſtatis & prudentiæ, ſuperari certè te ab illis in vlla parte voluntatis erga literas, non ſolum obſcuratæ laudis tuæ certiſſimum iudicium: ſed præteritæ etiam alicuius partis officii tui, quod Deo, Principi, & Reipubl. debes, clarum eſſet teſtimonium. Libere, ſed verè loquimur, nec magis ad vtilitatem noſtram comparandam, quàm ad laudem tuam immenſam exci-

tandam. Vtilitatem enim quam nos ex studiis non quæsiuimus, magnam partem iam percipimus, aliorum causa, qui nihil didicerunt, Religionis, Reipub. causa, quibus duabus rebus doctrina plurimum cōfert: ipsius etiam prudentiæ tuę causa, cui Deus & Princeps curam huius rei tuendæ imposuit, potissimum hoc tempore agitur. Age igitur, clarissime Vir, & tantum tribue hiis literis nostris, quantum Respublica, Religio, & prudentia tua literarum studiis tribuendum esse iudicet. Nos D. nostrum Iesum Christū orabimus, vt te nouum Angliæ Cancellarium, nouum, veræ Religionis adiutorem, & nouum etiam Academiæ nostræ patronum diutissimè seruet incolumem.

D. G. PAGETTO REGIÆ FAMILIÆ CENSORI DIGNISSIMO.

PRO ACADEMIA.

SI Oppidani nostri, prudentissime vir, vel iurisiurandi quo se obstrinxerint: vel Academiæ tranquillæ lenitatis, qua nunc vsi fuerint: vel horum Reipubl. nostræ temporum, vel tuæ dignitatis, & reliquorum Regiæ Maiestatis Consiliariorum vllam rationem habuissent: aut nullas hoc tempore, aut certè alias literas ad te scripsissemus. Sed cùm tempus nunquam fuit, quando oppidani nostri vsi sint mitiori Academia, cùm

nullus

nullus metus à nobis immineat illis, nulla nocturna grassatio, nulla iuuenũ ferocia eos interturbet, & cùm hac nostra lenitate nõ contineantur, sed hinc potius sumpta occasione, in quamuis audaciæ libidinẽ sese effundant: cogimur, profectò cogimur, cum nihil præsidii in domestica ope iam aliquot annos posuimus, Academiæ salutem prudentiæ tuæ tradere & commendare, vtpote in cuius vnius authoritate & consilio acquiescere cogitamus. Hiis proximis superiorib. Nundinis nostris, Procuratores nostri multorum bonorum virorũ vocibus & querelis excitati, certa quadam nocte peragrârunt suburbana loca, & reliquos Nundinarũ recessus atq; latebras, in quas abdere sese solet magna nefariorum hominum eluuies, qui hoc semper tempore in has cõfluunt Nundinas & magna, turba deprætẽsa, in hiis etiam facinoribus, quæ honestè nominari non possunt, ad Maiorẽ (qui vocatur) Oppidi Procuratores veniunt, clauẽ communis carceris petituri. Maior autem, nouâ audaciâ, absque omni more: nullo exemplo, contra omnia priuilegia: quib. cõseruandis ille ipse singulari iureiurãdo astrictus est, clauẽ denegat: qua causa commotus, non intelligimus, nisi ægrè ferat hanc perditam malorum intolerantiam legibus coercêre. Procuratores nostri hoc exclusi

carcere, ad Castellum (vtroque enim loco arbitratu nostro vti per priuilegia licet,) sese conferunt: vbi in carcerem datis nefariis illis quos adduxissent, ecce tibi post vnam aut alteram horã, Maioris filius maiori certè insolentia, quam pater, agitatus, hos omnes è Castello abducit, & ad pristina scelera, cum noua spe, cum nouis animis, fractis legibus, contemptis magistratibus, derisis bonis illis viris, quorum querelâ compræhensi sunt, liberrimè remittit. Importunam huius facti indignitatem disertis verbis vrgere nec possumus, nec volumus, prudentissime vir: hoc tamen planè & simpliciter dicimus: Si hæc iuuenilis licentia, si tanta improborum impunitas contra salutem Reipubl. contra tot Regum priuilegia, tot Parlamentorum consilia, in hac nostra lenitate, sub hac tua authoritate in hiis Reipub. temporibus, cùm domestica omnia quietissima esse debent, aut regi sine animaduersione, aut defendi ad nouam licentiã potest: quò fluet audacia, quò prorũpet vis, quid audebunt mali, quid non audebũt improbi, aut quid in posterũ sperabũt boni & quieti, nõ videmus. Agnosce igitur caussam nostram, clarissime vir, & authoritate tua perfice, vt hii homines sentiant, quid sit leges violare, ius iniuriis perfringere, impunitatem alere, potestatem non vereri. Ex

quo

quo facto tuo vniuersi homines intelligent, per te effectum esse, vt posthac nec malis spes vlla ad alios vexandos relinqui: nec bonis præsidium, ad sese defendendos, deesse possit. Hanc rem fusiùs, & alias etiam Academiæ causas tibi explicaremus, nisi hi graues viri, qui has perferunt literas, id coram sermone opportuniùs facerent, quibus vt fidem adiungas, rogamus. D. Iesus, &c.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

CVm studium tuum, & in hac Academia nostra complectenda, & in omni Reipub. parte procuranda maius sit, prudentissime vir, quàm vt nos vel hoc augere possimus, vel istud imminuere debeamus: non committemus, vt vel maxima negotia nostra, in hoc minimo otio tuo, longo literarum sermone implicemus. Adferimus igitur tibi, non veterum beneficiorum tuorum recordationem, sed nouorum potiùs nouam quandam postulationem: postulamus enim, vt in hoc Senatu Parlamentario, immunitates & priuilegia nostra, quæ vincula sunt & nerui literarũ, noua Regia authoritate, & nouo Reipubl. consensu possint communiri. Qui mos tuendi dignitatem Academiæ, cum longinquitate tem-

porum, in Parlamentorum omniū primis Comitiis, ab omnibus Angliæ Regib. sanctissimè cultus constāterq; seruatus est, fieri certè non potest, vt literæ hoc tempore sub Eduardo Principe, & Pagetto patrono, nouam aliquā & inusitatam repulsam patiantur. Age igitur, clarissime vir, ac si iudicio tuo literæ sunt, Dei amplissimum munus, Regum optimorū clarissima insignia, florentis Reip. certissima præsidia, age atque perfice, vt ex ope cōsilioq; tuo, magna Academiæ spes, maior Reip. fructus, maxima tibi ipsi laus excitari possit. D. Iesus, &c.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

QVantam diligentiam, ad Academiæ nostræ dignitatem tuendam, hiis superioribus diebus contuleris, & quàm omnis penè literarum salus tui vnius consilio cōtineatur, omnes nos intelligimus clarissime vir: dolemus tamen eā hoc tempore necessitatē nobis obuenisse, vt noua tibi potiùs negotia imponere, quā debitas gratias referre, paratiores esse videamur. Academia enim nostra omnis, frequentissimo Senatu consentiente voce, se, decus, ac salutem suā vniuersam sic tibi cōmisit, vt quicquid prudentia tua in omnibus causis nostris, cū consilio Ioannis Checi, Th. Smithi,

Guili-

Guilielmi Maii, Th. Wendy, G. Cicelli faciendum esse iudicauerit, hoc totum ratum, firmum & conclusum habeamus. Vt hoc negotium à nobis tibi datum suscipias, nõ nos tantoperè ad vsum nostrum postulamus, quantum vniuersa Respubl. & omnis vera Religio efflagitare videntur. Quæ duæ res, sine literarum præsidiis, non decus suum cum summa laude tueri, sed vix mediocrem conditionem sine maxima repræhensione sustinere poterunt. Cur Oppidani nostri nostris postulatis resisterent non videmus: nisi veteri efferantur insolentia, vt literarum commoda, sua ducant semper incommoda: id quod maiori ne malitia faciunt, an imperitia, incertum est: cùm hoc certissimum existit, ex nostræ Academiæ salute, sic omnem Oppidanorum salutem pendêre, vt opibus nostris, feliciter & fortunatè: ope nostra, piè & Christianè viuere perpetuò possint. Præthereà, cùm omnia nostra postulata, à nobis sic instituta sunt, vt vel libido improborum coërceatur, vel æquabilitas moderatorum contineatur, vel vera Religio populo Dei propagetur, & nulla nostra singularis commoditas conquiratur: certè, vt lenissimè loquamur, vel ingrati in Rempublicam, vel impii in Religionem illi homines sunt, qui rem tam vtiliter susceptam, & piè institutam

impedire velint. Perfice igitur, clarissime Vir, quantum tua prudentia perficiendum esse iudicabit, in cuius vnius authoritate, salus Academiæ nostræ hoc tempore conquiescit. Quo nomine etiam atque etiam tibi laborandum est, vt sub te literarum dignissimo patrono, ea dignitas literis restituatur, & ea spes & alacritas literarum studiis proponatur, ex qua tua præcipua laus, certissima Reipub. ornamenta, maxima Religionis præsidia feliciter efflorescant. D. Iesus, &c.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

CVm te virtus tua, & singulare ingenium magnis literarum præsidiis ornatum in summo dignitatis gradu collocauerit, ornatissime Vir, nihil profectò est vel in spe nostra maius, vel in sermone nostro frequẽtius, quàm quod tu perpetuò vis, vniuersam hanc præclaræ fortunæ tuæ dignitatẽ, vicissim ad virtutem & literarum studium conuertere. Et cùm nos omnes intelligimus, quanto fauore, ope, & gratiâ, singulos quosque complecteris, qui literarum nomine à te quicquam petunt: nullo modo sanè diffiteri possumus, quin nos vniuersos, cum vniuersa literarum causa, ad te confugientes: consilio & authoritate tua adiuuare

uare velis. Atque, cum nullum beneficium vel amplius ad splendorem existat, vel latius ad Reipubl. vtilitatem emanet, quam id quod in vniuersos transfundatur: nihil profectò in omnes homines magis vniuersè pertinet, quàm quod nobilem hanc literarum sedē stabilire queat: quæ vel propterea à prudentibus viris Vniuersitas nominata est, quod vniuersa ferè humana vita, salus, vt religio in Deum, obediētia in Principem, ordo & descriptio officiorum, probitas & integritas morum, ex hoc loco, veluti puro quodam literarum fonte, optimè percipi, & abundè hauriri solet. Causa, quam vt tuearis expetimus, huiusmodi est. Sentimus nos teneri eo Senatusconsulto, quo cętera vbiuis locorum in Anglia tenentur Collegia. Atque vt certò scimus, quòd optimè & consideratissimè literarum studiis propagandis consultum prospectumq; fuerit: ita vehementer petimus, ne causa literarum illis hominibus tradatur, qui meliùs cognoscunt, quid pecunia solet facere, quàm quo in loco doctrina debet esse: sed ab hiis, vt tota transigatur, qui ex vtriusque rei natura, vtranque rem probe ęstimare norunt. Nihil aliud in hac causa petimus: quam quod tu ipse literis tribuendum esse iudicaueris. Literæ enim nullo modo fluctuare possunt, si in prudentissima consilii tui gubernatione

V

conquiescunt. Nam minimè existimanimus, quòd tantum possit vllius hominis libido aut potestas, ad prædiola nostra diminuenda, quantum tua gratia valet apud Regiam Maiestatem, & authoritas ad studia literarum adaugēda. Quicquid ergo ad rationes Academiæ nostræ constituēdas allatum fuerit, id primum Regiæ munificētiæ accepium feremus: dein, totum illud. quicquid sit, à tuo cōsilio profectū esse dicemus. Quo beneficio tuo, neq; nobis, ad vsum: neq; posteritati nostræ, ad memoriam: neq; tibi ipsi, ad veram laudem, maius aliud esse potest.

D. WENDÆO.

PRO ACADEMIA.

QVoties tuam olim in consiliis nostris domesticis prudentiam, & singularem nunc in negotiis nostris aulicis diligentiam consideramus, clarissime Vir, toties optimi viri & maximi patroni Academiæ nostræ Guli. Butti memoriam, acerbam animis nostris, sed debitam eius in nos beneficiis renouamus. Sed cùm tu nuper immigrasti in possessionem non solùm ordinis & loci illius, ad tuam dignitatem: sed voluntatis etiam & studii illius, erga nostram Academiā: existimauimus in te Buttum reuiuiscere. Qua cogitatione, nō modo desiderium tanti viri melius toleramus, sed vehementer & tibi,

tibi, propter æqualem dignitatem: & nobis, propter parem commoditatem, gratulamur. Indue totum Buttum ergo, clarissime Wendæe, hoc est, totum animum, studium, voluntatẽ eius erga literas, locũ, gratiam & dignitatẽ eius apud Regem, capesse. Clarior vir ad imitationem proponi, maior dignitas ad laudem requiri profectò nõ potest. Neque hæc scribimus, vt munus videamur suscipere monendi, sed declarare potiùs officium tibi gratulandi, imitantes præclarum illud præclarissimi Poetæ carmen:

Qui monet vt facias, quod iam facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Academia vicissim pollicetur, tibi, eundem animum, eandem voluntatem, qua semper Buttum vnicè complexa est: & hac sanè charitate, nec à te expectari, nec ab illa dari gratius quicquam potest. D. Iesus, &c.

CLARISSIMO VIRO DOMINO Antonio Dennæo, Equiti aurato, *Regis Consiliario dignissimo.*

Pro Academia.

ILlustrior ne sit in te, (clarissime vir,) prudentia, cõsilium, gratia, & authoritas tua, an voluntas, studium, suauissimi mores, & humanitas tua, anceps sanè quęstio inter

omnes esse solet. Sed cùm hæc omnia sunt vel fortunæ ornamenta, vel naturæ beneficia, vel industriæ & laboris tui fructus, ex hiis certè cõmoditatibus quamuis magna, non maxima tamen laus tua efflorescit. Omnium voce & consensu percrebrescit amplia tui commendatio, quam tibi, non auspicio fortunæ, sed ductu Spiritus sancti, in restituenda vera Religione, in procuranda Reip. salute, in tuenda literarum dignitate comparasti. Hæ tres res studia tua sunt, quorum laus in sermonẽ omnium temporum peruolitabit, fructus in commoditatẽ plurimorum hominũ redundabit, exemplum ad imitationẽ optimorum in Reipub. virorum longissimè perdurabit. Et cùm Religio, doctrina, Resp. omnes curas tuas sic occupant, vt extra has tres res, nullum tempus consumas: hoc tempore tamen opus habemus, non vt à te contendamus, sed vt in memoriam redigamus, atque rogemus te, vt opera tua in hiis proximis Regni Comitiis Academiæ nostræ priuilegia, noua authoritate Regis, nouo cõsensu Parlamenti stabiliantur. Caussa (vt tu prudẽter vides Prudentissime Dennæe,) non agitur eorum studiosorum, qui nunc Cantabrigiæ mœnibus includuntur: agitur salus absentium, qui aut ignari, propter insciẽtiam: aut exclusi, propter ætatem, nec agno-

scere

scere quod vtile est, nec petere quod æquũ est, possunt. Agitur spes eorum patrum, qui huc ad studia literarum liberos suos mittere solent: agitur salus etiam posterorum: aguntur ornamenta florentis Reipubl. agũtur præsidia veræ doctrinæ. Caussam hanc vrgêre sanè possumus, sed apud te profectò nolumus: vnam tamen rem in altissima mente tua condere cupimus, nec in tua solùm, sed in eorum omnium, qui hoc tempore Reipublicæ gubernatores à Deo cõstituti sunt: Illa huiusmodi est, ne ea ratio, quę ignorantiam malorum sacerdotum iustissime puniat, optimorum etiam ingeniorum spem à studiis literarum viâ auferat. Hoc remedium nõ malos ad sanitatem adduceret, sed bonos, ad desperationem adigeret. Sed tu hęc meliùs prudentiâ tua complecti, quam nos scripturâ nostra explicare possumus. Quò igitur te ducit cura Religionis, salus Reipu. & vtilitas Doctrinæ, studio, ope, gratia, & authoritate tua incumbe. Dom. Iesus, &c.

EIDEM.

Pro Academia.

CVm nemo te sit (ornatissime vir) vel maiori apud Regem gratiâ & authoritate, vel parat[i]ori erga literas studio ac voluntate, in certã spẽ ducimur, ipsas literas, quas tantùm diligis, à Rege, apud quẽ tan-

tum potes, te præſertim patrono, quicquid impetraturas. Scis quòd fortunæ & facultates noſtrę vniuerſæ, Regię poteſtati ſeſe tradiderint. Prudentes viri, qui prudentiã Regiæ Maieſtatis mirifico ardore ad fouendas literas incenſam intelligunt, non hinc metum vllum literis imminêre, ſed perpetuam quandam ſecuritatem eiſdem comparari, & ipſi planè proſpiciunt, & cunctis palàm promittunt. Plerique tamen homines, (quia homines ſunt,) & hoc rerum motu vehementer tanguntur, & magno perculſi metu verentur ne quidã dulcedine prædiorum noſtrorum illecti, plus ſuis rebus ſtudeant, quàm, quid literis fiat, laborent. Aditum omnem iſtis hominibus irrependi in prædia noſtra præcludi vehementer optamus. Quod fiet, ſi non permittantur literarũ negotiis ſeſe immiſcere: ſed tota hæc res illis cõmittatur viris, qui quantũ doctrina in omni Rep. valeat, ad ſocietatẽ hominum, ordine, moderatione, & humanitate deuinciendam, prudenter intelligunt. Nã ſi hæc parua prædiola noſtra, quæ reuera nerui ſunt ſtudiorum, vllo modò præciderentur, quàm præſens literarum interitus conſequeretur, tuipſe, prudentiſſime Dennæe, planè vides. Scis enim literarum initia à parentibus imperitis ortum habere: hi liberos ſuos literarum ſcholis committũt,

non

non præstantiâ doctrinæ excitati, sed spe vitæ fortunatæ consequendæ allecti. Si præmia tollas, concidit parentum spes: & sic ingressione, omnis via literis obstructa est. Quamobrem, nisi certa literarum præmia, infirmam parentum spem concitauerint, omni fructu, qui ex doctrina percipi solet, Respubl. carebit. In hoc rerum metu, quo pleriq; circumfusi sunt, maturũ remedium cum magna celeritate expectamus. Eò enim res redit, vt vix vlli ad Academiam veniendi spem, & admodum pauci diutiùs in Academia manendi alacritatem habeant. A te petimus igitur, ornatissime Vir, vt gratia & ope tua eueniat, primùm, ne nos cum nostris fortunis, quibusuis hominibus committamur: deinde, vt aliqua etiam in hiis rebus conficiendis celeritas adhibeatur. Quo facto, parentum vota meliore spe allicies, adolescentium ingenia alacritate acues, ornamenta literarum, quasi de integro, excitabis, & perpetuam tibi ipsi laudem in omnium memoriam comparabis. Deus, &c.

EIDEM.

Pro Collegio.

TVam in Deum pietatẽ eximiam, singulare in bonas literas studium, egregiam & planè summam in egenos quosque subleuando charitatem, atq; amorem abundu-

tissimum, vt sæpè ante hæc (amplissime Vir) auditione quidem accepimus, ita nunc re experti, eorum omnium testes constantes sumus, rati nihil tam magnifice dici posse, istis in rebus, id quin tua virtus multis partibus superet. Nam quod scholam nostram Sedbariensem iam nutantem, imò dilapsam, & planè desperatam, vigilantiâ & industriâ tua assidua tàm mirabili modo recuperaueris, non modò superiorem fundorum venditionem impediendo, verùm etiam diligentissimè præcauendo, nè in simile posthæc periculum deueniat: in ea re egregiè ostendisti tùm quantopere pietati faueres, tùm cuiusmodi sis doctrinæ patronus, tum qualem te habeant adiutorem, & quam insignem defensorem, omnes tenuioris fortunæ & pauperculi homines. Hęc cùm ita sint, & re multò maiora, quàm vt vlla par oratio reperiri possit, certè vno ore omnes cōfitemur, beneficium nos magnum de te accepisse, & pro hoc summo maximoque officio tuo in nos, gratias sanè maximas animo gratissimo libenter habemus. Nec solùm dignitati tuæ obligatissimos reddidisti, quos tanto munere auxeris: sed patriam illam communem, inopem & longinquam, de qua nunc optimè meritus es, quæ fructum huius rei cumulatissimè sentiet, preces ad Deum facies perpetuo fundere:

imò

imo ne dum natos pueros, qui ex ista schola emittentur, & per te optimam educationem assequuturi sunt, immortali hoc beneficio in perpetuum obligabis, tuæ Dominationi semper fore deuinctissimos. Dominũ Iesum precamur, vt (quemadmodum feliciter iam diu cœperis) omnia pia studia, & bonas caussas grauiter promoueas, sic progrediare in dies in consimilibus adiuuãdis: ita fiet, vt toti Reip. corpori sis ornamento non vulgari, piis solatio summo, Academiis patrocinio maximo, Collegio nostro adiumento incredibili, tibi ipsi commẽdationi singulari. Cantab. E Collegio nostro D. Ioannis. Anno 1549. Martii 9.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. THOMÆ *Westmonasteriensi, summo Academiæ nostræ & literarum patrono.*

PRO ACADEMIA.

INdigentia petendi pudorem abiicit, & sapientia honestas petitiones non repudiat: cùm igitur talibus animi ornamentis Dominatio tua abundet, vt propter magnitudinẽ sapientiæ tuæ & eruditionis, in summo loco & dignitate collocatus sis, arbitramur neq; authoritati tuæ facultatẽ neq; sapientiæ tuæ studiũ deesse, vt Academiæ inopi & miseræ opem & præsidium afferas. Nam de

qua Dominatio tua florẽ: e gloriari poteſt, quaſi patria ad procreandum, & parente ad educandum: de eadem afflicta & egente Dominationem tuã laborare par eſt, quaſi digna quæ adiuuetur, & idonea quæ exornetur. Tres ſunt res, quas Vicecancellarius noſter, Academiæ nomine Dominationi tuæ commendabit: Cauſſam priuilegiorum, & exequiarũ Regis Henrici VII. pecunias, & Franciſcanorum ædium comparationem; in quibus rebus promouendis Dominationem tuam obſecramus, vt Academiam reſpicias & illius ſalutem in his reb. poſitam & conſtitutam putes: quibus ſi deficiatur, non creſcere literæ & florere, ſed ne cõſiſtere quidem aut permanere poſſunt. Priuilegia ab Oppidanis oppugnãtur, decem minæ pro exequiis nobis detrahuntur, in Franciſcanorum ædibus comparandis magno labore paruas progreſſiones fecimus: priuilegiis noſtris ſalus Academiæ, & tranquillitas literarum continetur. Pecuniæ illæ nerui ſunt & quaſi firmamenta noſtræ Reipubl. Franciſcanorum ædes non modo decus atque ornamentum Academiæ, ſed opportunitates magnas ad Comitia & omnia Academiæ negotia conficienda habẽt. Hæc cũ Dominatio tua plane cognita & perſpecta habeat, ſperamus te neq; trãquillitatem noſtrã Oppidanorũ libidinẽ

conceſ-

concessurum, nec non effecturum, vt pecuniam illam antiquam, ad Academiæ inopiam recreandam, retineamus, & ædes Franciscanorum ad dignitatem & vtilitatem Academiæ obtineamus. Indignum est enim priuilegia nostra, à sapientissimis Regibus perpetuò concessa, illorum imperitiæ permittere, qui nos euertere conantur: quibus euersis, ne illi quidem incolumes esse possunt. Inutile est pecuniam nostram auerti, quâ solâ omnes Academiæ sumptus sustinemus: & aduersus omnes iniurias nos defendimus. Infructuosum est omnes facultates nostras, omnes opes, omnes copias in vnam rem, Academiæ honestam atque vtilem, consumptas esse, & eodem semper reuolui nihilque proficere. Quod si (quemadmodum speramus te facturum,) Dominatio tua hæc tempora Academiæ, quanta sint consideret, & ad eam defendendam atque adaugendam animum conuerterit, & aduersus Oppidanorum impetum authoritate ad pecunias retinendas, consilio & sententiâ ad ædes illas consequendas, fauore & gratiâ iuuare velit, speramus paucis diebus res nostras afflictas ac desperatas, ad florentem iterum & illustrem statum reducendas esse. Quod vt fiat, magnopere à Dominatione tua precamur. Dominus Iesus Dominationem tuam diù nobis ser-

uet incolumem. Cantabrigiæ. E Senatu nostro, 19. Ianuarii.

EIDEM.

PRO ACADEMIA.

CVm Regii Consilii authoritas, de nouo militum delectu habendo, ad nos perueniret, eiusque rei procuratio summis & optimis viris traderetur, vt toto hoc comitatu Cantabrigiensi conquirerentur, quia nulla nos exceptione excludebamur, eius mandati ius ad nos etiam putabant peruenire, institueruntque, vt reliquorum, sic nostrorum hominum delectum habere: quod cùm nos animaduerteremus, & superiorib. temporibus, simili in caussa, Regiæ Maiestatis Consilio essemus liberati, putauimus nostris rebus accommodatum fore, si qua immunitate eramus exclusi, eandem illis ostenderemus, quam quidem perhumaniter accipiebant: libenterque se aiebant hoc nostræ libertati condonare velle, si vestræ etiam authoritatis testimonium accederet. Quare pro singulari tua beneuolentia erga nos, magnopere à te contendimus, vt exigui laborem temporis, in voluntate tua erga nos declaranda, impartias, & vt eadem nobis conditio remaneat, qua semper ante hoc tempus, & superioribus annis Regii Consilii decreto vsi sumus. D. Iesus ampli-

tudi-

tudinem tuam diutissimè seruet incolumē. Cantab. E Senatu nostro. 19. August.

COLENDISSIMO VIRO N. Collegii Divi Ioannis Evangelistæ Magistro.

PRO COLLEGIO.

AVdiuimus literas tuas colendissime Vir, datas (vt putamus) 14. Nouemb. Audiuimus quidem, & id semel, sed tanta cum animi nostri acerbitate, quantum nec tu opinione tua concipere, nec nos literis nostris exprimere possumus. Quatuor Seniores profecti sunt ad Magistrum Crosseum petituri has literas, vel ad vnā horam: quod cùm denegatum est, vel saltem, vt relegerent, petierunt: neque hoc sanè concessum est. Veremur tamen, nè hæ literæ tuæ hiis hominibus sæpè & libere perlegantur, qui non multùm nobis, & minimè tibi fauent. Hoc modo impediti sumus, quò minùs plenè tibi scribamus: satis tamen superque satis habemus, quod scribamus, & maluimus gratias tibi agere pro hoc studio tuo, quo Collegium indies iuuas, (quod debemus, & quod etiam facimus,) quàm acerbitates animorum nostrorum ostendere. Quieti fuimus, tranquilli, læti, abditi in optima studia nostra, Deum testem inuocamus, antequam tuæ literæ nos coniecerint,

in nullum certe tumultum, sed in maximum profectò mærorem. Nullum factum nostrum commeruit tam acerbas literas tuas. Faudingus, piè, Christianè, tranquillè, quietè erudiuit iuuentutem nostram in aurora, vbi sanè nos omnes, quotquot adfuimus, summo gaudio perfusi sumus, postquam semel gustauerimus quid sit Deum in spiritu & veritate colere: & exoptamus vt hoc semper nobis fiat: tantum abest, vt eius factum vllo modo damnemus. Sunt qui obedientiam magistratuum nobis obiiciunt, fuerunt etiam qui dixerunt, non es amicus Cæsari. Vtinam non eodem modo ab vtrisque hoc dictum fuisset. Vtinam corda & nostra & illorum (inuiti his verbis vtimur) ita reuelata essent, vt quem animum erga Principem nostrum, & eius leges, vtrique nos gerimus, palam patefieret. Rogerus Hutchinsonus, & Thomas Leuerus, duo viri & docti, & graues, & pii, disputabant an Missa sit Cœna Dominica: Sacramentum eucharistiæ reuerendissimè perlaudabant, ne verbum apud nos de hac re, quidam, nescimus quid, nec quos, in oppido loquuntur de hac re: & propterea, nè videamur sic disputationes nostras in angulos compingere, vt lucem & conspectum hominum ferre non possint, communi cōsilio, communibus studiis, communibus

preci-

precibus apud DEVM, nos inter nos constituimus, hanc ipsam propositionem in publicas scholas adducere: quod iam fecimus, vt doceamur quid pro Missa, quæ sic possidet conscientias hominum dici potest. Rem (DEO volente & adiuuante) sic tractabimus, vt nec vera Religio iacturam, nec hoc Collegium scandalum, nisi à certis hominibus, qui neutri fauent, patiatur. Hoc faciemus non fisi eruditione, quam non agnoscimus: non ætate, non gradibus: sed fisi spiritu eius, qui potest omnem imbecillitatem corroborare. DEVS veritatem suam miris modis promit mundo, & propterea est admirabilis in omnibus factis suis. Obedientiam magistratuum nos summopere amplectemur, & credimus quod illi probabunt factum nostrum, si nos conscientias hominum primum aramus & colimus, vt illi postea opportuniùs optimas leges sciãt. In solo inculto nihil seri potest. Hoc magnum est, licèt paucis verbis compræhensum est. Et, si vlli operarii tempestiuitatem vrgere debent, Academia certe debet, & in Academia nulli ante nos. Quietè, Christianè hoc instituimus, & in Domino progrediemur, & in eo fulmina Papistarum omnium contemnimus. Tu absens es, nec particeps eris nostræ stultitiæ: libenter (nisi tu aliter vis) declarabimus, quantũ tu à no-

bis discrepas. Sed interim, hoc nos omnes vehementer perturbauit, quòd de te iactauit in prandio M. B. nempe te non multùm curare, si nostra causa ponas hunc magistratum, quem geris apud nos, cum summa nostra voluptate & voluntate. Quinam nos sumus? Aut quinam illi sunt? Quæ studia, qui fructus virorumque? In quibus residet laus & doctrina huius Collegii? Per quos instituitur iuuentus? Qui solet hoc facere? Qui volunt? Qui possunt? Qui faciunt? Vitæ modestiam & honestatem circumspice? Quid si vnus aut alter ex nobis nimis præceps & vehemens est, hoc omnibus imputas? Audi quid dicimus. Habes tu hîc chorum talium virorum, qui si dissipatus fuerit, talem vix iterũ in hoc colliges. Sunt certè qui non maximam alacritatẽ habent hîc manendi, interim tamen sic tibi (propter Dominum parebunt, vt cùm abierint, tum senties, quales viros & certos amicos in hoc Collegio olim habueris. Dominus te (colendiss. Vir) diutissimè seruet incolumẽ, & nos precabimur Deum, vt quod in nobis incœpit, hoc sua potentia perficiat, quod erit, speramus, & Deo gratum, & Ecclesiæ Dei vtile, & huic Collegio commodum & honestum.

D. IOANNI CHECO REGIÆ Maiestati a privato cubiculo.

Pro Collegio.

EX vniuersis ornamentis tuis (clarissime vir) quæ aut tributa à naturâ, aut comparata industria, aut fortunâ donata sunt, nullum sanè existit vel illustrius ad laudem, vel maius ad admirationem, humanitate & beneuolentiâ tuâ. Reliquas omnes virtutes tuas vel cum quibusuis hominibus communes, vel pares cum multis, vel mediocres cum plerisque possides: in ista autem humanitatis laude paucissimos pares, nullos te superiores habes. Quæ quidem humanitatis tuæ laus, quanto magis cætera ornamenta tua splendore & dignitate antecedat, tantò sanè diligentius elaborandum est, vt hac virtutis gloria, amplitudini tuę maior dignitas indies accedat. Quanta sit autem huius virtutis vis, ad conciliandos hominum animos, & æternam nominis gloriam comparandam, tua prudentia (clarissime Vir) faciliùs cogitare, quàm nostræ literæ declarare possunt. Nos verò Collegii Ioannis socii, & discipuli vniuersi, quia maximos semper beneuolentiæ tuæ percepimus fructus, & nunc plane videmus quantum tibi curæ sit de nobis, quantum

Collegii nostri causam tanto cum studio, apud Dominum Protectorem promoueas, cogimur profectò (nisi ingratissimi haberi velimus) hoc, quodcunque est, testimonium voluntatis nostræ ad te mittere. Et quanquam graue est petere quicquam graue ab eo, de quo quisquam benemeritum se putet, ne id quod petit exigere magis quàm rogare videatur: tamen quia tua in nos & clarissima & maxima extiterunt beneficia, estque animi ingenui cui multum debeas, eidem plurimum velle debere, petimus à te, vt, quos cepisti labores cum eximia laude tua, in Collegio nostro, virtute, literis & opibus adaugendo, eosdem ad maximam tui nominis dignitatem, & Reipubl. nostræ amplissimum fructum, ad exitum & finem perducas. Dominus Iesus te omni splendore augeat, & nobis diutissime incolumem seruet.

D. A. MARCHIONI BRAND. SENIORI IN PRVSSIA.

Pro Gul. Watsono.

ILlustrissime & excellentissime Princeps, Domine honoratissime. Pro summis Excellentiæ tuæ in me iam sæpè collocatis beneficiis, & gratias, quas habeo maximas, in præsentia libenti animo ago, & omnia mea deinceps in posterum officia, paratissima volun-

voluntate Amplitudini tuæ offero & addico. Ista bonitas Amplitudinis tuæ, anteà sic mihi cognita & experta, facit, vt non solùm libenter, sed etiam audacter iam petã à vestra Excellētia, quod Amplitudini vestræ ad concedendũ valdè facilè, mihi vero meisq; rebus ad accipiendũ, ita necessarium erit, vt nouus cumulus ad vetera beneficia in me sæpe collocata accessisse videatur. Peto igitur summoperè à vestra Amplitudine, vt libera mihi vestra facultas concedatur ædificandi quatuor naues in vrbe vestra Regiomontana: vtque ad eã rem perficiēdam, integrũ mihi sit, vestro bono fauore atq; gratia, eò adducere fabros & architectos Anglos qui periti sunt construendarum nauium ad morem & vsum Anglicanũ: vtque mihi liceat prætereà in illa vestra ditione materiẽ ad id aptam, iusto pretio emere, & operam etiã subditorum vestrorum, qui gnari sunt illius artis, communi mercede conducere. Si hoc beneficiũ mihi meoq; nomine, meis procuratorib. vestra amplitudo concedat, quicquid erit in Anglia quod vestræ Excellētiæ aut voluptati aut vsui esse possit, quod mea diligentiâ perquiri, aut meis fortunis comparari queat, tantũ in ea re nauabo & perficiam, quantum (vti spero) me & memorem talis accepti beneficii, & paratissimũ deinceps ad omne genus reliqui officii

vestræ Excellentiæ præstandi ostendet & declarabit. Responsionem fauoris & gratiæ vestræ Amplitudinis plenam cupidè expecto. Deus longissimam vitam, & felicissimum rerum successum vestræ Amplitudini concedat. Lond. 6. Aprilis.

DOMINO ALBERTO MARCHIONI BRAND. SENIORI IN *Prussia.*

PRO GVL. WATSONO.

ILlustrissime & excellentissime Princeps, honoratissime Domine. Literas Excellentiæ vestræ, vndecimo Iunii, Montiregii datas, accepi: Ex quibus literis duplicē cepi voluptatem: primùm, quod ex his literis intellexi, meas, 6. Aprilis, Londini datas, ad manus vestræ Excellentiæ peruenisse; deinde, vestram Excellentiam petitionē meam de quatuor nauibus istîc ædificandis, clementer benignéque mihi concessisse. Eo animo accipio hoc beneficium, vt summoperè mihi laborandum esse putem, vt quēadmodum ego nunc expertus sum vestram Excellentiam munificentissimū esse Principem, sic vestra Excellentia aliquando sentiat me esse virum & gratum, & tanti beneficii non immemorem. Quod, vt verbis nunc libenter ostendo: sic re ipsa, breui (Deo volente) idem declarabo. Conditiones omnes

omnes, quas vestra Excellentia scribit mihi esse sequendas in ædificandis hiis quatuor nauibus, & accipio libenti animo, & præstabo certissima fide: ita, vt nec cuiquã priuato viro, nec ipsi Reipubl. occasionem daturus sim iustè in hac re de me conquerendi. De incommodo vllo, vel periculo minimo expectando, vel Regi Daniæ, vel vllis vicinis vestris, ex ædificatione harum nauium, non est, vt vestra Excellentia quicquã timeat. Nullius enim non leuis rumor, sed ne minima quidem suspicio vllius motus contra quenquam in hoc regno Angliæ existit. In qua re fidem mihi velim vestra Excellentia habeat, in cæteris verò meis rebus omnibus, summo studio rogo, vt procuratori meo eandem fidem vestra Excellentia tribuere dignetur, ac si ego præsens isthîc essem. Deus, &c.

REGIÆ MAIESTATI.

PRO PAVPERE BVRGVNDO.

CLementissime Princeps. Seruiui hîc in Anglia multos annos: duobus Cæsareæ Maiestatis Oratorib. D. Eustathio Chappio & D. Franc. Delpho. vterque in patriam reuersus, intestato moritur: quo fit, vt ad me ex longa seruitute nihil, præter senectutem & inopiam, perueniret. Itaque, nisi solamen senectuti, & subsidium inopiæ mox

tua diuina bonitas attulerit, spes mihi reliqua nulla omninò est. Natus sum in Burgundia: consumpsi & mea omnia & me ipsum in Anglia. Respice ergo (clementissime Princeps) me, non naturâ solum, sed fide atque voluntate, obedientissimũ subditum tuum. Deus mihi spem, & bonitas tua mihi animum auget, vt ego tuus subditus, ad te Principem meum confugiam: non ex iure & merito meo, sed ex gratia & beneficentiâ tua, quicquid facies, facturus es. Exiguum quiddam mihi, hac oppresso miseriâ magnum solamen adferet: propterea, quantum egemus & fidelis subditus ab optimo Principe suo expectare queat, tantum mihi inopi seni, ex tuâ clementiâ polliceor. 15. Iul.

D. ANDREÆ BYLDE, SERENISSIMI REGIS DANIÆ CONSILIARIO.

PRO D. CANCELL. IN gratiam Tho. Banisteri.

ILlustris & magnifice vir. Serenissimus Rex noster, serenissimaque Regina scripserunt ambo nuper ad illustrem Principem Regem Daniæ in fauorem Th. B. ciuis Londinensis: id quod vterque fecit & libenter & studiosè, cum propter æquitatẽ caussæ, tùm propter probitatem viri. Ipse quoq; eadem de caussâ eundem virum, vestræ prudentiæ libenti animo & magno studio cõmendo. Itaque,

si T. B.

si T.B. vestro consilio, vestraque ope atque gratia, apud serenissimum Regem D. ad explicandam suam caussam (meo rogatu) vti possit, libenter ego vicissim, quicquid aut grati vestræ amplitudini, aut commodi cuiquam (vestro nomine) facere queam, præstiturus sum. 2. Apr. 1555.

Pro T. Banistero.

AD SENATVM GEDANENSEM.

MAgnifici viri. Et gratias vobis pro vestro fauore, & laudem etiam pro vestra æquitate, libenter tribuo, quàm in cognoscenda explicandaque caussa C.B. mercatoris Angli adhibuistis. Ea est huius viri perspecta probitas, vt ego ipse illius caussa valdè libenterque velim. Itaque cum intelligerem eius aduersarios tam importunos & turbulentos esse, vt in prudentissimi Senatus vestri iudicio & æquitate acquiescere nõ possint, quin à vestra sententia tam ritè acta & iustè lata, ad authoritatem Regis Poloniæ prouocent, scribendum vobis esse duximus & à vobis petendum id, quod, me etiam tacente, libẽter facietis, vt cum illius caussa, & vestra sententia in idem discrimen adductæ sunt, vtrique patrocinari iam velitis: quod factum vestrum & vobis laudabile, huic vero optatum, & mihi valdè gratum

futurum est: quemadmodum facilè sentietis, quando idonea aliqua opportunitas aut gratificandi vobis, aut commodandi vestris, mihi oblata fuerit. Valete. 22. Martii.

Pro D. Cancel. in gratiam C. B.

REGIÆ MAIESTATI.

SErenissime Rex, & Princeps clementissime. Cum libertatem marito meo, & meum maritum mihi restituisti, te vitam denuò vtrique dedisse, ambo libenter prædicamus. Et cùm mortales omnes, suos propterea venerantur parentes, quia dulcissimum lucis aspectum ab eis acceperunt, in loco certè parentum, vt tuam Maiestatem habeamus, arctissimo vinculo non necessitatis nostræ, sed paternæ bonitatis tuæ, in perpetuū deuincti & obligati sumus: quanquam hoc etiam nomine, plus tibi quàm parenti suo debeat maritus, quia vitam ipsam, quam parentis offensa abstulerat, tua reddidit bonitas & indulgentia. Et quia hæc vita quam tu solus dedisti, sine victu, vitalis esse non queat: certè, cùm hoc quod maius est, atque adeò maximum munus accepimus, de minori quidem beneficio si dubitaremus, nimis sordida nimisque maligna de tua Regia munificentia, nostra esset cogitatio. Postulata nostra non sunt magna, nec maiora quàm in præsentia retinemus.

mus. Non plus requirimus, quàm nunc habemus, habendi autem alium modum solummodo postulamus. Modus autem huiusmodi est. Ego, propter mariti offensam remota fui, & id quidem iure huius regni, ab omnibus prædiis & bonis meis hæreditariis: Regina tamen, pro sua diuina clementia, quanquam ius prædiorum amisissem, fructum tamen eorundem integrum mihi benignè elargita est, & liberaliter concessit. Postulo igitur suppliciter, vt quemadmodum fructum meorum per Reginæ clementiam retineam, sic ius etiam eorundem per tuam regiam bonitatem recuperem. Et hoc quidem necessariò postulo. Nam, dum hunc fructum sine iure veteri capio, vitam sine fide aliqua inter homines dego. Nemo mihi nec mutuum dare, nec vendere quicquam, nec mecum commercium vllum exercêre libentèr vult, in hac mea mearum rerum incerta possessione. Itaque, vt nos, qui quasi nouæ vitæ vsuram à tua clementia cepimus, veteris etiam vitæ nostræ libertatem, vt per tuam bonitatem recuperemus, supplices prostratique postulamus: id quod, vt per literas patentes magni sigilli huius Regni consignatas firmum ratumque habeatur, suppliciter etiam rogamus. 22. Febr.

Pro Domina E.T.

X

REGIÆ MAIESTATI.

SEreniſſime Rex, Domine clementiſſime, Henricus octauus clariſſimæ memoriæ Princeps, pro meo ſeruitio, fide, & obſeruantiâ illi præſtita, annuum ſtipendium quadraginta Marcarum mihi, quãdiu viuerem, & benignè conceſſit, & liberalitèr largitus eſt: hæc pecunia integrè mihi pleneque perſoluta eſt, per Theſaurarium regiæ cameræ, vsq; ad quintum annum regni illuſtriſſimi Regis noſtri Eduardi ſexti: ex quo tempore, nihil mihi, ex ea ſumma ſolutum eſt. Præterea, hoc proximo ſuperiori anno, tot milites, talemque apparatum militarem, contra W. curaui, vt illa ſolum expeditio ducentas mihi libras exhauſerit, quemadmodum ex certa expenſarum mearum ratione palam perſpicueq; conſtare poſſit. Poſteà, ex iuſſu, & mandato Reginea Maieſtatis mihi iniunctum fuit, vt certos homines rebellionis W. conſcios atque participes in agro Cantiano perquirerem: in quo négotio fideliter & diligentèr obeundo, grandem ſanè ſumptum ſuſtinebam. Itaque ſuppliciter peto, ab æquiſſima veſtra Maieſtate, primum vt conceſſio illa & donatio quadraginta librarum quàm diù viuam, mihi rata & confirmata maneat: vtque illa pecunia, quæ mihi ex hac conceſſione debita eſt, inte-

integrè & plenè persoluatur: deinde, vt sumptuum illorum, quos, illis, W. temporibus libenter feci, ea habeatur ratio, quæ vestræ Maiestatis æquitati iusta atque debita videri possit: Postremo, suppliciter peto vt literas vestras, quæ, & concessionem veteris mei stipendii confirment, & pecuniæ mihi debitæ præsentem solutionem mandent, ad D. Marchionē Wintoniæ summū Angliæ Thesaurarium, vestra Maiestas dignetur scribere. Et ego me paratissimū semper, ad omne seruiendi munus comparabo, quodcūq; mihi, quibusuis tēporibus, domi militiæve Maiestas vestra mihi imponere voluerit. Deus sacram Maiestatem vestram, optatissimis liberis, longissimis annis, maximis imperiis, & omnibus felicitatibus, perpetuò beâre dignetur. 14. Decemb. 1554.

Pro D. Io. Guld.

REGIÆ MAIESTATI.

ILlustrissime Princeps, Domine clementissime. Diuina Maiestatis tuæ natura, ad omnem benignitatem & misericordiam posita, me multis miseriis depressam, & iacentē excitauit, & in magnam spem erexit, vt mihi miseræ & afflictæ mulieri opem ferre dignari velis. Pro me vero separatim nihil, sed pro charissimo meo coniuge Ed. R. Equite, misericordiam tuā imploro, is enim

longo iam tempore, & in carcerem inclusus non solum fortunis & facultatibus exhaustus, sed graui etiam infirmitate penè consumptus est. Ego igitur, supplex proiecta ad genua Maiestatis tuæ, rogo obsecroque, vt tua solita clementia, maritum meum, solitæ suæ libertati restituere velit. Et huius beneficii, ego precibus apud Deum, maritus obseruantiâ erga tuam Maiestatem, vterq; obedientia erga te clementissimũ nostrum Principem, nec immemores, nec indignos non esse declarabimus. Deus sacrosanctam Maiestatem tuam, longissimis annis, & amplissimis imperiis maiorẽ indies faciat. 23. Nouemb. 1554.

Pro vxore Ed. Ro. Equitis.

REGIÆ MAIESTATI.

ILlustrissime Rex, Domine clementissime. Emi nuper a Reginea Maiest. eos fundos pro quibus, mihi soluendæ sunt ærario vestro libræ mille, septingentæ, octoginta, decem & octo: quatuordecim solidi, & duo denarii. Maiestas sua, fidei meæ & obseruantiæ in illam habita ratione, præsentem pecuniam non exêgit, sed eius solutionem ita benigne reiecit, vt dimidia pars solueretur ad hoc proximum Purific. festum: pars altera ad festum iam proximum S. Michaëlis, & Annunt. D. Virginis. Si hæc

pecu-

pecunia (munificentissime Princeps) exigatur à me, ad hos constitutos dies, non solùm rustica mea prædia, sed bona etiam domestica mihi diuendenda sunt. Multi mihi esse testes possunt, quàm graues sumptus, domi militiæque, vita & aulica & bellica mihi his superioribus annis imposuit: quo effectum est, vt grandis pecuniæ debitor, non solùm vestræ Maiest. sed multis etiam aliis viris in præsenti fiam. Itaque, si creditores mei, paulo duriores sese præberent huic meæ præsenti fortunæ & deserere hanc Regiam, cùm infamia, & quærere aliam vitam, cum miseria, omnino coactus essem. Rogo igitur munificentissimam vestram Maiestatem, vt hanc pecuniam ærario vestro debitam, aut integram mihi condonet, aut eam partem remittat, quæ vestræ diuinæ clementiæ & bonitati, idonea, vt remittatur, visa fuerit. Hoc tuæ Maiestati, ad concedendum, paruum quiddam est: mihi vero, atque meæ fortunæ, ita magnum & necessarium, vt absque eo, nec diutius inseruire in hac Aula, sine aliquo dedecore; nec aliam vitam sequi, sine magno meo mærore, deinceps potuero. Itaque suppliciter peto à vestra Maiestate, vt literas vestras ad hanc rem requisitas, de remissione huius debiti, ad D. Marchionem Wintoniæ, summum Angliæ Thesaura-

rium dignetur scribere. Et ego me paratissimum semper ad omne seruiendi munus comparabo, quodcunque mihi, quibusuis temporibus, domi militiæque Maiestas tua demandabit. Deus Opt. Max. sacram Maiestatem tuam optatissimis liberis, longissimis annis, &c. 20. Nouembr. 1554.

Pro D. Th. Hol.

REGIÆ MAIESTATI.

AVgustissime Rex, Domine clementissime. Diu multumq;, ego iam laboraui apud Maiest. tuam, pro coniuge meo D. A.D. Reliqui fratres tua bonitate atq; gratia, coniugum labore atque opera, in libertatem restituti sunt. Tuæ maiestati, hanc laudem, & sororibus meis, hanc felicitatem vehementer gratulor: meam tamen, meiq; mariti miseram sortem non satis deplorare queo. Ex meis laboribus sola ego hunc cepi fructum vt mihi nunc laborandum sit, nō quomodo maritum in libertatē, sed meipsam ab infamia vindicare possim. Non enim illum plus deliquisse, nec te minus illi concessisse, sed me minus pro illo laborasse, vulgo credibile erit. Age ergo, (clementissime Princeps,) & perfice, vt maritus meus id tuo recipiat beneficio, quod suo amisit delicto. Quo vno beneficio, & illum à mise-

à miseria, & me ab infamia, & vtrumque à summa solicitudine & cura, diuina clementia tua misericorditer liberabit. Quam bonitatem, is, qui omnis bonitatis fons est & author, abundè largiterque compensabit. Deus tuam Maiestatem conseruet & tueatur. 8. Nouemb. 1534.

Pro Domina E.T.

REGIÆ MAIESTATI.

AVgustissime Rex, clementissime Domine. Gul. St. maritus meus abest in Gallia & abest, non propter delicti conscientiam, nec propter periculi metum: sed quia eo ære alieno premebatur, vt vitã apud exteros cum miseria, quàm domi apud suos cùm infamia traducere maluerit: sperat enim in hac sua absentia, parcè ac duriter viuendo, se posse ab hoc ære faciliùs liberari. Vitam traducit, non nouis rebus implicitã, sed quieti & literis totam deditam. Et cùm Rex Gallorum ampla conditione largoque stipendio ei proposito, in militiam vocaret, adduci nullo modo potuit, vt arma contra Cæsaream Maiestatem ferret. Quòd veniâ non petitâ, hinc discesserit, ego pro illo, non facti excusationem, sed offensæ deprecationem, ad tuam clementissimam Maiestatem adfero. Suppliciter igitur peto à tua diuina clemẽtia, vt per authoritatem Maie-

ſtatis tuæ, literis patentibus declaratam, ad aliquot annos abeſſe poſſit. Quo toto tempore, eam vitæ rationem ſequuturus eſt, quam obedientiſſimus ſubditus ſuo Principi, & fideliſſimus ſeruus ſuo Domino probare præſtareque debeat. Deus Opt. Max. Maieſtatem tuam diutiſſimè ſeruet incolumem.

Pro Domina Dor. St.

REGIÆ MAIESTATI.

POtentiſſime Rex, clementiſſime Domine. Sum ego vnus, ex ea hominū amentium colluuie, qui proximo ſuperiore anno, furores T. W. ſequuti ſumus. Et quanquam hoc flagitium, imperitiâ potiùs quàm voluntate, & aliorum conſilio, non meo ſtudio admiſerim: iuſta tamen pœna, hanc iniuſtam meam temeritatem iure quidem ſequuta eſt. Nam in carceres & vincula coniectus, multùm me metus præſentis mortis, plus infamia reliquæ ſequentis vitæ, potiſſimùm verò ipſa conſcientia ſceleris mei noctes dieſque cruciabat. Sed prudentiſſimi Iudices, non priuatum ſanguinem, ſed communem ſalutem quærentes, noſtra non tàm contenti pœnâ, quàm commoti pœnitentiâ, à mortis metu me cum multis aliis liberârunt: hac tamen conditione mihi propoſita, vt centum libras regio fiſco perſoluerem.

nerem. Postquàm ex huius tempestatis fluctibus Dei opt.max. & Reginæ clementissimæ immensa misericordiâ emerseram, ita me gessi, vt optimus vir D. Ioannes B. vnus ex primariis Secretariis Maiestatis tuę, me in suum famulatum cooptaret: qui eam de meâ fide, officio, & obedientiâ concepit opinionem, vt curaret me ascisci in eum numerum, qui Maiestati tuæ inseruirent: vbi (Deo volente) sic me comparabo, vt non solùm præteritam culpam sedulo officio corrigere, sed veteris flagitii memoriã, noua obedientiâ abolere, ante omnia elaboraturus sum. Id quod, quò melius præstare queam, supplex proiectus ad genua clementiæ tuæ, summoperè rogo, vt Maiestas tua contenta viginti libris, quæ iam solutæ sunt fisco tuo, mihi egentissimo famulo tuo, quod reliquum est debiti condonare velit. Hoc tuæ Maiestati ad concedendum exiguum quiddam est, mihi verò ad accipiendum tàm amplum atque gratum, vt absque eo, nec tibi inseruire nec mihi viuere in posterum queam. Si verò bonitas tua, benignè mecum hoc modo actura est, eam vitam in Regia tua solùm sequar quam obedientissimus subditus suo Principi, & fidelissimus seruus suo Domino probare præstareque semper debeat. Deus, &c.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI N.

SErenissime, potentissime, clementissime princeps. Intelligit vestra Maiestas, quomodo, ante aliquot annos, nos mercatores Angli, Gul. Caston. Gul. Smith, & ego cum aliis nostris sociis in Wespéde Insula, à certis Scotis, miserè fuimus spoliati. Intelligit etiam vestra Maiestas, hoc Scotorum facto, non solùm nostras fortunas valdè miserè esse spoliatas: verum etiam multò magis vestræ Maiestatis authoritatem, protectionis ius, & iurisdictiones in ea Insula, nimis insolenter & audacter esse violatas. Nimis enim graue nobis, & non tolerabile vestræ Maiestati fuit, vt, cum nos omnia debita vectigalia, omnia iusta portoria, vestris istic officiariis, plenè persoluissemus, statim vestra & violata iurisdictione, & spreta protectione, & contempta Maiestate, tanta vi & iniuria opprimeremur. Has nostras querelas, nimis veras esse, nemo melius intelligit, quàm vestra Maiestas. Qui, pro sua regia innata bonitate, pro nostra iusta causa, in nostram gratiam, superiori anno, ad serenissimam Scotorum Reginam scribere dignatus est. Quid verò sua Serenitas responderit, nos quidem non intelligimus: hoc planè nos acccrto.

certò scimus, post Deum in terris, aliam non esse Maiestatem, ad cuius auxilium, in hac nostra calamitate nos confugere possimus, præterquam ad vestram regiam protectionem, & benignissimam bonitatem. Itaque respice nostram miseriam clementissime Princeps, & tuere tuum ius potentissime Rex: fieri enim non potest, non potest fieri prudentissime Princeps, vt in hac causa, nostra premattur fortuna, quin tua vnà violetur etiam Maiestas. Et propterea, nos in spe læta & erecta sumus, non plùs Scotorum audaciam in auferēdo, quàm vestram Maiestatem in restituendo nostras fortunas posse valere. Atque vt finem faciamus, si hæc nostra præsens calamitas, æquitate vestra & matura ope leuetur, certò scimus, Deum (iustum omnium Iudicem) pro hac nobis exhibita iustitia, iustum aliquando præmium, cumulatè vestrę Maiestati elargiturum: & nos assiduè precabimur Deum, vt sacram vestram Maiestatem optatissimis liberis, longissimis annis, maximis imperiis, & omnibus faustis felicitatibus, perpetuò beâre dignetur.

Pro quibusdam mercatoribus Ang.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. HIERO. P. V. DVCI, ET MAGNIFICIS, *D. inclyti S. V. amicis nostris charissimis.*

ILlustrissime Princeps, magnifici Domini, amici charissimi. Cùm singularis vestra humanitas, ac beneuolentiæ studium, in gentem Anglicam, pręcipuè verò in omnem eius Nobilitatem, perspectum diù iam, & acceptum semper valdè nobis fuerit, magis gratum tamen atque oportunum visum non est, quàm cùm nobilissimum Arundeliæ Comitem, pro vestro honore, pro illius dignitate, cùm amicè & lautè, tum splendide ac magnificè in vestra nuper vrbe, accepistis. Hæc grata vestra officia, in tantum virum declarata, qui nobis, & ordine eodem, & intimâ amicitiâ, & cunctis arctissimæ propinquitatis vinculis coniunctissimus est, in nos ipsos studiosè à vobis ac certatim conferri, planè existimamus. Vobis igitur, pro hac vestra humanitate, magnas nos gratias & libenter habemus, & studiosè agimus, & cumulatè etiam sumus relaturi, cùm vsus, aut vestrarum rerum, aut vestrorum hominum (quod nonnunquàm apud nos accidit) commodam vllam nobis, in vlla humanitatis parte, vobis respondendi oportunitatem attulerit. At verò, quò iucundior nobis hæc est vestræ humanitatis

manitatis recordatio, eò quidem acerbius nobis accidit, quod (non ita pridem) Danielus Foscarinus, homo Venetus, eundem nobilissimum Comitem, alio quidem modo, & magis alieno animo tractare Patauii, quam vestræ magnificentiæ Venetiis accepistis, attentauerit. Tolerabile quidem foret, si Foscarinus, & suæ, & communis & Venetæ humanitatis oblitus fuisset, modò eius hoc facto, nomen & dignitas tanti viri non violaretur. Sed facinus illud nobis iàm visum est & nouum in illa regione, & graue ipso facto, vt tantus vir in re non leui, sed nullius quidem momenti, primùm inhumaniter, tùm iniuste istîc vexaretur, qui sic domi & dignitate, & fortunis, & opibus floret, vt totius Anglicanæ Nobilitatis & fidem, ad eius dignitatem, & fortunas ad eius vsum, pro suo arbitratu & voluntate paratissimas habeat. Atque in Italia quidem non incognitum, & Venetiis potissimum haud obscurum esse potuit, quod Arundeliæ Comes, sui ordinis in Anglia, non solùm genere & nobilitate principem locum obtineat: sed quòd ea prudentiâ atque authoritate etiam polleat, vt hiis illustribus ornamentis, & multis ante superioribus Angliæ Principibus, & nunc huius nobilissimæ Reginæ, & cunctis huius regni statibus, cum summo eius honore lon-

ge charissimus existat. Et hoc porrò nomine etiam, longè iniquior habenda est hæc Foscarini inhumana insolentia, quòd sæpè experti sunt multi Itali, plurimi Veneti, & testes item sunt omnes Angli in omni nobilitate Anglicana multis iam annis, neminem extitisse, qui propensiore voluntate, aut plura, aut maiora officia, omnibus apud nos Italis, & præsertim Venetis detulit, quàm hic nobilissimus vir, omni, non oblatâ solùm, sed quæsitâ etiam occasione libentèr semper detulerat. Sed quod ad hanc rem pertinet, licèt nobilissimus Arundeliæ Comes, hunc Foscarini, & contumeliæ conatum, & iniuriæ impetum, vel pro sua modestiâ tacitus præterire, vel pro suâ prudentiâ facilè contemnere voluerit: nos tamen, qui cum illo plurima paris loci & ordinis officia, ac omnes mutui studii & beneuolentiæ necessitudines libenter partimur atque communicamus, hanc sanè eius dignitati atq; existimationi aspersã isthic iniuriam, huc etiam in nos, & nobilitatis Anglicanæ commune nomen transfusam esse iudicamus. Itaque, non dubitamus, quin satis iam exploratum habeatis, quàm solliciti nos omnes sumus, vt vestra authoritate, Foscarinus intelligat, cui viro, quam iniuriam obtulerit, & planè etiam vos intelligitis,

ligitis, quid nos deinceps cogitare possimus, si de hac iniuria, & pro merito Foscarini, & pro dignitate nobilissimi Comitis, non honorificè à vobis statuatur. Ex quo vestro facto, orbis ipse iudicabit, inclytum vestrum Senatum communis æquitatis, veteris Venetæ humanitatis, honoris, & omnis externæ nobilitatis, iustam rationem habuisse. Quod vestræ æquitatis studium, & nostræ expectationi plenè satisfaciet, & commodam nobis pari æquitatis & humanitatis ratione, cum opportunitas tulerit, respondendi vobis occasionem dabit. Deus vestræ Excellentiæ, & inclyto illi Senatui, omnem felicitatem concedat. Londini, Ex Regia serenissimæ nostræ Principis. 2. Nouemb. 1556.

Pro D. Lomleio & aliis Angliæ nobilibus.

SERENISSIMÆ PRINCIPI D. ELIZABETHÆ A. F. & H. Reginæ.

SErenissima Princeps, Domina nostra clementissima. Ad vestræ Maiestatis genua prostrati, nos, Gul. & Georg. Winteri fratres, vestræ Serenitatis & obedientissimi subditi, & addictissimi famuli, in difficillimo rerem nostrarum statu, misericordiæ vestræ opem, & maiestatis vestræ præsidium, humilime imploramus. Casus

& causa nostra hæc est. Nos Anno D. 1565. Mense Septembri, nauem nostram, quæ MARIA FORTVNA nominata fuit, factore, gubernatore, nautis & mercibus Anglicis instructam negotiatum expediuimus ad illas Æthiopiæ partes, quæ inter Cabo Verde, & Rio de Cesto sunt interiectæ. Cũque istic nostri factores perhumaniter ab incolis accepti cõmercia sua amicè & quietè obiuissent, & comparatis (quas expetebant) mercibus, in nauemque comportatis, cum omnia iam ad reditum spectarent, ecce, duæ bellicæ naues cum duabus triremibus, ex Armada serenissimi Regis Portugalliæ, illam nostram negotiatoriam, non procul ab ipso Rio de Cesto, more plusquam hostili inuadunt. Nauem enim cum omnibus vectoribus, ad numerum viginti vnius personarum, cum omnibus bonis, ad valorem septies mille sexcentarum librarum sterling, & plus eo in profundo demergunt. Nostri factores nihil commiserunt, nihil tentârunt, cur ab amicis, tantam hostilitatem: à Christianis, tantam crudelitatem: & præsertim Angli à Lusitanis, tam immanẽ inhumanitatem expectarẽt. Populus enim is, quicum nostri factores sunt negotiati, Regi Portugalliæ, nec obediẽtiâ subiectus, nec vectigali obligatus, nec vlla societate magis coniunctus, quàm cuiuis alteri Principi

cipi existit. Itaque, cum hæc Lusitanorum non ferenda vis, prorsus tendat, non magis ad vtriusque nostrûm priuatam quidem, sed extremam miseriam, quàm ad communem Anglici nominis summam contumeliam, humillimè supplicamus vestræ Maiestati, vt illam opem, & illud præsidium nobis in hac nostra calamitate cōcedere dignetur, quod ipsa æquitas, quod omnes leges, cùm huius regni propriæ, tum omnium gentium communes, nobis in hoc casu concedi volunt & præscribunt. Et nos Deum opt. max. vt vestram Maiestatem in omni florenti felicitate, in longissimos annos conseruet, orabimus. 10. Aprilis 1567.

Pro Gul. & Georg. Winteris fratribus.

SERENISSIMÆ PRINCIPI D. ELIZABETHÆ A. F. ET H. *Reginæ.*

SErenissima Princeps, Domina nostra clementissima. Nos N. Mercatores ciuitatis Londini, vnà cum aliis aliarum vrbium maritimarum mercatoribus, hoc superiori anno, factores nostros cum octo nauibus, more nostro iam per multos annos solito, in Hispaniam, negotiandi gratia misimus. Et cùm circiter vicesimum diem proximi superioris mensis Nouembris, omni sua mercaturâ amicè & perhumanitèr trans-

acta cum gente Hispanica, & rebus iam cunctis ad reditum paratis, in Portu Gibelterræ in anchoris stantes secundum expectarent ventum, ecce, nauis Gallica Rhotomag. eundem ingressa portum, in contumeliam Anglicæ gentis, militib. hostili more in armis effusis in transtra nauis, cum insolenti insignium iactatione & gladiorum vibratione, nostrorum animos mirum in modum incitauit. Et licèt vniuersi hanc contumeliam ægrè tulerint: vna tamen nauis, plus reliquis, ad frangendam & coërcendam hanc iniuriam irritata, Gallicam aggreditur nauem: & aliquot vtrinque occisis subito tanta vis tormentorum, ex oppido, in omnes nostras naues, explosa est, vt sublatis anchoris, in tutiorem prope istinc locum, se omnes recipere coacti fuerint. Die perendino, adest Don Aluarus Præfectus maris cum quinque triremibus regiis: qui adoriens nostros, & aliquot emissis globis, nemine nostrorum repugnante, sed pacatè quietéque omnibus cedentibus illi, vtpotè summo regio Magistratui, in naues nostras inuadit: mercatores in carcerem, nautæ ad remum, omnes in vincula compinguntur. Naues, eiectis Anglis, nouis & occupantur Dominis, & armantur militibus. Commeatus, omnis aut exeditur, aut dissipatur, merces miserè distrahuntur:
spoli-

ſpoliantur & ſuis naues armamentis, & homines ſuis bonis, etiam his, quæ ad quotidianam corporis neceſſitatem protegendam comparantur. Mercatores inſcii huius facti, & tum temporis abſentes in oppido, rerum ſuarum quietè ſatagentes in fœdos tamen carceres, inter fures coniiciuntur: nec ratio cuiuſquam hominis, nec diſcrimen vllius facti habetur. Vna nauis quicquid factum eſt, admiſit: in omnes tamen promiſcuè ſæuitum eſt. Non in facta certorum hominum, ſed in cogitata (pro ſuo arbitratu) ſingulorum, animaduerſum eſt. Cùm tamen, ſine ratione, contra ius ſine exemplo, contra morem gentium exiſtat, vt factum & cogitatum, in eandem, non ſolùm culpam, ſed eandem etiam pœnam pertraheretur. Hæ priuatæ omnes iniuriæ, etiam publica contumelia, ſupra modum augentur: namque, non ſolùm in contemptum Anglici nominis, inſignia huius regni ſunt hoſtili more deiecta, & è nauibus noſtris abrepta, atque de ima puppe ipſorũ nauis ſuſpenſa, quaſi omnia iam eſſent ad triumphum comparata: verum etiam, (quod indigniſſimum omnium fuit,) inſignia veſtrę Maieſtatis propria, inſolẽtiâ nõ tolerãda ſunt dilacerata. In tota hac noſtra noſtrarumq; rerum calamitate, hoc vnum nos ſolatur, quòd pro certo & ſæpè iam

comperto habemus, serenissimum Regem Hispaniarũ, pro ingenita sua bonitate pro diuina eius in æquitatem inclinatione, & pro perpetuo etiam illius in omnes semper Anglos amore, non grauatè concessurum, vt tota hæc nostra caussa, iuris potiùs committatur æquitati, quàm cuiusquam hominis permittatur libidini. Est enim ratio, qua facilè duci possit, vt ita faciat: nam in recenti adhuc memoria, regnante Eduardo 6. & postea Regina Maria fratre sororeque vestræ Maiestatis, clarissimæ memoriæ Principibus, cùm acre iam ardêret bellum inter Hispanos & Gallos, cumque hoc regnum, amicum esset vtrique genti, semel atque iterum accidit, vt Galli Hispanos, & Hispani Gallos, intra Angliæ fines, vi & spoliationibus alter alterum vexarent: Et qua æquitate quaque commoderatione, vtriq; tùm in Anglia accepti tractatique fuerunt, neutri adhuc genti è memoria potest excidere. Propterea, nos supplices prouoluti ad genua vestræ Maiestatis clemẽtissima Princeps, humilimè petimus, vt vestra dignetur Serenitas, literas suas in nostrã gratiam ad potentissimũ Hispaniæ Regem scribere, ab eoque rogare, vt pro tot vtrobique inter Hispanos Anglosque sanctioris necessitudinis vinculis, vetustissimisque confœderationibus, concedere velit, vt nostra caussa fauo-

fauorabiliter & benignè, ab eius Maiestate accepta, illius iussu, ab hominum cupiditate ad iudicum sententiam, & iuris æquitatem, maturè possit transferri.

Pro quibusdam Lond. mercatoribus.

SERENISSIMO REGI HISPANIRUM.

CErti nostri mercatores, qui annuas negotiationes exercent in Hispania, grauiter apud nos conquesti sunt, suos factores, superiori mense Nouembri, in portu Gibelterræ, duriùs acceptos fuisse, quàm Angli in Hispania antè solent accipi, aut ipsa æquitatis ratio postulare videtur. Rogamus itaque vestram Serenitatem, vt nostrorum subditorum caussa, benignè & cum fauore à Iudicibus & Iurisconsultis istic vestris cognoscatur, & pro ratione æquitatis explicetur. Exemplum supplicis illorum libelli nobis exhibiti, hiis literis nostris adiungi iussimus, vnde, explicatior ratio totius huius negotii planè apparebit. Et, si qui nostri, vel stomacho in hostium insolentiam, vel ignoratione vestrarum legum nonnihil deliquerint: speramus tamen innocentium numerum, certorum culpam minimè luiturum. Quod ad caussam nostrorum attinet, nos confidimus sic prorsus actum iri cum illis, prout vetus mutu-

inter nostra regna necessitudinis mos prout ipsius caussæ æquitas queat postulare. Cùm res vestrorum subditorum, parē sub nostro imperio, vel æquitatis, vel humanitatis, vel commoderationis rationem requirent, quantum momenti in vestræ Serenitatis, vel literis, vel rogatu apud nos erit, libenter & studiosè ostendemus.

Pro R. M.

CLARISSIMO VIRO D. GONSALNO PERISIO, SERENISSIMI REgis *Catholici Secretario primario, & Consiliario intimo, Amico meo carissimo.*

PRO D. G. CECILIO.

CLarissime vir. Frequentes tua memoria mei, & testificatio tui singularis in me studii, quæ sæpè quidem, & peramicè semper repetita est in illis literis quas ipse scribis ad serenissimum Regis Catholici assiduum hîc Oratorem, admodum grata mihi existit. Hanc tuam nostræ inter nos notitiæ fouendæ voluntatem, & ipse vicissim alere, & deinceps etiam augere studebo. Quod facturus sum, & iustè & libenter: iustè quidem, quod id planè iure tibi reddo, quod merito tuo tibi ipse debeo; animū nimirum & voluntatem in te amando mutuam: libenter verò, quod nullius rei fructu plus

plus delector quam eo, qui ex cultu amicitiæ rectè institutæ percipitur. Te igitur talem & tantum virum ipse quidem ingratus si non redamarem, & inhumanus si non colerem, merito censendus essem. Et cum tu ita vis, volo ego etiam porrò, vt deinceps inter nos, non solùm gratæ beneuolentiæ aperta indicia, sed mutuæ amicitiæ explorata officia, prout vtrobique ferret opportunitas, crebra commeent, & ingenuè intercedant. Et vide quantum ipse primùm mihi largior de tuo in me amore: qui cum fuerim hactenus in beneuolentiæ studio ostendendo posterior, nunc in amicitiæ deposcendo officio factus sum prior. Rogo enim, vt mea causa sis amicus huic amico meo: qui has perfert, quique Oratoris assidui munere, pro nobilissima nostra Principe, apud serenissimum Regem Catholicum functurus est. Facturus es & amanter si meo rogatu hoc facis: & rectè si eius merito hoc tribuis. Est enim ipse tui per se, non solum meo sermone, sed sua etiam sponte, perstudiosus: vt taceam prudentiæ, grauitatis, eruditionis & commoderationis in omni re iustam commendationem: adeò vt planè existimem illum, ad omnia illa, quæ nunc sunt inter nostros Principes arctissima confœderationis, intelligentiæ & amicitiæ vincula, indies magis ac magis firmanda, fore

peridoneum. E regione, ipse pro mea vicissim parte, sincerè & sanctè polliceor, si quid fuerit in mea potestate, quod esse queat vel gratum tibi, vel commodum tuis: te illud sic à me impetraturum, vt facile intelligas, me non velle pati, vt in vlla officiosæ humanitatis ac beneuolentiæ parte, ipse me aliquando sis superaturus. Felicissimè valeas. Ex Regia Principis nostræ Grenouici 20. Febr. 1565.

D. COSS. ET SENATORIBVS Ciuitatis Stralsoniensis.

MAgnifici Domini, Spectabiles, Amici charissimi. Et nos accepimus, & vobis valdè perspectum esse intelligimus, qua fraude, & quanta iniuria, Martinus S. ciuis ac mercator vrbis vestræ, altero superiori anno tractauit istic apud vos Georgium N. factorem fidelis nostri & dilecti subditi Ioan. G. ciuis ac mercatoris Sanduicensis. Vbiuis gentium & benè cum bonis, & humaniter cum amicis semper agi oportet. At verò inter quos Religionis summa consensio, amicitiæ firma ratio, & opportunæ negotiationis multa mutua & cõmoda commercia intercedunt, si istic vlla vel conuentorum iusta pacta, vel hospitalitatis tuta iura, vel æquitatis communia subsidia desiderarentur, periniquè quidem esset compa-

ratum!

ratum: in quibus tamen omnibus duriter secum, hoc tempore, in vestra ciuitate a-ctum esse, culpa verò Martini S. sed in vestro quidem permissu, fidelis noster subditus grauiter apud nos conqueritur. Martinus enim ille S. vt nobis allatum est, pactionem circinitam, & rectè firmatam deserit: certas merces, pro certa nauis emptione, in manus nostri subditi per ipsum depositas, effracta sera, conuulsis claustris priuata vi, & intempesta nocte abducit. Is tamen nihilominus, vt nos audimus, suorum gratia istic potens communis æquitatis remedium collit, & duplicis iuris cursum impedit. Hæc quidem agendi ratio multo grauior est, quàm vt vel subditus noster pro suis fortunis iam ferre, vel nos pro nostro officio diù pati possimus: & longè iniquior etiam, quàm vt vos, quorum vrbem, & humanitatis, & æquitatis, & iusti commercii exercendi prisca quidem & præcipua laude florere, sæpè nos accepimus, tolerare debeatis. Rem igitur facietis, rationi & æquitati valdè consentaneam, vrbis vestræ nomini atque dignitati pròrsus congruentem, & nostræ de iustitiæ apud vos recto cultu, & iuris expedito cursu expectationi planè respondentem, si nostro dilecto subdito, sine litis molestia, sine moræ tædio, sine grauiori temporis & pecuniæ dispēdio, ius suum sibi,

maturè, rectè, & integrè restitui curaueritis. Et gratum prætereà nobis officium præstabitis, quod vestris nos viciſsim, cum opportunitas feret, libenter reponemus, si ex vestro facto, & nostri subditi sermone intelligamus, eam vos nostrarum literarum, nostrique rogatus, rationem habuisse, quam ipsæ vos in hac subditi nostri caussa expedienda habituros planè expectamus. Feliciter valeatis. Westm. 12. Maii 1567.

Pro R. M.

ILLVSTRISSIMO P. D. B. DVCI STETINENSI, PO. CAS. VANDALO*rum, &c. Principi Rugiæ, Comiti in Gutzgaw, Cons. & Amico nostro chariſsimo.*

ILlustriſsime P. Cons. & amice chariſsime. Commodè & peropportunè accidit hoc tempore, vt, cùm nos diù iam studium & propensam voluntatem scribēdi ad vestram Excellētiam habuerimus, id iam vt necessario faciamus, certi nostri dilecti subditi negotium pernecessarium, nos in præsenti cōmoueat. Nos non latet, sed diu nobis exploratum fuit, quinam sensus rectæ Religionis, quantus amor bonarum literarum, quàm acre iustitiæ studium, in vestræ Excellentiæ animo residet. Itaque, in periusta caussa fidelis ac dilecti nostri subditi Ioannis G. ciuis & mercatoris Sanduicensis, si humanitatis officium,

ficium, si æquitatis subsidium, à vestra Excellentia postulemus, non dubitamus, quin vestra Excellentia, & suo iudicio, bonitati caussæ, & grata voluntate, nostrę commendationi, libenter sit assensura. Quæ caussa sit, curabit is qui has nostras perfert, vt vestra Excellentia, plenè quidē, sed verè & certo certior fiat. Est quidā Martinus S. vester quidem subditus, & ciuis Stralsoniensis: is fraude non ferenda, & iniuria non tolerabili, (vt nobis allatum est,) aduersus Georgium N. factorē Ioannis G. dilecti subditi nostri nimis audacter & insolenter vsus est. Est præterea (vti accepimus) ille Martinus S. homo & sua naturâ valdè litigiosus, & suorū istîc gratiâ & amicitiâ admodum potens. Horum ope, & istis opibus munitus, nostrum hominē istic peregrinum, ignotū fere omnibus, imparatū ab amicis, rudem vestræ iurisdictionis, in tanta solitudine & inopiâ subsidii, pro suo arbitratu, quauis & publicâ inuidiâ, & priuatâ iniuriâ, facilè premendum esse sperat. His incommodis omnibus vt vestra Excellentia, sua bonitate, prudētia & authoritate occurrat, & magistratū Stralsoniensem nostro subdito ius quamprimûm expedire, vt iubeat, eò paucioribus verbis rogabimus, quò fidentiùs speramus, & certiùs expectamus, vestram Excellentiam sic hanc fraudem, vim, &

potentiam coercituram, vt nostro fideli subdito pro debita sui iuris ratione, cum iusta damnorum & expensarum compensatione, primo quoq; tempore sit in vlla vrbe satisfaciẽdum. Et quam necessario nunc scribimus de aliorum iniuria, tam libenter deinceps (vti spes est,) denuò scribemus de vestra æquitate: vt vos non magis iam propensæ ad commodi officii postulationem, quàm semper paratæ, ad grati animi, & mutuæ cum beneuolentiæ erga vos, tùm æquitatis erga vestros, declarationem, esse videamur. 12. Maii. 1567.

Pro R. M.

GEDANENSIBVS.

MAgnifici Domini, Viri spectabiles, Amici dilecti. Graues ad nos querelæ delatæ sunt, de facto certorum hominum Gedanensium: qui hac superiori æstate, nauem fidelis & dilecti nostri subditi R. N. ciuis & mercatoris Hullensis, negotiatum proficiscentem ad ea loca quibuscum nobis & bona pax, & firma intercedit amicitia, ac redeũtẽ nuper ab illa profectione, hostiliter inuadentes, vi Gedanũ ad ducunt: vbi, eiectis mercatoribus ac nautis, & ad extremã miseriam compulsis, ipsam nauẽ tanquam Piraticam, & omnia bona, veluti prædam, occupant atq; detinent. Atq; vt nos ferre

non

non possumus, vt fideles nostri subditi tanta premantur iniuria, ita eâdem vestrâ etiam prudentia & æquitate existimationem habemus, vt non solùm statuamus, inscientibus vobis, hoc à vestris fuisse admissum sed planè expectamus, vt primo quoq; tempore ea iustitiæ ratio, in hac causa, à vobis habêda sit, vt nec vestri impunè hoc perpetrasse, nec nostri frustra apud nos côqueri videâtur. Itaque, rem facietis & nostræ expectationi, & vestræ æquitati valdè consentaneam, si fidelis noster subditus R. N. nauem suam cum bonis vniuersis, hac literarum nostrarum commendatione, & vestra authoritate recuperet. Et nos parem æquitatis rationem in vestrorum negotiis, cùm vsus & occasio tulerit, libenter ostendemus. Feliciter valeatis.

Pro R. M.

D. SIGISMVNDO AVGVST. REGI POL. &c.

ALiquot iam sunt anni, tempore parentum vtriusque nostrû, clarissimæ memoriæ Principum, cùm Thomas Martinus Anglus, Nicolaum B. & Barnad. T. ciues Gedanenses, nomine grandis pecuniæ sibi debitæ, Gedani, apud Scabinos, in ius vocauerit. Sententia, pro æquitate causæ lata est secundum nostratem. Gedanenses tamen,

domeſtica ſua, & potentia & opportunitate freti, ad ſuperiores iſtic magiſtratus, Coſſ. & Senatũ Gedanenſem prouocant. Res denuò ſecundum Tho. Martinum diiudicata eſt. Aduerſarii gemina iam ſententia domi ſuperati, alienum ab omni æquitatis ratione, fruſtrandæ iuſtitiæ conſilium ineunt. Et cauſam, & hominem in Poloniã vſque protrahunt, ad iudices iſtic, qui nominantur Terreſtres: non bonitate cauſæ ſiſi, nec de iniuria ſibi, à ſuis domi impoſita cõqueſturi: ſed hoc ſolũ cõſilio, vt homo alienigena, in regione tã diſſita, legibus & moribus prorſus illi incognitis, vel longo litis tractu, vel longinqui itineris moleſtia, vel intolerabili ſumptus magnitudine, tandẽ defatigatus, à perſequendo ſuo iure omninò deſiſteret. Cũ tertia iam ſententia, ſecundum noſtratem, iſtic quoque lata eſſet, Gedanenſes illi, vt nullum ſibi iniuriæ faciendę locũ reliquum facerent, ad regem ipſum Poloniæ prouocant, parentem veſtrum clariſſimæ memoriæ Principem. Sed iuſtitia apud iuſtiſſimum Principem tantum valuit, vt non ſolùm pro noſtro ſententiã ipſe tulerit, ſed mandatum quoque ſuum, ad magiſtratus Gedanenſes perſcripſit, vt ipſi executionem iuſtitiæ, pro tot latis ſentẽtiis, in hac cauſa, quàm primùm expediri curarent. Curſus tamen iuſtitiæ, tot morarum diuerticulis im-

lis impeditus Gedani fuit, vt T. M prius è vita sua discesserit, quàm ad ius suum peruenire potuerit. Gul. Martinus, Thomæ filius, paruulus quidem cum pater moriebatur, famulus nunc noster fidelis & perdilectus, hæc paterna debita, iure & hæreditario & testamentario repetit. Huic famulo nostro, suppliciter sæpè opem implorantì nostram, in causa tàm iusta, & in re tàm manifesta deesse non possumus. Nam, quo tota res exploratior nobis esset, negotium dedimus certis nostris Iurisconsultis, vt illi, causæ huius rationem (ab initio) omnem, litis progressum vniuersum, & sententiarum singularum vnumquemque exitũ, considerata deliberatione cognoscerent: qui rem tam explicatam & apertam ad nos deferunt, vt planè constet nobis, causam & iustam & necessariam, nostrum famulum habere omnem iustam sequendi viam, quâ ius suum consequi & obtinere queat. Nos itaq; admodum rogamus vestram Serenitatem, vt dignetur suis literis atque iussu mandare magistratibus Gedanensibus, vt hæc causa famuli nostri, omni legitimo processu apud eos tã manifesto euicta, sic maturè expediatur, vt debita pecunia integrè illi persoluatur. Atq; si æquitatis cursus, anteà nobilissimi patris vestri iustissima sentẽtia rite terminata, nũc similiter, vestra authoritate,

ad iustum exitum perducatur, curabimus nos vicissim, vt à vestris itidem subditis, in nostris ditionibus cùm par occasio ferat, iniuria omnis atque molestia similitèr prohibeatur.

Pro Gul. Martin.

MAGISTRATIBVS GEDANENSIBVS.

MAgnifici Domini, Amici charissimi. Intelligimus causam debitæ pecuniæ, antè aliquot annos inter Th. M. Anglum, & N. B. ac B. T. ciues vestros, in illa vestra vrbe fuisse disceptatam. Et cùm ea ipsa causa, & apud vos & in regno itidem Poloniæ, omnibus & legum processibus ritè explicata, & aduersariorum appellationibus (quoad fieri potuit) impedita, & cunctis semper iudicum sententiis, secundum nostratem fuerit diiudicata, executioni tamen iuris, tot repagula sunt obiecta, & frustrandæ iustitiæ tot sunt quæsitæ moræ, vt Th. Martinus, è vita prius excesserit, quàm ad ius suum peruenire potuerit. Gul. Mart. Tho. filius, paruulus quidem tùm, cum pater moriebatur, hæc ipsa paterna debita, iure nunc & hæreditario & testamentario repetit. Cumque hic Gul. fidelis noster famulus, sępè nostram gratiam atque opem, ad consequendum ius suum, suppliciter implorauerit, nos, vt de

causæ

causæ æquitate, quid certum & exploratum esset, cognosceremus, certis nostris iurisconsultis mandatum dedimus, vt litis progressionem omnem, & sententiarum exitū vnumquemq; accuratè excuterent: qui rem sic ad nos deferunt, vt nos æquitate rei magis, quàm hominis misericordia commotæ, scribendum ad vos esse duceremur, & à vobis petendum, vt, quod leges vestræ iusserunt, quod iudices omnes, cùm vestrates, tum Poloni consentientibus sententiis statuerunt, id vos iam huic nostro famulo integrè expediri, pleneque confici quam primum curetis. Nos enim, vel æquitatis ipsius nomine, in causa tàm iusta, in re tam aperta, in iniuria tam eminenti: famulo nostro deesse non possumus: Malumus tamen, vt hoc modo nostro rogatu atq; literis, quā vllis aliis iuris remediis, indemnitati nostri famuli prospiceretur. Si igitur vos æquitatis ipsius respectu, & nostro etiam hortatu, ius suum famulo nostro repræsentari efficiatis, rationem vos & iustitiæ rectam, & nostri quoq; gratam, habuisse iudicabimus. Quod vestrum officium, nos etiam grata memoria retinebimus. Bene valete.

R. M. Pro Gul. Martin.

EIDEM.

MAgnifici Domini, illustres, spectabiles, Amici charissimi. Varii nostri subditi,

probi & exploratę fidei viri grauiter cōqueruntur, quòd merces illæ quas istic Gedani de more comparant, & in Angliam apportant, vt Linum, Canabis, Pix, & id genus aliæ, cum aridæ tum fluidæ merces, iam veteri vestrarum mercium nec bonitati, nec mensuræ quidem respondeant. Quæ res non solùm detrimentosa nostrorum fortunis, sed perincommoda nostræ classi, propter fallacem atque inhabilē hoc modo omnem funestrem apparatum, & nimis etiam periculosa, eâdem ipse de causâ, omnibus nostris existit, qui vitam suam nauigationi, & venti marisque discrimini, addixerunt. Hanc, non vestræ inclytæ vrbis communem culpam, sed certorum vestrorũ vel negligentem incuriam, vel dedita operâ admissam fraudem, nostri nobis planè esse asseuerāt: & nominatim eorum hominum, qui mercium examinatores, & fabri vasarii apud vos designantur. Atque, licèt (vti planè iudicamus) inscientibus vobis & inuitis etiam, hæ iniuriosæ imposturæ & excogitatæ & exercitæ sint, ipsa tamen æquitas postulat, & vestræ item erit prudentiæ, diligenter inprimis videre, ne hæc noua paucorum hominum fraus, ad priuatum structa quæstum, communi vestræ vrbis nomini & dignitati, quæ prisca & præcipua iusti cōmercii laude multis iā seculis floruit,

gra-

grauiorem aliquam notam inurat. Sed quia persuasum habemus, vos prudenter & opportunè, maturum remedium huic malo adhibituros, volumus itaque, vt hæc quæ scribimus, non grauiter expostulandi, sed amicè commonefaciendi nomine, à vobis accipiantur. Atque quo melius statuatis, de nostrorum detrimẽto, & vestrorum iniuria, mandauimus, vt omnes illæ damnosæ fraudes, de quibus nostri conqueruntur, in separato seorsum scripto, communi ciuitatis nostræ Londini sigillo consignato, fusiùs & explicatius perscribantur. Præterea, pergratum est nobis intelligere, ex sermone Th. Alani dilecti famuli nostri, nostrique mercatoris, quod superiori anno, factores eius in parandis istic istincque transportandis multis rebus, nostro iussu, nostraque pecunia, ad nostræ classis vsum comparatis præcipuam quandam vestram in nostram quidem gratiam, & beneuolentiam & humanitatem sunt experti. Quam gratificandi nobis rationem, si similem hoc anno, eisdem famuli nostri factoribus, persimile nostrum negotium iam obeuntibus, pari beneuolẽtiæ studio declaraueritis, officium nobis vt ipsa re pergratum, sic mutuo vicissim officio, in omni commoda opportunitate à nobis compensandum facietis. Feliciter valeatis.

REGI SVECIÆ.

NEgotium dedimus dilecto nostro famulo atq; mercatori Th. Alano, vt, ad vsum classis nostræ, certas res necessarias, malos, funes, asseres, picem, & alia eius generis, nostra pecunia Gedani hoc tempore comparet. Rogamus itaque vestram Serenitatem, si naues Th. Alani bonis nostris onustæ, in vestræ Serenitatis vel classem inciderint, vel portum appulerint, vt vestra bona gratia, atque mandato, à vestris subditis, benignè cum humanitate acceptæ, & liberè sine impedimento dimissæ, tutò per vestra freta, atque iurisdictiones, ire, redireque possint, & nos vicissim curabimus, vt vestri itidem, vestræ Serenitatis negotia procurantes, cum opus nostra gratia, aut præsidio habuerint, persimili humanitate à nostris, sub nostro imperio, nostra quoque & voluntate & iussu accipiantur. Deus, &c. 10. Martis.

SERENISSIMO D. SEBAST. REGI N.

E. Thomas Pope, vt ad nos allatum est & Ioannes Kyrrie, viri Angli, fideles nostri subditi, cum naue nuncupata LE MARGARETA DE MYNHEADE, instructa nautis, & onusta mercibus, profectionem hac supe-

superiori æstate, ex Anglia versus insulam Tarsero instituunt: vt, cum vestræ Serenitatis istic subditis amicè, de more negotiarentur. Inter traiiciendum, (vti aiunt,) vltimo die proximi superioris Iunii, Ludouicus de Almeda vestræ Serenitatis subditus, cum duabus armatis nauibus hanc nostrorum solitariam & negotiatoriam nauem, more hostili, nullâ à nostris præbitâ causâ, aggreditur: nauem capit, nautas & vectores omnes, tanquam captiuos, in insulam Tarsero abducit, vbi nec iustitia nec humanitatis habita ratione, malè & miserè accipiuntur. Nam nostri, per idoneos istic prædes ad omnia, quæ illis obiici potuerant, offerentes se plenè responsuros, non solum ab omni iuris patrocinio duriter reiiciuntur, sed per eumdem Ludouicum de Almeda in ipsa insula Tarsero, bonis suis omnibus inhumanitèr spoliantur. Quæ bona, ad valorem bis mille, quadringentorum octoginta, octo ducatorum, & plus eò accedunt. Quæ quidem bona, particulatim, in scripto quodam testimoniali, cum hiis literis coniuncto, explicantur: quod scriptum, communitas oppidi nostri Brigewateri pro his nostris subditis vestræ Serenitati exhibet. Ludouicus de Almeda non contentus hoc facto, etiam porrò nostros mercatores melioris notę, in varias naues Portugallenses di-

ſperſos, in vrbem Vlyſſiponam abducit: vbi ſiſtuntur coram D. Manueli de Almeda, veſtræ iſtic Serenitatis ſupremo iuſticiario. Et audita cauſſa, noſtri liberantur quidem crimine, vnà cum ipſa naue: ſed bona illis ablata minime reſtituta ſunt. Noſtri, hoc modo, miſere vexati, & ad inopiam redacti, noſtram opem implorant: quam illis, in re tam iuſta, denegare non poſſumus. Petimus itaque per fraternum amorem, & mutuam noſtram confœderationem, veſtra vt dignetur Serenitas, eam curam huius cauſſæ ita ſuſcipere, vt per hos noſtros ſubditos intelligere poſſimus, bona eorum eis primo quoque tempore eſſe reſtituta. Et hanc æquitatis rationem, noſtris ſubditis, in eorum tam iuſta cauſâ, veſtrâ [illegible]â, authoritate, & iuſſu declaratam, nos ſimiliter in veſtrorum negotiis, cum par caſus feret, ſtudioſè ſubſequemur.

Pro R. M.

REGI. N. PRO REG. MA.

E: Præter illas multorum noſtrorum mercatorum varias cauſſas, de quibus, per certum noſtrum nuntium, Ioan. Foxal, nuper ad veſtram Serenitatem ſcripſimus, iuſta quidem nobis hoc tempore oblata cauſſa eſt, vt hunc etiam fidelem & dilectum noſtrum ſubditum Rudolphum Clayton, eiusque cauſſam, veſtræ Serenitati commendare,

aremus. Nobis quidem cognitum, & istic
itis exploratum est, in quas angustias, al-
tro superiori anno, is, cum naue ac fortu-
is suis sub vestro imperio incidit. Postula-
atur gemini criminis, cum se vtriusque
ulpa vacare, plane comprobauerit. Primũ,
uòd vectigali non soluto, stationem ve-
ram Oresundianam sit tranuectus: dein,
uòd hostem vestrum, certorum cõmodo-
um subsidio iuuerit. De vectigali, cheiro-
aphum ipsius, qui portorio vestro istic
æest, pro cautione sua, habet: cum vis &
iuria, & inhumanitas, qua Sueci illũ mi-
re exagitarũt, ipsum ab altera noxa planè
imant. Res enim ratione nulla nitebatur,
is, fallendo vestros, & fauendo Suecis, du-
i commodi incerta spe, in apertam, cum
rũ omniũ iacturam, tùm vitæ discrimen,
suasque fortunas coniiceret. Cum hoc ita
e, primum vestri Consiliarii, dein vestra
renitas, plane cognouerint, primo quoq;
npore, iusto iudicio, & summa æquitate,
luntate, bona gratia, & expresso mãdato
stræ Serenitatis, & subditus noster è custo-
a liberatur, & merces eius omnes illi resti-
untur: sic vt cum is domum in Angliã re-
erit, fusè & prolixè cùm vestræ Sereni-
is summam gratiam & bonitatem, tum
strorum Consiliariorum in cognoscendo
udentiã, in statuendo æquitatem, in ex-

pediendo se suumque illud negotium, magnam humanitatem passim prædicauerit. Et hæc ipse de sua & libertate, & mercium restitutione. At verò cum nauis eius ab omni apparatu & victualium & armamentorum benè instructa & munita, vestræ Serenitatis nomine, authoritate, & mandato, ad seruiendum in bello vestro, cum reliqua vestra classe adhibita sit: in quo vestro seruitio periit illa nauis, vt ad nos allatum est, propterea Rodulphus Clayton suppliciter à nobis nostram commendationem, & nos libenter à vestra Serenitate parem vestram & gratiam & æquitatem expetimus, pro iusta & plena huius nauis satisfactione, quam ante vestra Serenitas sua sponte, recto iudicio, & innata sua bonitate, in illo homine laborando, & bona eius illi reddendo, summa vestra cum laude palàm omnibus innotescere voluerat. Caussam hanc, tàm apertæ æquitatis plenam, apud vestram Serenitatem æquissimam Principem paucis attingere, non acriùs vrgere, æquum esse censemus. Qua in re, paratam potius nostram commendandi voluntatem ostendi, quam magnam vllam postulandi necessitatẽ requiri, vestræ Serenitatis bonitas facilè iudicabit. Deus, &c. 1. Iunii. 1567.

GEDANENSIBVS.

Pro

Pro R.M.

MAgnifici, ſpectabiles, amici perdilecti. Accepimus literas veſtras 30. Iulii, dani datas: quæ veſtræ literæ, ſi quan- n obſeruantiam erga nos, ipſæ præ ſe fe- it, tantam æquitatem erga noſtros, vos repræſentaretis, multo acceptiores no- fuiſſent: ſed ſpecioſa verba, factis iniu- ſis, nec belle reſpondent, nec rectè ſatis- iunt. Cum hæc dicitis, alia facitis: rebus a verbis nos fidem adiungimus. Scriben- nihil proficimus: agendo, aliquid ten- imus. Quod ratio non impetrat, ius ob- ebit. Sed, cùm ſereniſſimi Regis veſtri, iu- ſimi Principis chariſſimi fratris noſtri, a quam par eſt, rationem habemus, quid de hoc negotio ſtatuerit, priùs explora- olumus. Quanquam nos malumus, at- : adeò optamus, vt vos veſtra potius ſpō- quam alterius iuſſu rectè faceretis. Id d ſi adhuc faciatis & nobis ſatis, & vobis iter facietis. Bene valeatis. Primo No- ıb. 1567.

IPLISSIMO ET CLARISSIMO Dom. D. E. Bilde, Daniæ magno admirallo, amico chariſsimo.

Mpliſſime & clariſſime Domine. R. C. famulus meus, è Dania nuper reuerſus

in Angliam, se, in sua quam istic est perpessus duriori fortuna, tua inprimis bonitate, ope, & gratia leuatum fuisse, libenter frequentiq; suo sermone commemorat. Et quanquam sponte tua, & innata quadam omnes iuuandi voluntate hoc feceris, tamen postquam meũ famulum illum esse cognoueris, in meam quoq; gratiam, vti ille refert, multo libentiùs & studiosius opem & bonitatem tuã in illo è carcere liberando, & suas res ei restituendo, ostẽdisti. Idem iam in Daniam reuertitur, cum literis serenissimæ nostræ Principis, ad serenissimum Regem Daniæ, pro satisfactione nauis suæ, quæ Regis vestri nomine & iussu, ad seruiendum illi vnà cum reliqua sua classe, adhibita est: in quo seruitio, nauis, (vti ad nos allatum est) periit. Itaque, primum, (vti par est) gratias libentèr ago, pro illo tuo superiori & mihi pergrato officio, & meo famulo admodum opportuno & optato subsidio: dein, impensè rogo, vt, quod tua sponte, tam benigne antè in iuuãdo famulo meo susceperis, hoc iam, meo rogatu, ad felicem exitum perducere digneris. Ac viciſsim ipse diligenter curabo, vt tui, quorum res hoc postulabit, tuo etiam rogatu, parem humanitatem in Anglia, pari fauoris mei præsidio aliquando experiantur. Feliciſsime valeat Amplitudo tua.

Pro R. Clayton.

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI D. H. REGI N.

MVltæ iam graues querelæ ad nos ſunt delatæ: & crebræ etiam literæ ad veſtram Serenitatem ſunt ſcriptæ de ea pecunia, quam certi mercatores Londinenſes, viri ſpectatæ probitatis, fideles noſtri ſubditi veſtrâ cauſſa, & veſtro etiã nomine, atque id ad veſtræ Serenitatis vſum, ante aliquot iam annos, D. N. G. veſtro apud nos Oratori, in tempore eius pernecceſſario mutuam libenter dederunt. Hæc pecuniæ cõmodatio, conteſtata ſyngraphis, communita ſigillis, multis etiam teſtibus, cum noſtratibus, tum exteris, præſertim apud Belgas, paſſim in vulgus innoteſcit. Nos planè perſuaſum habemus, hanc cauſſam aut non rectè aut non omnino apud veſtram ſerenitatem eſſe declaratam: aliter enim res tam iuſta & explicata, tam diu, tot temporum difficultatibus, & morarum diuerticulis intricata apud iuſtiſſimum Principem non fuiſſet. Si qui verò ſunt, qui hoc negotium iſtic impediunt, illi certè & vim noſtris, & infamiam ſibi, & iniuriam etiam veſtræ Serenitatis nomini atque honori, nimis audacter imponunt. Nec ſolùm æquitatis palàm egrediuntur fines, ſed extra omnem etiam humanitatis

modum, nimis insolenter prodeunt: ratio enim vult, postulat æquitas, & humanitas, etiam meretur nostrorum mercatorum, vt illi commodum, non detrimentum: gratiam, non iniuriam: ab hac eorum tam officiosa pecuniæ commodatione, tum quidẽ vestris non solùm hominibus, verum etiam rebus pernecessaria, tandem quidem recipiant. Rogamus igitur vestram Serenitatem, vt huius caussæ eam curam suscipiat, vt posthæc, huius negotii nomine, nec nostrorum tam iustis querelis, nec nostris tot crebris literis, nec orbis tam diuulgatis sermonibus, locus amplius relinquatur. Sic enim, & ipsi æquitati, & vestro honori, & nostræ expectationi, & bonorum etiam de vestra bonitate communi voci atque iudicio, Serenitas vestra optimè quidem consulet, & plenè satisfaciet. Hoc modo etiam, nostri mercatores, secum suis fortunis, ad omnia grata officia vestræ Serenitati præstanda, quauis deinceps oblata opportunitate, paratissimos semper ostendent. Deus, &c.

Pro R. M.

ILLVSTRISSIMO ET NOBILISSIMO DOMINO COMITI N.

ILlustrissime & nobilissime Domine. Quãtâ obseruantiâ, amica mea D. Clareneux sanctæ

nctæ memoriæ fœmina, vestrã Excellen-
am: & quã beneuolentiâ illam Excellẽtia
cissima vestra prosequuta est, in Hispania
multi, in Anglia plurimi probe cognoscũt.
Hæc mutua vestra, eaque spectata multis,
cùm illius obseruantiæ tàm grata aliquan-
do officia, tum vestræ benignitatis tam pro-
pensa semper studia, spem mihi nunc certã
faciunt, (id quod sententia quoque ac iudi-
cio hìc omnium, qui vtrumq; vestrûm nô-
rùnt, mihi plane confirmatur.) vestram Ex-
cellentiam libenter velle, aliquam partem
illius propinquioris beneuolentiæ, mihi et-
iam eius propinquo, proximoque hæredi,
tanquam hæreditariam impartîre. Et sic
sunt res meæ, vt tempore iam meo perne-
cessario & in caussa per se iustissima, opus
planè habeam tui non solùm ope fauoris,
gratiæ, atque bonitatis, sed præsidio etiam
æquitatis atque authoritatis ad frangen-
dam iniuriam, quam N. Kempius homo
Anglus, amitæ defunctæ ingratus, mihi
superstiti iniquus, cõtra omnes & commu-
nis æquitatis, & domesticæ amicitiæ leges
intentare conatur. Vniuersam caussam &
singulas illius circumstantias, in has literas
(ne sim molestus) includere nolui: eas o-
mnes, articulatim in certa capita, in separa-
to scripto cum his literis coniuncto, fusius
explicatas distribui: vndè, opportunius &

plenius rationem omnem & statum illius negotii, vestra prudētia intelliget. Ius meũ, iuris subsidio persequi, non cogito: quia id omne præsidio vestræ bonitatis assequi planè spero, atque adeo expecto: neq; ego solùm mihi hoc spōdeo, sed omnes in Anglia, quibus æquitas, bonitas, & vera nobilitas vestræ excellentiæ explorata vnquam fuit, certò mihi asseuerant atq; pollicētur. Deus vestræ excellentiæ omnem florentem felicitatem concedat.

Pro Georgio White.

REGI D.

D. Alb. K.L.L. Doctor, vestræ serenitatis Orator, literas vestras, 26. Januar. Hafniæ datas, in initio huius mensis Aprilis nobis tradidit. Rumores illi, de immutata nostra volūtate, veri quidem non sunt: sermo tamen istuc perlatus, de frequentib. nostrorum mercatorum querelis, inanis verò non fuit. Tot enim, tamq; graues iniuriæ, his proximis superioribus potissimùm annis, sub vestro imperio, nostris spectatæ probitatis mercatoribus factæ sunt: quarum iniuriarum remedium nullũ hactenus, nec nostrorũ istic supplicationibus, nec nostris hinc crebrò missis literis obtineri potuerat, vt tandem nos ipsæ tot iustis nostrorũ querelis maturè consulendum esse duxerimus.

In

In qua cogitatione nostris quàm primùm prospiciendi, multùm nostra versabantur consilia, eo ipso tempore, quo D. K. ad nos peruenit. Iniuriæ & damna, quæ nostri pertulerunt, vestræ Serenitatis Oratori, nostro mandato, & fusè explicata, & probè pleneq; cognita sunt. Vt hæ nostrorum caussæ, in longiores moras, & sumptu intolerabiles, & ipso tædio non ferendas, ampliùs reiiciantur, (quomodo nimiumiam diù factum est) non vult ratio, non fert æquitas. Si igitur (quomodo vestro Oratori declarauimus,) antè quartum abhinc mensem, his nostris mercatorib. ita rectè & integrè satisfactum fuerit, vt, nec nostris amplius iustè conquerendi, nec nobis, vel scribendi alias literas, vel capiendi alia consilia, necessitas fuerit imposita, rem faciet vestra Serenitas & ipsi æquitati, & nostræ expectationi, & bonorũ iudicio, & vestro item honori, admodũ consentaneam. Ad has iustas nostrorum querelas, adiungemus nostram necessariam expostulationem de iniuria, non subditorum nostrorum propria, sed vtriusq; nostrorum cõmuni: in qua, certorum vestrorum audacia, facto nimis proiecta, exemplo valdè insolẽs extat. Quisquis.n. ille fuit, qui author erat illarum vestrarum literarum, quæ 13. superioris Octobris sunt datæ, dùm nimiùm studet caussæ non satis bonæ: præterquã quòd non

debitam vestri honoris rationem habet, apertam quidem, & ipsi veritati vim, & nobis iniuriam offert. Vrgendo enim certum caput prisci fœderis, verbis germanis ablatis, alienis ingestis, genuinum sensum miserè miscet, & falsò detorquet. Istiusmodi homines, qui has fœderum sanctiones tàm audactèr & propalàm prudentes violant, quàm sincerè miserorum supplicationes cognoscant, dubium esse potest. Est illa namque insignis audacia domi, quæ sic eminet foràs. Et quid non iniuriæ priuatis struant, qui sic cum Principibus etiam datâ operâ agunt? De horum hominum facto quid sentiendum sit, omnes vident; quid statuendum verò, vestræ Serenitati relinquimus. Itaque, quemadmodum nos expectamus, vt primo quoque tempore, nostris subditis, bona sua rectè & integrè restituantur: ita non dubitamus, quin cura fuerit inprimis adhibita à vestra Serenitate, ne præsenti impunitate, malorum deinceps crescat audacia. Hæc enim hoc tempore tam opportunè geminata ratio, & æquum faciendi malis, ad vestræ Serenitatis inprimis & æquitatis & honoris summam prædicationem: ad alenda feliciter inter nos ac nostros mutuam amicitiam: deniq;, ad sanctè sinceréque conseruandam omnem priscam & auitam confœderationem, maximopere pertinebit. Deus, &c. 22. Apr.

IN

IN GRATIAM CLARISSIMI D. N.

Pro R. M.

CVm nulla laus in Principe illustrius emineat, quàm bonitas, benigneque quam plurimis faciendi proposita voluntas, qua vna, Christum virtute Principes vnicè referunt, & propinquissimè ad eum accedunt: cumque bonitas humana quidem omnis, & peropportuna, at illa sola diuina & admirabilis existat, quæ respicit afflictos, & calamitosos erigit: cumque ex omni miserirum conditione, nulla sit, vel deflenda mais, vel iuuanda priùs, quàm eorum homium, qui Christi sequendi causa mundi renquunt commoda vniuersa: Quapropter, os captę misericordia clarissimi viri N. quē omi impia crudelitas è patrimonio expu-, & è patrio solo eiēcit, non alio quidē none, quam quia puriorē doctrinam Chri- Maiestatem Principis sui, libertatem pa-æ, paucorum libidini, impiè & indignè iici, nō sustinuerit; & propter alias iustas sas nos plurimum commouētes, de graostra speciali, ac ex certa scientia, & meotu nostris, dedimus & concessimus, ac præsentes pro nobis, hæredibus, & sucribus nostris, damus & concedimus, di-

cto clarissimo N. annuam pensionem quater mille coronatorum Gallicorum, habendam & percipiendam prædicto N. de THESAVRO nostro per manus Receptoris generalis curiæ nostræ Wardorum & Liberationum, ad quatuor anni tempora, incipiendo ad festum S. Michaëlis Archangeli proximè præteritum. Qua quidem annua pensione, prædictum N. frui & gaudere volumus, donec pacatis hiis durioribus temporibus, in Gallia integrum illi atque tutum esse possit, domi apud suos, Deo, Principi, & Patriæ, secure inseruire, vel quouis alio modo cõtingat illi, in patrimoninm suum, & pristinum statum quietè & ex animi sui sententia, reponi. In cuius rei testimonium, &c.

ILLVSTRISSIMO DOMINO N.

CLarissime Domine. Cum probe intelligo ex frequẽti bonorum hominum sermone, qua æquitate semper vestra Excellentia cognoscit omnes iustas causas: & quanta humanitate sæpe alleuat multos afflictos Anglos: planè confido, me in meâ & iustissimâ causa, & miserrimâ fortunâ, præsens & præsidium in vestra æquitate, & solamen in vestra humanitate reperturum. Superiori æstate, nauem, de more, misi negotiatum in Hispaniam: tempestatis vi & salis iacta-

iactatione compulsa, ad oram Castri appellit: per magistratus ac ciues de Bilbo & Castro capitur pro prædatoria; excutitur: Præfectus, cum aliquot nautis, rapitur in custodiam, diripiuntur bona; auferuntur armamenta: & facta in ipsos magistratus istic seuera inquisitione, cum nullius maleficii conuinci potuerant, liberi ad nauem iterũ dimittuntur. Cum nihil agere poterant ista æquitatis viâ, ecce suboriuntur certi testes, qui affirmant, hanc meam nauem anno 1563. mense Ianuario, non procul ab Vlyssipona piraticam exercuisse, & se ipsos, ab hac mea naue, tum temporis istic spoliatos fuisse: cum contrà, exploratissimum sit, hanc ipsam nauem, eo ipso tempore, & sex menses ante & post, sine omnibus & armamentis & apparatu in Anglia, in nauali de Portesmouth, suæ reficiẽdæ gratiâ iacuisse. quod hoc verissimum sit, publicum instrumentũ, sigillis multorũ hominũ oppido Portesmouth consignatum, in præsentia ostendendũ vestræ Excellentiæ habeo. Itaque, supplex venio ad vestræ Excellentiæ benignitatem, iã propositã sua naturâ ad benefaciendũ omnib. calamitosis hominibus, summopere rogans, vt dignetur, literis, hanc iustam caussam meam, Magistratibus de Bilbo & Castro commendare, mirum, vt nauis mea cum Præfecto,

nautis, & bonis vniuersis, liberè & integrè dimittatur, vna cum huiusmodi damnorum compensatione, quam æquitas & iustitia requirit. Hoc factum vestræ bonitatis vt commodū & optatū mihi, sic prædicabile apud omnes bonos, & Deo ipsi, vti spero, gratum officium est futurum. Deus vestræ Excellentiæ omnem longam & lætam felicitatem concedat. 27. Ianuarii.

Pro H. Fallofeld.

PRO R. M. IN GRATIAM GVL. G.

E. &c. Vniuersis ac singulis Regibus, Principibus, ecclesiasticis & secularibus, Archiep. Episcop. Ducibus, March. Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Prouinciarum, Terrarum, Ciuitatum, Oppidorum, Villarum, & quorumuis aliorum locorum Præfectis, Gubernatoribus, Rectoribus, & locum eorum tenentibus: nec non Admiraldis maris, portuum, passuum, & pontiū Custodibus: & aliis vniuersis, ac singulis hominibus, cuiuscunque loci, status, gradus, ordinis, ac cōditionis existant, ad quos hæ nostræ præsentes literæ peruenturę sint, salutē, & sincerę dilectionis effectū. Serenissimi, Illustrissimi, Excellentissimi, Religiosissimi, Reuerēdi, Illustres, Magnifici, Generosi, Spectabiles, Egregii, Fratres, Consan-

guinei,

guinei, Amici, ac nobis sincere dilecti. Cũ in hac domestica tranquillitate & cõmuni pace, quam Dei benignitate nos hoc tẽpore, cũ omnibus viciniis circumcirca Principib. firmissimam habemus, Gul. G. nobilis Anglus, fidelis noster & perdilectus famulus, otii quasi domestici pertæsus, exterrã adire militiã instituat, potissimùm verò vbicũq; gentium, terrâ maxime, contra Turcam, communẽ Christiani nominis hostem, res gerenda sit: Nos hanc eius laudabilem voluntatem, & nobile institutum, non solùm valdè probamus, sed ex mera gratia, & singulari fauore, nostro, multis iustis de causis eundẽ proficiscentẽ, præcipua nostra commendatione prosequendũ esse duximus. Est enim nobili domo oriundus, & nobis ipsis quidem, clarissimæ Hauardinæ Northfolciensis familiæ ratione propinquus, quo nomine nobis etiã seorsim valdè charus existit. Præterea, ab ipsa natura ad bellum factus, à paruulis militari & disciplina & vsu apprimè institutus: atque multis variis bellis, sub nobilissimæ memoriæ patre, fratre nostro atque sorore, serenissimis Angliæ Regibus, & sub nostro item imperio, operam semper fidelissimi subditi, industriam strenui militis, & prudentiam sæpè terra marique solertis Capitanei, ad Reipublicæ cõmodum, ad suam non vulgarem laudem, & cõmen-

ipsum vestrum consiliũ, & animi iudicium, valdè comprobamus: & ratione superiorum temporum ritè subducta, planè perspicimus, quòd, VBI MVTVVS AMOR ET STVDIORVM CONSENSVS, ANIMOS PRINCIPVM NON IVNGIT, ISTIC OMNIA CONFOEDERATIONVM VINCVLA, LITERARVM NOTIS QVOMODOCVNQVE ILLIGATA, INFELICES PLERVNQVE EXITVS SORTIVNTVR. Quanquàm pro nostra parte, nostra quidem hæc mens est, nos inprimis nobiscum constituere, nullam omninò, cum vllo Principe aut natione, confœderationem sancire velle, ad quam prius ineundam benè considerata animi inductione, & perlibenter non adducimur: in quam semel postquam verbo & scripto consenserimus, eandem deinceps etiam, cum nostro explorato incommodo, sanctè & inuiolabiter tuebimur, & id quidem ad respectum solùm nostri honoris: cuius, post officium DEO debitum, maiorem rationem ducimus quàm vllius rei, quæ nobis vel vsui, vel cordi vllo modo esse queat. Caussa mittendi legatos ad vestram Excellentiam & alios confessionis Aug. Principes, hæc fuit: vt exploraremus, an vlla huiusmodi cõfœderatio, inter vos sancita esset, qualem esse communis ferè omniũ opinio confirmauit.

uit. Sin verò fuisset, habebamus in animo, illam consociationem, fauore, consilio ope etiam nostra promouere: cùm planè cōstet vobis omnibus, nos ex eo tempore, quo ad rerum gubernacula accessimus, nihil omisisse, quod spectaret, vel ad restaurationem doctrinæ Christi, in hoc regno nostro, è cuius finibus paulò antè fuit eiecta: vel ad eādem in circumcircà vicinis regionibus fundandam & propagandam, licèt ad interturbandum omne illud animi nostri propositum multa vndiq; obiecta nobis essent impedimenta. Et cum intelligimus, hanc esse omnium vestrûm consentientem opinionem, nimirùm securitatem Religionis, meliùs stabiliri, & firmiùs niti coniunctione animorum, quàm scriptione fœderum, sic, vt mutua subsidia opportunè suppeditarētur, pro rerum & temporum ratione, & non compingerentur in argutas illas scripti angustias: quibus, summa sæpè rerū in moras reiecta, in extremum plerumq; discrimen conijcitur. Nos sanè hæc vestra consilia ita probamus, vt nihil ardentius in optatis habeamus, quàm vt animi omnium Principū, qui EVANGELIVM profitentur, eo amoris sensu perpetuò imbuantur, vt vnusquisque pro RELIGIONIS defensione alterius caussam, suam esse ducat. Et quando aduersarij, initia vel consiliorū, vel armorum

plenius rationem omnem & statum illius negotii, vestra prudẽtia intelliget. Ius meũ, iuris subsidio persequi, non cogito: quia id omne præsidio vestræ bonitatis assequi planè spero, atque adeo expecto: neq; ego solùm mihi hoc spõdeo, sed omnes in Anglia, quibus æquitas, bonitas, & vera nobilitas vestræ excellentiæ explorata vnquam fuit, certò mihi asseuerant atq; pollicẽtur. Deus vestræ excellentiæ omnem florentem felicitatem concedat.

Pro Georgio White.

REGI D.

D. Alb. K.LL. Doctor, vestræ serenitatis Orator, literas vestras, 26. Ianuar. Hafniæ datas, in initio huius mensis Aprilis nobis tradidit. Rumores illi, de immutata nostra volũtate, veri quidem non sunt: sermo tamen istuc perlatus, de frequentib. nostrorum mercatorum querelis, inanis verò non fuit. Tot enim, tamq; graues iniuriæ, his proximis superioribus potissimùm annis, sub vestro imperio, nostris spectatæ probitatis mercatoribus factæ sunt: quarum iniuriarum remedium nullũ hactenus, nec nostrorũ istic supplicationibus, nec nostris hinc crebrò missis literis obtineri potuerat, vt tandem nos ipsæ tot iustis nostrorũ querelis maturè consulendum esse duxerimus.

In

In qua cogitatione nostris quàm primùm prospiciendi, multùm nostra versabantur consilia, eo ipso tempore, quo D. K. ad nos peruenit. Iniuriæ & damna, quæ nostri pertulerunt, vestræ Serenitatis Oratori, nostro mandato, & fusè explicata, & probè pleneq; cognita sunt. Vt hæ nostrorum caussæ, in longiores moras, & sumptu intolerabiles, & ipso tædio non ferendas, ampliùs reiiciantur, (quomodo nimium iam diù factum est) non vult ratio, non fert æquitas. Si igitur (quomodo vestro Oratori declarauimus,) antè quartum abhinc mensem, his nostris mercatorib. ita rectè & integrè satisfactum fuerit, vt, nec nostris amplius iustè conquerendi, nec nobis, vel scribendi alias literas, vel capiendi alia consilia, necessitas fuerit imposita, rem faciet vestra Serenitas & ipsi æquitati, & nostræ expectationi, & bonorũ iudicio, & vestro item honori, admodũ consentaneam. Ad has iustas nostrorum querelas, adiungemus nostram necessariam expostulationem de iniuria, non subditorum nostrorum propria, sed vtriusq; nostrorum cõmuni: in qua, certorum vestrorum audacia, facto nimis proiecta, exemplo valdè insolẽs extat. Quisquis. n. ille fuit, qui author erat illarum vestrarum literarum, quæ 13. superioris Octobris sunt datæ, dùm nimiùm studet caussæ non satis bonæ: præterquã quòd non

debitam vestri honoris rationem habet, apertam quidem, & ipsi veritati vim, & nobis iniuriam offert. Vrgendo enim certum caput prisci fœderis, verbis germanis ablatis, alienis ingestis, genuinum sensum miserè miscet, & falsò detorquet. Istiusmodi homines, qui has fœderum sanctiones tàm audactèr & propalàm prudentes violant, quàm sincerè miserorum supplicationes cognoscant, dubium esse potest. Est illa namque insignis audacia domi, quæ sic eminet foràs. Et quid non iniuriæ priuatis struant, qui sic cum Principibus etiam datâ operâ agunt? De horum hominum facto quid sentiendum sit, omnes vident; quid statuendum verò, vestræ Serenitati relinquimus. Itaque, quemadmodum nos expectamus, vt primo quoque tempore, nostris subditis, bona sua rectè & integrè restituantur: ita non dubitamus, quin cura fuerit inprimis adhibita à vestra Serenitate ne præsenti impunitate, malorum deinceps crescat audacia. Hæc enim hoc tempore tam opportunè geminata ratio, & æquum faciendi malis, ad vestræ Serenitatis inprimis & æquitatis & honoris summam prædicationem: ad alenda feliciter inter nos ac nostros mutuam amicitiam: deniq; ad sanctè sinceréque conseruandam omnem priscam & auitam confœderationem, maximopere pertinebit. Deus, &c. 22. Apr.

IN

IN GRATIAM CLARISSIMI D. N.

Pro R. M.

CVm nulla laus in Principe illustrius eemineat, quàm bonitas, benigneque quam plurimis faciendi proposita voluntas, qua vna, Christum virtute Principes vnicè referunt, & propinquissimè ad eum accedunt: cumque bonitas humana quidem omnis, & peropportuna, at illa sola diuina & admirabilis existat, quæ respicit afflictos, & calamitosos erigit: cumque ex omni miseriarum conditione, nulla sit, vel deflenda magis, vel iuuanda priùs, quàm eorum hominum, qui Christi sequendi causa mundi relinquunt commoda vniuersa: Quapropter, nos captę misericordia clarissimi viri N. quē domi impia crudelitas è patrimonio expulit, & è patrio solo eiēcit, non alio quidē nomine, quam quia puriorē doctrinam Christi, Maiestatem Principis sui, libertatem patriæ, paucorum libidini, impiè & indignè subiici, nō sustinuerit; & propter alias iustas causas nos plurimum commouētes, de gratia nostra speciali, ac ex certa scientia, & mero motu nostris, dedimus & concessimus, ac per præsentes pro nobis, hæredibus, & successoribus nostris, damus & concedimus, di-

cto clarissimo N. annuam pensionem qua-
ter mille coronatorum Gallicorum, haben-
dam & percipiendam prædicto N. de THE-
SAVRO nostro per manus Receptoris gene-
ralis curiæ nostræ Wardorum & Liberatio-
num, ad quatuor anni tempora, incipiendo
ad festum S. Michaëlis Archangeli proximè
præteritum. Qua quidem annua pensione,
prædictum N. frui & gaudere volumus, do-
nec pacatis hiis durioribus temporibus, in
Gallia integrum illi atque tutum esse possit,
domi apud suos, Deo, Principi, & Patriæ, se-
cure inseruire, vel quouis alio modo cōtin-
gat illi, in patrimonium suum, & pristinum
statum quietè & ex animi sui sententia, re-
poni. In cuius rei testimonium, &c.

ILLVSTRISSIMO DO-
MINO N.

CLarissime Domine. Cum probe intelli-
go ex frequēti bonorum hominum ser-
mone, qua æquitate semper vestra Excellen-
tia cognoscit omnes iustas causas: & quan-
ta humanitate sæpe alleuat multos afflictos
Anglos: planè confido, me in meâ & iustis-
sima causa, & miserrimâ fortunâ, præsens
& præsidium in vestra æquitate, & sola-
men in vestra humanitate reperturum. Su-
periori æstate, nauem, de more, misi nego-
tiatum in Hispaniam: tempestatis vi & salis
iacta-

iactatione compulsa, ad oram Castri appellit: per magistratus ac ciues de Bilbo & Castro capitur pro prædatoria; excutitur: Præfectus, cum aliquot nautis, rapitur in custodiam, diripiuntur bona; auferuntur armamenta: & facta in ipsos magistratus istic seuera inquisitione, cum nullius maleficii conuinci potuerant, liberi ad nauem iterũ dimittuntur. Cum nihil agere poterant ista æquitatis viâ, ecce suboriuntur certi testes, qui affirmant, hanc meam nauem anno 1563. mense Ianuario, non procul ab Vlyssipona piraticam exercuisse, & seipsos, ab hac mea naue, tum temporis istic spoliatos fuisse: cum contrà, exploratissimum sit, hanc ipsam nauem, eo ipso tempore, & sex menses ante & post, sine omnibus & armamentis & apparatu in Anglia, in nauali de Portesmouth, suæ reficiẽdæ gratiâ iacuisse. Et quod hoc verissimum sit, publicum instrumentũ, sigillis multorũ hominũ oppido de Portesmouth consignatum, in præsentia ostendendũ vestræ Excellentiæ habeo. Itaque, supplex venio ad vestræ Excellentiæ bonitatem, iã propositã sua naturâ ad benignè faciendũ omnib. calamitosis hominibus, summopere rogans, vt dignetur, literis suis, hanc iustam caussam meam, Magistratibus de Bilbo & Castro commendare: nimirum, vt nauis mea cum Præfecto,

nautis, & bonis vniuersis, liberè & integrè dimittatur, vnà cum huiusmodi damnorum compensatione, quam æquitas & iustitia requirit. Hoc factum vestræ bonitatis vt commodũ & optatũ mihi, sic prædicabile apud omnes bonos, & Deo ipsi, vti spero, gratum officium est futurum. Deus vestræ Excellentiæ omnem longam & lætam felicitatem concedat. 27. Ianuarii.

Pro H. Fallofeld.

PRO R. M. IN GRATIAM GVL. G.

E. &c. Vniuersis ac singulis Regibus, Principibus, ecclesiasticis & secularibus, Archiep. Episcop. Ducibus, March. Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Prouinciarum, Terrarum, Ciuitatum, Oppidorum, Villarum, & quorumuis aliorum locorum Præfectis, Gubernatoribus, Rectoribus, & locum eorum tenentibus: nec non Admiraldis maris, portuum, passuum, & pontiũ Custodibus: & aliis vniuersis, ac singulis hominibus, cuiuscunque loci, status, gradus, ordinis, ac cõditionis existant, ad quos hæ nostræ præsentes literæ peruenturę sint salutẽ, & sincerę dilectionis effectũ. Serenissimi, Illustrissimi, Excellentissimi, Religiosissimi, Reuerẽdi, Illustres, Magnifici, Generosi, Spectabiles, Egregii, Fratres, Consanguine

guinei, Amici, ac nobis sincere dilecti. Cũ in hac domestica tranquillitate & cõmuni pace, quam Dei benignitate, nos hoc tẽpore, cũ omnibus vicinis circumcirca Principib. firmissimam habemus, Gul. G. nobilis Anglus, fidelis noster & perdilectus famulus, otii quasi domestici pertæsus, exterã adire militiã instituat, potissimùm verò vbicũq; gentium, terrâ maxime, contra Turcam, communẽ Christiani nominis hostem, res gerenda sit: Nos hanc eius laudabilem voluntatem, & nobile institutum, non solùm valdè probamus, sed ex mera gratia, & singulari fauore, nostro, multis iustis de causis eundẽ proficiscentẽ, præcipua nostra commendatione prosequendũ esse duximus. Est enim nobili domo oriundus, & nobis ipsis quidem, clarissimæ Hauardinæ Northfolciensis familiæ ratione propinquus, quo nomine nobis etiã seorsim valdè charus existit. Prætereà, ab ipsa natura ad bellum factus, à paruulis militari & disciplina & vsu apprimè institutus: atque multis variis bellis, sub nobilissimæ memoriæ patre, fratre nostro atque sorore, serenissimis Angliæ Regibus, & sub nostro item imperio, operam semper fidelissimi subditi, industriam strenui militis, & prudentiam sæpè terra marique solertis Capitanei, ad Reipublicæ cõmodum, ad suam non vulgarem laudem, & cõmen-

dationem declarauit. Itaque nos admodum cupientes, vt hæc eius profectio, quaquauersus eundo redeundoque, non solum illi tuta & expedita vbique pateat, sed illustris etiam & honorifica, apud omnes existat, libenter ac studiosè Serenitates, Excellētias, Humanitates vestras omnes hortamur; vt illum, vnà cum suis familiaribus, cùm ad loca quæcunque vestræ ditionis peruenerint, humaniter accipiatis, benignéque tractetis: Sic, vt is cum suis comitibus, equis, armis, clitellis, rebus ac bonis vniuersis per vestra regna, dominia, ditiones, prouincias, ac iurisdictiones non solùm tutò sine offensione, & liberè sine impedimento, sed benignè etiam cùm omni humanitate, adire, transire, morari atque redire semper queat. Quam vestram humanitatem, nos vicissim, cùm similis vsus vllorum vestrorum, qui vobis sunt charissimi, par nostrum studium requirat, libenti & memori animo compensabimus. In cuius rei testimonium has nostras patentes literas fieri fecimus, propriaque nostra manu subscript. ac proprio nostro sigillo impress. iussimus communiri. Datum in Regia nostra Londini, decimo Febr. 1565. regnorum verò nostrorum 8.

D. FR.

D. FR. C. P. R. &c.

ILlustrissime P. Cons. & amice charissime. Intelligimus ex sermone fidelis famuli nostri H. K. quàm præcipuâ grati animi propensione, vestra Excellentia, & nos & statum nostrum prosequitur; intelligimus item, quàm intenta cogitatione, & solicita cura, ad puram Christi Religionem tuendam, vestra indies, præ cæteris Principibus incumbit Excellentia. Vtriusque hujus vestri & grati erga nos studii, & pii erga Deum officii, multa quidem & ea valdè illustria testimonia in literis quoque vestris 10. Decembris Heidelbergæ ad nos datis, insigniter sunt contestata. Quæ mentis vestræ tàm laudata voluntas, à nobis ingentes gratias, apud omnes bonos præcipuam laudem, iure promeretur. Cum verò iam ex literis vestris exploratum nobis sit, vestram Excellentiam hactenus, grauissimis de causis abstinuisse à communib. scriptis fœderibus, etiam cũ hiis, qui & sanguine, & patria, & eâdem Religione vobis essent iuncti; & iudicauisse semper, liberas miniméque coactas consociationes (præsertim in negotio Religionis) plus fidei & virium habituras, quã si stricta & literis potiùs, quàm animis consignata, fœderũ ratio iniretur; nos certè, hoc

ipsum vestrum consiliũ, & animi iudicium, valdè comprobamus: & ratione superiorum temporum ritè subducta, planè perspicimus, quòd, VBI MVTVVS AMOR ET STVDIORVM CONSENSVS, ANIMOS PRINCIPVM NON IVNGIT, ISTIC OMNIA CONFOEDERATIONVM VINCVLA, LITERARVM NOTIS QVOMODOCVNQVE ILLIGATA, INFELICES PLERVNQVE EXITVS SORTIVNTVR. Quanquàm pro nostra parte, nostra quidem hæc mens est, nos inprimis nobiscum constituere, nullam omninò, cum vllo Principe aut natione, confœderationem sancire velle, ad quam prius ineundam benè considerata animi inductione, & perlibenter non adducimur: in quam semel postquam verbo & scripto consenserimus, eandem deinceps etiam, cum nostro explorato incommodo, sanctè & inuiolabiter tuebimur, & id quidem ad respectum solùm nostri honoris: cuius, post officium DEO debitum, maiorem rationem ducimus quàm vllius rei, quæ nobis vel vsui, vel cordi vllo modo esse queat. Caussa mittendi legatos ad vestram Excellentiam & alios confessionis Aug. Principes, hæc fuit: vt exploraremus, an vlla huiusmodi cõfœderatio, inter vos sancita esset, qualem esse, communis ferè omniũ opinio confirmauit.

uit. Sin verò fuisset, habebamus in animo, illam consociationem, fauore, consilio ope etiam nostra promouere: cùm planè cōstet vobis omnibus, nos ex eo tempore, quo ad rerum gubernacula accessimus, nihil omisisse, quod spectaret, vel ad restaurationem doctrinæ Christi, in hoc regno nostro, è cuius finibus paulò antè fuit eiecta: vel ad eādem in circumcircà à vicinis regionibus fundandam & propagandam, licèt ad interturbandum omne illud animi nostri propositum multa vndiq; obiecta nobis essent impedimenta. Et cum intelligimus, hanc esse omnium vestrûm consentientem opinionem, nimirùm securitatem Religionis, meliùs stabiliri, & firmiùs niti coniunctione animorum, quàm scriptione fœderum, sic, vt mutua subsidia opportunè suppeditarētur, pro rerum & temporum ratione, & non compingerentur in argutas illas scripti angustias: quibus, summa sæpè rerū in moras reiecta, in extremum plerumq; discrimen conijcitur. Nos sanè hæc vestra consilia ita probamus, vt nihil ardentius in optatis habeamus, quàm vt animi omnium Principū, qui EVANGELIVM profitentur, eo amoris sensu perpetuò imbuantur, vt vnusquisque pro RELIGIONIS defensione alterius caussam, suam esse ducat. Et quando aduersarii, initia vel consiliorū vel armorum

ſuſpicione, in profeſſores EVANGELII vim ſint intentaturi, vt tum illud factum, licèt loco valdè ſeiunctum, periculo tamen propinquum ſibi quiſque eſſe iudicet. Nam in cauſa Religionis, pro explorato haberi debet, aduerſarium, vbi vim ſemel ſtruxerit, ante non conquieſcere, quàm vi viciſſim frangatur. vis enim progrediendo, vi vires colligit. Quod nos, vſu & diſcrimine rerum edoctæ verum eſſe experimur. Quanquàm, cùm vis virium humanarum omnes neruos ſuos intenderit, ecce, manus Dei tum potiſſimum paratiſſima eſt, ad ſublenandum ſuos, & id quidem maximè, cum ſpes humani auxilii omnis ſublata eſſe videatur. Propterea nos memores tam exploratæ conſuetudinis benignitatis diuinæ erga nos, gratos nos exhibeamus pro tantis beneficiis, neq; vnquam vereamur doctrinã illius aſſerere, contra omnes Satanę & mũdi quoſcunq; ſatellites. Hæc ad veſtras literas veſtraq; cõſilia, de ratione fœderũ ſcripto compræhẽſorum, prudenter inſtituta: ad veſtram verò tantã cùm humanitatem erga noſtros, tum beneuolentiã & ſtudium erga nos, non verbis nunc & literarum ſermone, ſed mutuo ſemper amore, & omni deinceps gratificandi & vobis & veſtris captata opportunitate, libẽter & ſtudioſè reſpondebimus. Deus, &c. 26. Martii.

Pro R. M.

CLA-

CLARISSIMÆ D. CECILIÆ, S.G. V.P.C.N. CHARISSIMÆ.

Pro R. M.

CLarissima P. Consf. charissimæ. Quò planiùs apparet, quàm propensa sit, & ad omnem obseruantiam erga nos parata vestra voluntas, eò grauiùs ferimus eorum iniurias, qui bis iam hoc anno interceptis nostris literis, effecerunt, vt declaratio nostræ vicissim mutuę beneuolentię, nondum, perinde vt voluimus, ad vestram Excellentiam peruenerit. Et si hominum improbitas, in literis excutiendis constitisset, tolerabilior quidē fuisset: sed cùm irrueret etiam ad auferendum certa quædam munera, quæ nos, ad ornatum vestri, ad memoriam nostri, vnà misimus, immanitas & barbaries planè habenda est. Omnes verò vestros amores, mutuò vt par est, & libentèr amamus: constantiam autē propositi vestri, in Angliam ad nos perueniendi, & nos ipsę valdè amplectimur: & quod ad illā rem promouendā spectat, ad serenissimū fratrem vestrum diligēter conscripsimus. Vos ergo, nō vestras expectamus literas; cùm in Anglia eritis, sedulo curabimus, vt omnib. vestro & respondeatur voto, & satisfiat voluntati; nec permittemus, vt obseruantia vestra, quàm beneuolentia no-

ſtra expeditior exiſtat. Et in hac mutua voluntatum noſtrarum coniunctione, eoſdem etiam animorum ſenſus ineſſe experimur. Nam, quantum capimus voluptatis, ex veſtra ergo nos beneuolentia, tãtum ſanè haurimus doloris, ex veſtro nũc mærore, quem, indignus obitus digniſſimi viri, & vobis quidem chariſſimi nuper attulit. At, ſi quàm ſumus nos propenſæ ad reſpondendum in omni mutuo amore, tàm eſſemus itidem felices in conſolando, in hoc veſtro luctu; facile efficeremus, vt omnis veſtri mæroris aculeus, vel omnino ſublatus, vel magnã partem delinitus eſſet. Sed, cũ inter reliquas veſtras virtutes, prudentiam ſic eminere intelligimus, vt illa omnibus veſtris non interſit ſolùm, ſed præſit etiam conſiliis nõ dubitamus, quin eam doloris medicinã, quam ipſa dies, paulo poſt neceſſariò ſit allatura. Auditione accepimus, multas & magnas fuiſſe illuſtriſſimi Belzẽſis Palatini virtutes: ſed fratrem eius patruelem, illuſtriſſimum D. Ioannem Comitem in Theuczem, Capitaneum Rohatinensẽ, (de quo, quid ſentimus, vt ſcribamus rogamur) hîc in Anglia vidimus, cui9 in mente & moribus, præſtans quædã dignitas elucebat. Hunc itaq; charum vobis fore exiſtimamus, & per ſe, & propter illius etiam reſpectum, qui olim fuit chariſſimus. Sed de his & aliis multis fuſiùs, cum opportunior, &

vem-

temporis & loci commoditas nobis dabitur. Interim, omnes florentes felicitates, ad animi vestri sententiam, vestræ Excellentiæ à Deo exoptamus. 25. Februarii.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, I. Comiti in T.C.R. amico nobis plurimum dilecto.

Illustrissime, Charissime. Leo Curio fidelis vester seruitor, & G. N. dilectus noster subditus, vestras literas, cum vestro grato munere, 10. Ianuarii H. datas nobis tradidit. Pro munere quidem, & gratias magnas nũc habemus, & easdem, re quidem, cum opportunitas feret, plane sumus relaturæ. Literæ verò vestræ maiorem voluptatem nè, an dolorem attulerint, dubium quidem est. Pergratũ enim nobis fuit intelligere, quàm officioso obsequio, & constanti obseruantia atq; studio, vestra nos colit Excellentia. Nõ minùs luctuosum nobis fuit audire, de dura illa vestra in Dania tractatione, deq; tristi obitu illustrissimi P. B. qui tempore & insperatissimo sibi, alienissimo suis, ex hac vita, indigno quidẽ modo sublatus est. In hoc tã ærumnoso casu, hoc plurimùm nos interim recreauit, quòd intelligimus vestram Excellentiam, illi cognatione propinquã, virtute parem, fortunis nunc etiã atq; dignitate factam esse æqualẽ: vt iam non magis oppor-

tuna consolandi, quam gratulandi tibi, occasio mihi hoc tempore oblata sit. Scripsimus ad Principem Ceciliam: verum in hoc eius præsenti luctus sensu, & in hoc recenti sponsi desiderio, nouarũ nuptiarum, disertis verbis, mentionem facere, & ratione, hoc tempore & pro re ipsa alienũ fuisset. Huiusmodi consilium non literis nunc cõmittere, sed cũ in Anglia ipsa fuerit, præsenti sermoni conseruare, longè opportunius esset. De nobis vero, ita existimate: nos in respondendo omnib. gratis vestris officiis, quibuscunque modis commode poterimus, cum omni animi nostri propensione, paratos semper fore. Bene valeat vestra Excellentia. 25. Febr.

Pro R. M.

REGIN.

E. &c. Potentissimo & inuictissimo P. magno Sophi. Persarum, Med. Parth. Hirc. Carm. Mar. populorum cis & vltra Tigrim fluuium, & omnium intra mare Casp. & Pers. sinum, nationum atq; gentium imperatori, salutem, & rerum prosperarũ felicissimum incrementum. Summi Dei benignitate factum est, vt quas gentes non solùm immensa terrarũ spatia, & insuperabiles marium vastitates, sed ipsi etiam cælorũ cardines longissime disiunxerunt, ipsæ tamen literarum & mentis certa cogitata, & huma-

nitatis

nitatis grata officia, & intelligentiæ mutuæ multa cōmoda, facile inter se & opportunè possint communicare. Itaque, cùm perdilectus & fidelis noster famulus A. Ienkinson, qui has literas nostras perfert, cū bona venia, fauore, & gratia nostra, hoc Angliæ nostræ regnū excedere: & in Persiā vsq; vestrasque alias ditiones (Dei benignitate) penetrare constituerit: hoc illius institutum perlaudabile quidem, grato nostro fauore prosequi, & promouere studuimus: id quod eò nos libentiùs facimus, quoniā hoc eius propositū, ex honesto studio commercii constituendi potissimū, cū vestris subditis, aliisq; peregrinis hominib. ad vestra regna confluentibus, omnino exortum sit. Propterea, nobis & scribendum ad vestrā Maiestatem, ab eaq; petendum esse duximus, vt nostro rogatu dignetur cōcedere huic famulo nostro A. I. literas publicæ fidei & salui conductus, quarum authoritate, atq; præsidio, licitū liberūq; sit illi, vnà cū suis familiaribus, seruis, sarcinis, mercibus & bonis vniuersis, per vestra regna, dominia, ditiones, atq; prouincias, libere & sine impedimēto proficisci, ire, trāsire, redire, abire, & istic morari, quādiu placuerit, & inde recedere, quādocūq; illi libitū fuerit. Si hęc sācta hospitalitatis iura, & dulcia cōmunis humanitatis officia inter nos, regna nostra, nostrosq; subditos libē

ter constitui, sincerè coli, & constanter cō-
seruari queant, speramus nos Deum Opt.
Max. effecturum, vt ab hiis paruis initiis,
grandiora rerum momenta, nobis ad ma-
gna ornamenta atq; decus, nostris ad sum-
ma commoda atque vsus, aliquando sint
oritura Sic quidem, vt non mare, non ter-
ra, non cælum ad nos longissime separan-
dos, quàm diuina ratio, communis huma-
nitas, & mutua beneuolentia, ad nos fir-
missimè coniungendos, plus virium habu-
isse videatur. Deus salutem omnem & fe-
licem in terris, & perpetuam in cælis, vestræ
concedat Maiestati. Datæ in Anglia, in ce-
lebri nostra vrbe Londino 25. die mensis
Aprilis. Anno mundi 5523. Domini ac
DEI nostri Iesu Christi 1561. regno-
rum verò nostrorum tertio.

Pro R. M.

FINIS.

Ioannis STVRMII, HIERONYMI OSORII, ALIORVMque Epiſtolæ,

Ad

ROGERVM ASCHAMVM
aliosque nobiles Anglos miſſæ.

AB E. G. COLLECTÆ, ET nunc primùm in Germania in lucem editæ.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,

M D C X.

IOANNIS STVRMII, HIERONYMI OSORII, ALIOrumque Epistolæ,

Ad

ROGERVM ASCHAMVM aliosque nobiles Anglos missæ.

IOANNES STVRMIVS Rogero Aschamo.

S.P. Literarum Aschame: quas vxori Buceri ad te dedi, exemplũ, quod curãuĩ mihi describi, ad te mitto, quò videas epistolã tuã non loquacẽ, sed eloquentẽ fuisse. Planè .n. mihi persuasit, omnes in te esse eas virtutes; quarũ indicia in illa præclara elucẽt; humanitatem, veritatẽ, iudicium, doctrinã, amorẽ etiam erga me tuũ: nisi quòd nimium tribuis mihi; in quo patiar amorẽ cæcũ esse, vt ne si oculos aperiat, à me decedat, & trãsferatur in aliũ. Cupio .n. abs te omninò amari, & volo vtriusq; epistolã testem inter nos extare perpetuæ inter nos charitatis. Itaq; vtramq; diuulgabo hisce ꝓximis dieb. Sed quàm male accidit, quòd D. Morisinus legatus Regius ad nos non deflexerit, pro-

pter coniunctionem nostram, propter necessitudinem religionis, quæ est nostræ ciuitati cũ regno Angliæ: plus enim religionis consociatio in hominib. valere debet, quã quoduis aliud fœdus. Declarassemus certè non facultates, neque opes nostras, sed beneuolentiam, & studium, & obseruantiam, & reuerentiam, quã præstare debemus. Sed tu promittis mihi in literis tuis, de tuo aduentu, in quo fallere non debes expectationem nostram: tum vt quàm creberrimè scribas, vide: nam etiã id polliceris. Libellum de periodis misi D. Elisabethæ, sed desiderat patronũ & commendatorẽ suum, id quod ei de te persuaseram. Verum tamen gratum fuisse munus audio D. Elisabethæ: fortassis quia tu mihi aliquando tribuisti aliquid in tuis ad eã sermonibus: Regis non memini in præfatione, vt nunc loquuntur: eius M. locũ designaui in Aristotelicis meis dialogis: in quibus stilum meũ quotidie acuo, vt si quid possit cõtra Barbariem in his ostendat, quantulũ sit quod in ea conficiẽda possit: tum etiã in celebrandis amicis, ad quos mihi tuus amor iucũdissimus hospes, imò familiaris nunc & domesticus accessit. Vale mi Rogere Aschame: valere etiam D. Morisinum legatũ opto: & Deũ Christumq; oro, vt valeat; omnesque vos incolumes & prosperos conseruet. Argentorati. XVIII. Nouemb. 1550.

IOAN-

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO.

S. Scribo hæc in Bibliotheca D. Montii: fui etiam tota die occupatissimus, itaq; ignosces. Gratũ mihi est me magni à te fieri, & meas te literas expetere: quorũ alterum præstare non possum, vt sim magnus: alterũ iam facio: scribo enim, verùm paucis, nã plurib. non vacat. Gratiam tibi habeo quòd literas ad Montium cõmunes esse volueris: & me sanè delectârũt, cùm reb. ipsis de quibus scribis: tum etiam tuâ prudentiâ tuoq; iudicio. Cogito tuis omnib. epistolis, vno aliquo scripto publicè respondere, vt nõ me pigrum esse putes. Dialogos Aristotelicos conficiã hoc anno: gratum mihi est, quod huc vsque peruenerim. D. legatum pro me meisq; verbis saluta. Vale. Argẽtorati XVII. Martii, Anno Dom. 1551.

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO

S. Et ex his quas ad me anteâ miseras: & ex multis literis quas ad Montium cõmunes post dedisti: planè intelligo, me abs te amari, atq; etiam amari constanter: nulla offensione silentii mei. Ego verò ad amicos rarò scribo, nõ solùm ob quotidianos labores atq; molestias, sed etiã propter summũ

pter coniunctionem nostram, propter necessitudinem religionis, quæ est nostræ ciuitati cũ regno Angliæ: plus enim religionis consociatio in hominib. valere debet, quã quoduis aliud fœdus. Declarassemus certè non facultates, neque opes nostras, sed beneuolentiam, & studium, & obseruantiam, & reuerentiam, quã præstare debemus. Sed tu promittis mihi in literis tuis, de tuo aduentu, in quo fallere non debes expectationem nostram: tum vt quàm creberrimè scribas, vide: nam etiã id polliceris: Libellum de periodis misi D. Elisabethæ, sed desiderat patronũ & commendatorẽ suum, id quod ei de te persuaseram. Verum tamen gratum fuisse munus audio D. Elisabethæ: fortassis quia tu mihi aliquando tribuisti aliquid in tuis ad eã sermonibus: Regis non memini in præfatione, vt nunc loquuntur; eius M. locũ designaui in Aristotelicis meis dialogis: in quibus stilum meũ quotidie acuo vt si quid possit cõtra Barbariem in his ostendat, quantulũ sit quod in ea conficiẽda possit: tum etiã in celebrandis amicis, ad quos mihi tuus amor iucũdissimus hospes, imò familiaris nunc & domesticus accessit. Vale mi Rogere Aschame: valere etiam D. Morisinum legatũ opto: & Deũ Christumq; oro, vt valeat; omnesque vos incolumes & prosperos conseruet. Argentorati. XVIII. Nouemb. 1550.

IOAN-

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO.

S. Scribo hæc in Bibliotheca D. Montii: fui etiam tota die occupatissimus, itaq; ignosces. Gratũ mihi est me magni à te fieri, & meas te literas expetere: quorũ alterum præstare non possum, vt sim magnus: alterũ iam facio: scribo enim, verùm paucis, nã plurib. non vacat. Gratiam tibi habeo quòd literas ad Montium cõmunes esse volueris: & me sanè delectârũt, cùm reb. ipsis de quibus scribis: tum etiam tuâ prudentiâ tuoq; iudicio. Cogito tuis omnib. epistolis, vno aliquo scripto publicè respondere, vt nõ me pigrum esse putes. Dialogos Aristotelicos confic ã hoc anno: gratum mihi est, quod huc vsque peruenerim. D. legatum pro me meisq; verbis saluta. Vale. Argẽtorati XVII. Martii, Anno Dom. 1551.

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO

S. Et ex his quas ad me anteâ miseras: & ex multis literis quas ad Montium cõmunes post dedisti: planè intelligo, me abs te amari, atq; etiam amari constanter: nulla offensione silentii mei. Ego verò ad amicos rarò scribo, nõ solùm ob quotidianos labores atq; molestias, sed etiã propter summũ

istud Christianæ reipubl. tempus. Quis enim quicquam scribat, vt de hoc non cogitet? vt non gemat? vt nõ conqueratur? Præsertim ad amicum: sed vides quanto id fiat cum periculo. Nihil tutum habemus prętet cogitationes, precationes, vota: quæ si gemitum aut voculam edant, suspiciosum est, & obiectum calumniis facinus: nullus homo turpis est qui tibi tuiq; similibus viris, ac mihi non sit inimicus. Et locus iste vester, totus mihi ex oculis atq; auribus videtur esse coædificatus. Verũtamẽ nulla iniuria tanta nobis adferri poterit, vt à veritate religionis declinemus. Tibi tamen gratiam habeo quod scribas: & amo quod me amas: & diligo quòd ita scribas vt scribis. Nos hîc nihil audiuimus: omnes gentes aut mutæ sunt, aut sunt in otio. Quid autem magis agitatum & exercitum quam Magdeburgum: & tamen de hoc etiam nihil certi: etiam Parmenses hominum opiniones obmutuerunt. Constitui in libris Buceri, quos ad Eduardum regem scripsit, præfari, eiusque vitam conscribere: in qua confectione nihil mihi molestius erit, quam vitare κολακείαν quoties opus esse videbitur. Veruntamen ita libertatem amittam, vt à seruitute tamen me vindicem: tu quod potes, in hoc labore, me tuo iudicio, opeque iuuabis. Salutat te Toxites meus: qui ita te amat

mat propter me, vt tuus esse velit etiam solus, qui meus totus solummodo est. Vale. Argentorati XV. mens. Iunii, Anno Dom. 1551.

IOANNES STVRMIVS
ROGERO ASCHAMO.

S.P. Cùm has ad te scribere incœpissem, commodùm mihi Buceri Diaconus Ioannis Checi, & Nicolai Carri de Buceri morte epistolas attulit. Adiuncta etiam his sunt multorum epigrammata: placet mihi pietas vestræ gentis; placet doctrina & orationis genus, & tametsi tu mihi tuis literis magnũ desiderium eius libri excitabas, tamen vicit voluptas desiderium, vt nunc magis gaudeam me legisse, quàm anteà videre desiderabam. Ergo ego in vita Buceri describenda, non solùm authoritate, testimoniisque horum iuuabor; verumetiam exemplo, imitatione, inuitamento. Gaudeo etiam mihi occasionem datam vt vtriusque in meo scripto meminisse possim. Animi virtutes ferè easdem video, & doctrinam vtriusque excellentem. De principe Suffolchia duce anteà ex aliis audieram; sed quid in me tantum? grata mihi tamen eius beneuolentia est; & ego de ipsa idoneis locis honorificè quoad potero, de filio etiam, de quo in quadam tu ad me epistola. Fui

author Toxitæ, vt ad legatum & ad te ſuas commentariunculas mitteret: qua in re ſi quid erroris eſt, id mihi aſcribes. Vale. Argentorati. VI. menſis Iulii. Anno Domini 1551.

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO.

S.P. Officium quod tibi ſcribendis literis declarare debebam: id tibi in operis cuiusdam confectione honorificentiore præſtabo. Hos duos verſus volo tibi in hoc tempore pro data fide & pro excuſatione eſſe, dum perſoluam quod debeo. Gaudeo tibi placere Rhetoricum meum Ariſtotelem, non quod aliquid eſſe putem, ſed quòd gratum mihi ſit tuum iudicium: veruntamen & quod contextum eſt, retexam vbi non placebit: & pergam etiam ſi abſolutum doctrinâ opus non poſſum, tamen labore & operâ & magnitudine plenum conſummare, D. Haleſius & ego librum ſecundum tibi breui deſcriptum mittemus. Sed ecce Aſchame, quidam in hac vicinia mihi promiſit libros Ciceronis de repub. ſexies miſi ad eum: ſi adferantur, me quid poterit eſſe beatius? Senatoriam præ me grauitatem feram: ex antiqua diſciplina ſi obtinebo. Sed vt nunc homines ſunt, valdè metuo, ne ſit nihil: ſed ſi verum ſit, mittam etiam tibi

vt me-

vt mecum ſapias Romanam curiam, & forum & roſtra: verum particulatim, vt ſi ſapientiâ te ſuperare non poſſum: tempore antecedam. Quam vereor ne ſit nihil? veruntamen in epiſtola quam ad me ſcripſit: attingit loca quædam & eorum argumenta, quæ non puto eſſe de nihilo. Non putaui me tam prolixum fore: dabis veniam, præſertim cum nihil habeã noui: id quod proprium eſſe debet epiſtolarum, vt inanes eſſe non videantur. Vale. Argentorati XXX. menſ. Ianuarii, Anno Domi. 1552.

RICHARDVS BRANDISBÆVS

ROGERO ASCHAMO.

S.P. Neſcis, eruditiſſime Aſchame, quanto mihi dolori fuit, te bis ſummo cum deſiderio mei Louanium excurriſſe & ſemper fruſtra: ſed in vltima fruſtratione, id ſaltem læti, ꝙ Nanniũ conueneris, non fratrẽ meũ, hoc eſt, ferè alterum, ſed prorſus meipſum. Gaudeoque te tuaque omnia ita illi placuiſſe, qualia à me deſcribi ſolent. Ille mihi dixit, virtutes, quas in ſcriptis tuis deprehendit, etiam in vultu & moribus deprehendiſſe: eſt enim ille, vt optimus coniector indolis, ita phyſiognomus haudquaque imperitus. Dici non poteſt, quantopere laudarit in te tuiſq; ſcriptis ciuilitatem, modeſtiam, humanitatem, & Charites tuas inenarrabiles.

& tantam ſanitatem in ſententiis, tantam elegantiam in verbis, tantam moderationem in numeris, tantam concinnitatem in rebus contexendis, tantam lucem in omnibus, nihil non in te exquiſitum: ſed tamen nihil affectatum, vires inſignes ſine immanitate, dulcedinem ſummam ſine ignauia, breuitatem cum ſucculentia, rurſus prolixitatem ſine luxuria, rotundum quiddam & criſpum, ſed ſine æterna micatione, qua ſeculum Plinii laborat: Florentiam ſine muliebribus fucis, caſtigatam & enucleatam dictionem, ſed ſine anxietate ſcrupuloſa, qua Ciceroniani noſtro æuo ſeſe emaciant, & quaſi compedibus reuinciunt. Hæc ipſius de te verba, atque iſta formula concepta fuere: quæ quia gratiſſima erant, & ſummo iudicio profecta, meis ſcriptis inſerui: quamobrē vereor, ne plus in Nannio poſſideas, quàm ego hactenus poſſedi: non tamen inuideo: Candidæ Muſarum fores, & erga Aſchamum corpore & animo candidiſſimum, quicquid in Nannio, quicquid in omnibus, quicquid in meipſo poſſideo, patêre & expromptum & obuium eſſe debet. Ego in proximo tumultu Gallico res meas Mechliniam conuexi, ibique per æſtatem manebo: domicilium meum tibi indicabit hoſpes in S. Georgio: ibi te expecto, & ſi maturè me de tuo aduentu certiorem feceris, Nannium

euoca-

euocabo, tui videndi cupidissimum. Ego ad quinque dies Mechliniæ hærebo, defixus ibi tui expectatione, neq; pedem interea foras elaturus, ne denuò nobis oboriatur istius absentiæ calamitas. Clarissimos D. Oratores inclitissimi regis nostri officiosè à te meo nomine salutatos velim. Vale. Mechliniâ XI. die Iunii, Anno Dom. 1553.

IOANNES CHRISTOPHORSONVS ROGERO ASCHAMO.

Mihi Antuerpiâ Louanium reuerso Aschame ornatissime, significatum est, te eò mei solum & Brandisbæi nostri visendi causa venisse, diligenterque & valdè amicè de vtroque nostrûm à Petro Nannio percontatum esse. Quod quidem humanitatis officiũ vti vehementer equidem amplector (habuit enim permagnã sanè tuæ erga nos beneuolentiæ significationẽ) ita certè doleo plurimum, me eo tempore abfuisse, quo vterq; nostrûm, de rebus vtriusq; vltro citroque tam opportunè colloqui potuisset. Nam est quidẽ viris doctrinæ liberalis & honestarum disciplinarũ studiosis quoddam quasi penitus insitum desiderium, si modò vlla inter eos intercedat necessitudo, vt hic de illius, ille contra de huius studiis certior fieri magnoperè cupiat. Quod profectò in me ita iam exardescere sentio,

vt nihil magis mihi in optatis sit, quàm vt plenè cognoscam, quid Musæ Aschami nostri moliantur: sileantne (quod Cicero scripsit de Varrone) an celent potius ea, quæ in hac legatione regia commentatæ sunt: quarum indolē ita soleo admirari, vt nihil planè fuerit, quod me ad politioris literaturæ studiū magis incitauerit: quarū in oratione grauitas ea fuit, vt animos audientium non ad prudentiam solum erudire, verū etiam ita permouere potuerit, vti quô vellet, facile impelleret: quæ etiam in scribendo tam elegantes esse solent, vt suauitas ne sermonis, qui tam concinne & artificiosè constructus fuit, an prudentia in sententiis, quæ tā crebræ erant in oratione positæ, me magis oblectauerit, plene nesciam. Sed spero me breui, Deo iuuante, tecum coram colloquēdo istam meā, qua tantoperè flagro, cupiditatē omninò expleturum. Interea tēporis mitto ad te quatuor libros Philonis, quos modò Antuerpiæ imprimendos curaui: in quibus de Græco in Latinū conuertendis si tuo iudicio, quod propter acumen tanti æstimare soleo, vti licuisset, tū certè nō dubito, quin multo perfectiores politioresque in manus hominū venissent: quos quidē non tā perficiendi spe (quod Marcus Tullius de suo oratore scriptum reliquit) quā experiendi voluntate edidi. Verū mihi persuasum habeo

te, &

te, & alios tui similes, hoc est, qui propter singularem doctrinam, in hoc genere excellunt plurimũ, nõ modo meã probaturos diligentiam, verum etiam si quid non ita discite conuersum sit, me de eo perhumaniter admonituros, vt, amoris causâ me docuisse potiùs, quam inscitiam reprehendisse videamini. Atque te, Rogere doctissime, etiam atque etiam rogo, vt cum hi libri meæ erga te beneuolentiæ declarandæ gratia ad te missi sint, eos grato atque beneuolo animo accipias, tuque qui, & propter eximiam in omni genere doctrinæ præstantiam, cum primis possis, & propter veterem nostram necessitudinem, libenter velis, iudicium de illis libere facias, mihique verè & ex animo quid sentias, per literas significes, vti licet non in his qui iam editi sunt, in aliis tamen libris, quos habeo in manibus, tuum consilium mihi adiumento esse possit. Vale, Louanii: IX. calendas Maii. 1553.

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO.

S.P. Simul mihi nunciatum est, nuncium discedere & hæc scripsi: quare dolet mihi non me posse esse loquacem. Amo te ob amorem tuum erga me, & studiorum morũq; vt mihi videtur, similitudinẽ: nisi quod tu me sis in scribendo crebrior, in iudicãdo

prudentior, & experientior vsu, tractandoque res nostri seculi. Sed tamen voluntas est par: non enim tibi concedam, vt tu me plus ames, quàm ego te diligam. Mittā tibi breui non solum alterum dialogum Aristotelicum, verum etiam tertium. Sed in hoc tertio sermone, Grempius noster nos fefellit: nō enim adfuit, noua legatione impeditus: quare si de repub. & legibus non ita disputabitur, vt res postulant: malo id mihi ascribi, quàm in Grempio non retineri; totum sermonem de elocutione, & dicendi generibus tibi tribuam, quo nihil vidi in hoc genere acutius. Atque vtinam ita stylus meus, vt tuum ingenium: nam est aliquando hebetior: itaque vbi confecero, mittam tibi, vt acuas & emendas. De Metensibus gratum mihi fuit audire, sed ingratum tantos sumptus frustra fieri: tanta lue tot taliumque hominum; non tot per decenniū ante Troiā, quot illic vna hyeme. Nisi Imperii principes eripiāt eam vrbem, & Lotharingiam, habituri sumus nos vicinam nimis potentem. D. Morisinum doleo ante reuocatum esse quàm eum ego donarim aliquo munere nostræ bibliothecæ & styli. Mei Rhetorici sermones, omnes continebunt meos & amicos, & patronos: sed tamen aliqua seorsim aliquibus: modo pariā, quod nimis diu parturio: spero tamen partū non fore mon-

stro-

ſtroſum. Cùm ad D. Checum ſcribes, rogo vt ex literis tuis intelligat, me eius eſſe & ſtudioſum & percupidum. Scripſi ei nuper breuiſſimas: ſed metuo has & nuper miſſas inanes fuiſſe & nimis longas; Nam cum non habeo quod ſcribam, puto nimium eſſe quantulumcunque ſcribo: præſertim ad talem virum, & in te nulla. Si vis ſcire quantùm te amem, pete aliquid à me, quod in mea ſit poteſtate. Magnum eſſe oportet, & charius quàm Achilli Briſeis fuit, quod tibi negare poſſem: neque quicquam tàm laborioſum, quod tua cauſſâ nō cupiam ſumere, ſuſcipere, recipere, & quoad queam, efficere. De Germanicis rebus nihil habeo quod ſcribam, tanta eſt confuſio amicitiarum, bellorum, prædationum. Hæc ſubito ſcripſi, ſed ita vt malim tibi animum meum & cor ipſum oſtendere, quàm verbis indicare amorem, quorum vtrunque quoniam videre non potes: experire quæſo cuiuſmodi ſit cùm voles, & quoties voles. Vale Argentorati IX. menſ. Maii 1553.

IOANNES STVRMIVS
ROGERO ASCHAMO.

S. P. Montius noſter ſerò me de Abeli diſceſſu monuit. Itaque hoc tempore tibi tres meos Ariſtotelicos dialogos nō poſſum emendatos mittere. Deſcriptos habeo, ve-

rùm non fido puero ſcribæ: Mittam primo quoque tempore, quoniam in præſenti fieri non poteſt, atque haud ſcio, an potero ad omnes epiſtolæ tuæ partes reſpondere: quare capita ego præcipua deligā. Placet mihi petitionis tuæ principium verecundum profectò, & liberale, atque vrbanum: vt faciam quod facio: hoc eſt, & eloquētię lumen ſplēdore ingenii, induſtriæ, & doctrinæ meæ, ſic enim ſcribis, illuſtrem. Modeſti eſt viri & liberalis, pro ſe nihil, ſed pro omnibus aliquid magni petere, quòd in alterius ſit poteſtate: ſed hæc tria in mea poteſtate non ſunt, ſed ſunt in me prima illa duo exigua, doctrina nulla: ergo iocari te magis & me excitare ad induſtriam potiùs arbitror, quam rectè iudicare, aut plane errare beneuolentia & charitate, vt parentes in formâ liberorum. Licet enim mihi etiam tuo argumento vti, ne ſolus ſis modeſtus. De Bembi epiſtolis, & de hiſtoria eius rectè iudicas, id quod ſinui tuo ſit commiſſum, eius epiſtolæ ſcriptæ mihi magis quam miſſæ eſſe vidētur. Indicia ſunt hominis ocioſi & imitatoris ſpeciem magis rerum, quam res ipſas conſectantis. Cæſarem nullo ferè in loco expreſſit: Herodotū minus: In principio Vrbini ducem verbis magis Ciceronis, quàm animi dolore & ſententiis luget. Cicero veriùs Hortenſium, & orna-

ornatu decentiore. Lege rursus Brutum, & compara vtrunque. Vide quantum te amem, qui hæc audeam ad te, sed tu me prouocasti. Galli eodem modo admirantur Budæum, de quo quid sentias, ex tuo de Bembo iudicio possum æstimare. Sed profectò viri doctrinarũ studio magni, & eiusmodi, vt nobis & authoritate, & exemplo plurimùm profuerint: verùm desino laudari, nè de tua fide dubitare videar. Quin tu historiam scribis Aschame? qui tam belle historiæ leges nosti: non adulor, verè dico, officii tui esse, historiã scribere. Quamnã inquis? earum rerũ, quas in Germania legisti, audiuisti, vidisti. Simulata Mauritii ad Oenopontũ aduentatio: Cæsaris necessaria fuga: pax consecuta & ea nunc inclinata: & postremum cruentum istud bellũ, & Mauritii mors, si verum est quod dicitur, an non hæc magna & te digna? aut tu istud facito, quod potes præ cæteris, aut desine à me rogare, quod mihi est difficile & arduum. De dialogis meis respondi: mittã propediẽ descriptos & emendatos. D. Checo honorem tantũ obtigisse lætor, semel ei scripsi breui, sed vereor ne fuerint importunæ literæ, atq; idcirco nimis ꝓlixæ: D. Cecillo mihi planè iã non vacat scribere propter subitam huius profectionẽ: cũ dialogis mittam: interea tu meis literis viam sterne, vt mollius ad eum

perueniat: & si potes animum in me quamprimùm tuis literis confirma: nam pudet me ad tales viros: vereor enim ne ipse mihi videar aliquid tribuere, si scribam ad tales? ad tantos? præsertim non notus. Sed quid hoc est? tu ad me nihil de regis valetudine. Deum immortalem, quàm omnes boni & literis negotiatorum, & rumoribus hominum, de eius morte, non enim ausim grauiori verbo vti, fuimus perculsi? heri tandem literæ de eius salute allatæ fuerunt, datæ octauo huius mensis. Inchoaueràm Eclogam; Audierāt Nymphæ crudeli funere Daphnim: non Daphnim nominabam: & alius versus fuit, & aliud cognomentum, hunc posui vt videres quem statuerim imitari. Nunc & hanc famam falsam repetam; & contra istam postremam obducam, & argumentum extabit iucundius mihi ad scribendum: non enim is sum pastor, vt canere possim, & aliis ad legendum, vt ne vtroque sim molestus: satis enim molesta res est versus malus: mors est, vox adiuncta deterior. Vale, & me ama, non excuso breuitatem, non enim putaui me tam prolixum esse posse. Vale, salue, atq; vale. Argentorati XXII. mens. Iulii, Anno Domin. 1553.

IOAN-

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO.

S.P. Scripsi de te ad D. Pagettum: & vt libenter & verè scripsi, ita molestum fuit, quòd ad hoc vsque tempus doctor Montius Tabellarium nullum habuit. Scribo ad eũ, te ignorante, vt vides, & certè puto id rectè factum esse: tametsi tu quidem potes laudari, & pluribus & amplissimis verbis, verè scribo: Amo te & colo ob eas quas in te intelligo esse virtutes. Non possum tibi iam respõdere ad capita tuarum literarum: nam Montius noster cupit has vesperi habere literas, vt suis adiungat, & ego iam sum occupatissimus. Scribo D. Pagetto quò faciat, vt intelligas & ex eo, non ex me quid scripserim: nõ possum tamen aliter facere quin tibi meum amorem indicem, & tibi earum literarum exemplum mittam, siue istic sis Bruxellis, siue in Angliâ. Si ignoranter feci, ignosces, qui nostram consuetudinem scholasticam non ignoras. Vale Argentorati XVII. Septembr. 1553. vxor mea te salutat, & quoniam tu me amas, ipsa te diligit.

IOANNES STVRMIVS DOMINO PAGETTO.

S.P. Luctuosissima quidẽ nobis ad audiendum fuit, & adhuc ad recordandum acer-

bissima est, regis mors qui in tanta fuit expectatione clementiæ, prudentiæ, doctrinæ, religionis, vt non vester solùm, verumetiam noster, & omnium rex hominum fore videretur. Sed de hoc aliàs: nunc de quo cœpi scribere. In hoc nostro & luctu & mærore, tamen recreat nos non mediocriter, te pristinæ dignitati & honoribus restitutum esse. Et iam mihi gratulandi occasionem datam esse: cum dolendi anteà, non consolandi potuerim habere. Quanquam non tàm tibi gratulandum sit, quàm Angliæ vniuersę: quàm bonis omnibus. Fuerunt mihi semper gratissimæ Rogeri Aschami, tamen nullæ gratiores literæ, quàm in quibus de tua bonitate scripsit, quæ nulli nisi sibi ipsa nocuit. Scripsit in quadam epistola, vbi de tuis laudibus scripsit, te ad iuuandum omnes homines natum esse. Credo, si iam scriberet, scriberet te solum eius causa esse natum. Et quanquam non dubito, quin ei vltrò adfuturus sis: tamen ego, mea sponte, etiam eius causâ, ad te scribere statui. Et vt videas me nullam mihi velle apud te nouam gratiam colligere, in hac tua restituta dignitate, qui in spoliata scribere non potui, de me nihil scribam, neque petam aliquid pro me deinceps: sed pro Aschamo meo, de eoque scribam, nihil aliud in hac epistola cogitàs, quàm illius studia, literas, ocium, quietem.

Fortassis autem opus non habet commendatione mea, tamen me solicitum reddunt rerum pub. conuersiones, quæ absque periculis & iniuriis esse non possunt. Ego Aschamum amo, præpostere quidem tamen hoc ordine meorum consiliorum amo: primùm, quia me ab eo amari sentio, ex suis ad me studiosissimè scriptis literis: deinde ob similitudinem studiorum, vt non solum idem apud authores intelligere, verùm idem velle videamur: tum propter doctrinam, quę nisi maxima esset, non possit ita ad me scribere, vt scribit. Postrema causa est, quam tu maximè facies, ego propter adulandi suspicionem primam ponere non potui: regni vestri vtilitas, quam non solùm ad commoditatem, verum etiam ad dignitatem refero. Nam ita charus est multis nostris Principibus & ciuitatibus propter humanitatem, elegantiam, doctrinam, suauitatem, quas virtutes ex se habet: deinde propter amicorum cõmendationes, quas eius virtus merita est, ita, inquam, gratus & charus est, vt dignus videatur, qui in perpetuis sit legationibus; sed ita doctus, ita studiosus, ita idoneus ad literas nostras, vt optandum sit, eum perpetuò esse in scholis doctorum hominum. Et quoniam ad vtrunque peræquè idoneus est: rogo te, vt quem locum antè habuit duobus Regibus, eundem hac Regi-

na retineat: quoniam idem Aschamus est, qui fuit excellenti doctrina, ingenio miti, mansueto, tranquillo, omnium amans: nulli inimicus. Vide quanta scribam solicitudine, non cupio solùm eum manere eum qui fuit: & per te manere, & commendari Serenissimæ Reginæ: verum etiam vt intelligat, meam commendationem sibi apud te profuisse. Cupio enim ei imprudenti & non cogitāti adesse, vt eo post me amet magis. Nosti enim illud Isocratis consilium, quod Demonico dedit, illud mihi bono erit, si Aschamus intellexerit, suam salutem mihi curæ ad te in hac dignitate fuisse. Scriberem plura, nisi antea scripsissem de solo Aschamo me scribere: & non velle rogare, vt cogites me tuæ dignitatis studiosissimum esse, & vestri regni salutem, quietem, amplitudinem, magnoperè expetere. Vale. Argentorati, XVII. Septemb. Anno Domi. 1533.

IOANNES STVRMIVS D. PAGETTO.

S.P. Ex amicorum literis, & sermonibus certorum hominum intellexi, Rogerum Aschamum, pristinum sui muneris locum, quem duobus regibus habuit, hac Regina per te tenuisse. Atque id Aschamum fateri: meas literas sibi in eo profuisse. Si gratias agere satis esset: scriberem iam ad te in eam sen-

ſententiam prolixiſſimè: ſed ſcio te neque id requirere, & me non poſſe ſatis, quam mihi illud officium tuum, vel potius beneficium placeat, explicare. Itaque ego gratiã habiturus ſum: dum tu mihi aut nunciabis aut ſcribes quid me tua veſtraque tuorũ causâ facere velis. Nihil recuſabo, quòd me poſſe ſperem honeſte perficere; hoc ita ſcribo, vt meam fidem tibi obligem. Incredibile enim eſt, quàm ego diligam & tamen Aſchamum: motus eius & literis, & prudentiâ & doctrinâ, quorum vtrumque ex literis intelligo: quæ mihi ſemper extiterunt ſuauiſſimæ. Sed quo magis hunc amo, eò obſeruantiã tibi maiorem à me deberi ſentio: propterea quòd eum, quẽ ego omni beneuolentiâ amplector, conſeruaſti. Vale. Argentorati. XXIIII. menſ. Iunii.

IOANNES STVRMIVS DOMINO ANTONIO COOKO.

S.P. De mea erga te, tuamq; dignitatem voluntate & ſtudio: tametſi ex Toxite noſtro intelliges; aptius & copioſius quam ego queam perſcribere: tamen iſtud in iſtis ponam literis, nullum eſſe neq; patronorũ, neq; amicorum meorum, quos habeo multos, cui tantum debeam: propter multas & magnas ſignificationes liberalitatis; quãtũ vni D. Antonio Cooko, & ꝓpterea omni il-

lius stirpi atque genti. Causam quamobrem venit: oro ne negligas, posteaquàm quę sit, ex Regina intellexeris, ope tua adiuua. Obfuit Romano imperio: nō omnia Sibyllæ fuisse empta volumina: sed tamen illud ausim asserere: si res habeatur tacita, nō solùm terrorem allaturā esse, sed effecturam quod profitetur aut ego omni destitutus sum coniecturarum iudicio: periculum est in re parua spes rei fructuosissimę ac gloriosissimæ. Metæ regnorū extimescendæ sunt, nos certè ea meruimus. Gaspari Gamutii negocium tibi cōmendo, hominis optimi, fortissimi atq; constantissimi exulis: etiam quod me consolatur: Omnes illius & Bruti & Cassii, omnes, inquam, intermortui: solus ipse adhuc sperat liberos suos lares. Hac de causa: vestram tùm causam voluit: oro vt in re parua adsis amico magno. Vale. Argentorati.

PETRVS NANNIVS ROGERO ASCHAMO.

ADmiratio tuæ eruditionis mihi amorem peperit, non amor eruditionis admirationem: quapropter, optime & disertissime Aschame, non erro in tuis dotibus æstimandis, ad quas iudiciū, non amorem adhibeo, & soleo in perpendendis & amicorum & inimicorum virtutibus, satis incorru-

corruptus censor esse; sed hoc interest, quòd dotes amicorum applausu & gratulatione, inimicorum dolore, nõ inuidiâ prosequor. Doleo enim id mihi meisve deesse, quod inimicis superest. Epistolam ad Pagettum scripsi, suspenso certè animo, quum sensus illius non calleam, & quâ parte teneri possit, in tantis mutationibus rerum, non ad liquidum intelligam. Vsus sum diuinatione, vtinam felici, certè admodum sedula; non ausus fui petere, vt tuam fortunam tueretur, ne oleret, illi me à te ad hoc instigatum fuisse. Adiunxi multos, & inter multos te, vt quod dicerem, verisimilius esset, & minimè subornatum videretur. Tu iudicabis, mutabisque vt voles: si te aut Brandisbæum in consilio habuissem, melius ad illius affectus, & ad rem præsentem moderatus fuissem dictionem, nunc id per absentiam vestram obtingere non licuit, etiamsi mihi eius consilium permisisses. Valdè desidero tuum aduentum, cum quo liberiùs loquor, quàm scribo; Literas tuas remitto, sed ea lege, vt, subductis iis, quæ oculis multorum non velis exponi, mihi reddas. Ego enim eruditorum literas, quales tuæ sunt, quæ optimè lucem ferre possunt, libenter amicis ostendo. Vale Louanii, XV. cal. Septembr. 1553.

HIERONYMVS OSORIVS ROGERO ASCHAMO.

S.P. Non possum satis explicare, quàm variè me affecerint literæ tuæ: quod enim erant scriptæ ab homine egregiæ virtutis & eruditionis laudibus ornatissimo, & magna illius in me amoris indicia continebant, fuere mihi longè gratissimæ: in quo verò significabant, te molestissimo morbo conflictari, maximum mihi dolorem attulerunt. Si igitur me amas, da operam, vt me hac ægritudine leues. Tamdiù enim ero de valetudine tuâ solicitus, quamdiù nō fuero factus certior, per literas tuas, te pristinam sanitatē recuperasse. Interim verò Christū Iesum, qui est verus medicus, precabor, vt tibi integram salutem cū verorum bonorum amplificatione restituat. Exemplum literarū quas olim ad Cardinalem Polum misisti, admodū libenter & cum magna admiratione legi: libenter quidē, quia ex illo quanti me faceres penitùs intellexi; cùm admiratione verò, partim quia nihil in eo genere vberius, nihil aptius, nihil magis omnib. luminibus illustratum fieri poterat: partim autē quod tàm illustre scribēdi genus ad me ornandum cōtuleris. Quò enim minùs eas laudes agnosco, eò magis admiratus sum quid tibi venerit in mentem, illud nescio quid, quod ado-

lescens elucubratus fuerã, tã magnifice laudare. Quãuis autẽ mei in te amoris magnitudo facit, vt nulla in re tecũpugnare velim, tãtaq; sit in te prudẽtia, vt illis qui à te in iudicio literarũ dissentiũt, temeritatis infamia metuenda sit, erat tamen pudoris mei, cũ opinio, quã de me habeo, valdè ab opinione tua discrepet, sentẽtiæ tuæ repugnare & testimoniũ, quod mihi eruditionis & eloquẽtiæ das oratione mea refellere. Sed cõtineo me, ne quicquam de amore in me tuo diminuam: cum enim vix quicquam sit, quod magis optem, quam vt me valde diligas, & intelligam eam, quam de me habes opinionem te mihi coniunxisse, facillimè patior te in isto errore versari. Tantum igitur abest, vt aliquid contradicam, vt etiam mihi summopere laborandum existimem, quo ea tua magis magisque confirmetur opinio, vt tandem pro ratione illius amor etiam, quo me amplecteris, augeatur: in quo autem principis vestræ ingenium & eruditionem extulisti, animum mihi addidisti, vt eam, quod iam antea facere cogitabam, libentiùs per literas salutarem, & quàm essem studio illius incensus, multis verbis ostenderem. Nec enim dubito, cum illa & naturâ & studio summam humanitatis & clementiæ laudem assequuta sit, quin literas meas

benignè & clementer excipiat. De orationibus autem aduersariis Æschinis atq; Demosthenis, quas per me in Latinum sermonem cõuersas videre desideras, partim quia non tantum mihi sumo, vt id præstare possе confidam, partim quia multis oneribus oppressus sum, non audeo quicquam polliceri. Nostri de iustitiâ libri in nostri Antonii Augustini manus peruenerunt; spero itaque vt, illius operâ, breui in lucẽ prodeant. Sunt alia quædam à me diligenter elaborata, quæ cupio similiter edere. Emanuel Darango consanguineus meus officio suo egregiè functus est. Nec enim solùm mihi literas tuas diligentissimè reddit, sed etiam quantum me amares, ostendit, & morbum, in quo versabaris, cum magno sensu doloris exposuit. Hæc sunt, quæ ex me scire te velle demonstras. De meo in te amore atque singulari studio quid dicam? crede mihi me nemini concessurum, qui te amet ardentius, vel obseruet, cum poterit, diligentiùs. Omnia igitur quæ tibi ab homine tui amantissimo & studiosissimo expectanda atque postulanda videbuntur, à me velim expectes; nihil enim erit tantum quod ego non tuâ causâ libenter & studiosè suspiciam. Vale. Olyssiponæ. Idibus Decembr. Anno Dom. 1561.

IOAN.

IOANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO.

S.P. Non possum tibi in hoc tempore respondere ad gratissimas tuas literas: hoc solum: Ego Sturmii Aschami, propater esse volo, & ille mihi profilius, non futurus est, sed est. Mittam ei imaginem meam: vt si moriar, antequam me videat: post me aliquid mei videat. Causa me cogit, ob quam istuc Domi. Albertus venit: literas hasce tuas in hoc temporē deferere; quæ verò ea sit, ex ipso cognosces. Oro te per amicitiam nostram, per hæc tempora, per communia pericula: moue saxum istuc & promoue, & permoue, ne Sisyphi simus in hisce quotidianis cōsiliis auxiliorum; sine quib. periit Gallia, Anglia, Germania: non sentit, qui istud non sapit. Homo à quo istuc mittitur, optari non possit melior neque magis idoneus. Gratias ago Vtenhouio: qui occasionem dederit: quàm vellem horam tecum esse: vel ob hanc solam causam. Legatos vestros nondum conueni: heri, inuitarunt ad prandium, sed planè non vacabat; cōueniam hodie, scripsi hęc benè manè horâ tertia. Tales enim habemus nuncios de rebus Gallicis, vt quiescere me & somnum capere omninò non sinant. Speramus falsa, aut non esse eiusmodi, quæ nunciantur de Ro-

do, quàm etiam agendo, exercendoque, magna cum laude est versatus. Neq; enim eruditæ solùm sunt epistolæ tuæ, ac suaues, sed piæ etiam & Christianæ; vnde apparet; te & spectasse verum studiorum finem, & assecutum eum esse: vt cum eruditione, virtutem, ac pietatem coniungeres. Quoties igitur lego tuas; toties & te admiror, & Reginæ tuæ, quæ te præceptore vsa est, totique Angliæ gratulor, cui aliquando tantum vtilitatis adferes, quantum adferre & vir optimus, & homo doctissimus potest. Sed nunc de me pauca. Ego tibi, Aschame ornatissime, commentarium meum miseram non aliam ob causam, quàm quòd beneuolentiâ tuâ, & humanitate frui cupiebam: quibus non minus, quàm Sturmius, vt de se ipse & tu de ipso scripsisti, in amicitiâ contentus esse soleo. Verùm tu ad amorem, beneuolentiamq; erga me tuam, munus etiam addidisti: quod ego à regibus ac principibus, cum datur, accipiendum: ab amicis nec sperandum, nec petendum esse iudico. Cum igitur expectationem meam viceris, nec verba solùm pro verbis, sed aurum potiùs remiseris, gratias tibi immortales ago, meque daturum esse operam polliceor, vt me tibi ex animo fauere intelligas. Quòd reliquum in Quintianam citiùs ad te non misi, fortuna siue Dei po-

tius consilium in causa fuit. Nam cum vix dimidium impressum esset, alter compositorum (vt ita appellem) ægrotare cœpit; alter ob amici ægrotantis vacationem abire est coactus, vt diu cessare ab operis typographus etiam coactus fuerit. Nunc tamen mitto, rogoque, vt librum quem Reginæ tuæ vnà mitto, ad eam perferri cures. Nam quia feci eius mentionem honorificam, cupio meum de eius virtute atque pietate cum eruditione coniuncta animum, ab illa cognosci. Miseram ad Sturmium, cum adhuc in Heluetiis essem, hunc librum, vt eum in Angliam vnà cum aliis mitteret: sed nescio quo casu ille inter suos libros cũ reliquerit: quem ego cum in ordinem libros nuper redegissem, fortuitò inueni. In fine Quintianæ apologiam addidi, quoniã sunt etiam apud nos, Aschame, qui tametsi quidquid in literis assequuti sunt, id totum à Sturmio habent, tamen & eius lectiones negligunt: & hoc meum institutum repræhendunt. Maliciosum est genus hominum: quanquam enim dissimulent fraudem, tamen latere non potest. Sturmium non audiunt, quid ita? quia sibi belle videntur docti, & quoniam nonnullis quoq; docendum est; corradunt vndique annotata Sturmii, curant describi, inde posteà sesquipedalib. verbis ambitiosè declamant, & omnia sibi vendi-

vendicant: pudetque Sturmii vllam facere mentionem. Illas ego corniculas deplumare meo instituto statui. Magnos labores impendo dũ studeo omnia proferre, & ea proferre quam emẽdatissime; non pauca addo, muto, adimo, & omnibus modis lectori satisfacere cogito. Si id fit, agam domino gratias; sin minùs, tamen aliqui, vt spero, voluntate mea contenti erunt. Idem enim ego metui, quod tu, nè corrupta ab aliquo Sturmii annotata ederentur; id quod iam futurum erat aliquo in loco, nisi præuenissem. Extorqueri hæc à Sturmio difficillimè aut nunquam potuissent, nũc nunquã possunt, cum accinctus tàm immenso operi. Ego vt tibi gratificer, si vllo modo fieri possit, ex Aristotele eius Rhetorico, quantum est confectum, mittam; & subinde mittam quæ ab eo conficiuntur. Curabo itaque ab aliquo describi; sed velim tibi serues, nec pluribus communices, antequam absoluatur. Diuisit eum in libros nouem: primus est perfectus, sed nondum emendatus à Sturmio. Hac in re, me tibi gratum esse facturum spero. Demosthenem statuit à principio legere, quemadmodum Ciceronem; qua in lectione dabo operam, vt ipse annotet artificium & edat. Vale (mi Aschame) & me ama; & si quid est quod me exequi velis, manda. Id enim tibi concessum esse volo. Argen-

torati, 10. Calendis Septembr. 1551. raptim inter multa negotia.

ORNATISSIMO VIRO, DOM. ROGERO ASCHAMO, ANGLO,
Ioannes Sleidanus.

S.P. Ad meas Decembri mense scriptas, accepi responsum tuum, datum XXVI. Ian. Calendis Febr. rursum ad te scripsi, quibus quidem ex literis intelligere potuisti, quid ad postremam sessionem hîc à nobis actum sit. Tertia die Febr. cum altero Saxonico legato Venetias adiui, per Patauium & Viennam, & Veronam huc redii ad XVI. huius. Venetiis nihil erat rei nouę, & alioqui sunt magni silentarii. Turca fertur ab eis petiisse transitum suis copiis, per ipsorum fines: an impetrauerit, planè ignoro. Vidimus armamentarium, quo nihil esse potest instructum magis: parant nouas triremes, aliaq; nauigia & his rebus omnibus destinatæ sunt, vt quidam nobis confirmabant, mille sexcentæ operæ. Tentatum ibi fuit nuper nescio quid, & ex suspicione comprehensos esse aliquot, mihi tùm quidam arcanè dicebat: hîc autẽ fertur senatus scribam esse comprehensum, sed affirmare nihil possum. Vt suis rebus diligenter inuigilent, causam habent, & haud scio, an ipsorum interitus, atque ruinæ initium ab ipsismet aliquando futurum sit: nam

nam in illis æstuariis fluctuum, affectus etiam suos habent æstus. Hîc planè nihil agitur: superiori quidem sessione decretũ fuerat, debere Theologos intereà de matrimonio disserere, sed planè cessatur, idq; in gratiam nostrorum, vt quidem præ se ferunt, quos adesse velint: equidẽ optarim Petrum Martyrem posse huc etiam traduci, & Caluinum, & Æpinum, vt vnà cum Philippo dogmatis facerent & confessionem & explicationem. Pridiè quàm huc redirem, audiebã in itinere cõcilium iri prorogatum, propter bellorũ tumultus; hîc etiã ita mussatur, etsi alii negant. Quòd si pacẽ cum Gallo faciet Iulius, non assentiente Carolo, tum certè crediderim dissipationem esse futurã concilii. Cardinalis Turnonius Romæ dicitur magna cũ lætitia fuisse exceptus & diligenter agere de pace. De Turca non eadem est fama: parare dicitur ingentes exercitus & terrâ & mari: sunt qui dicunt esse tenuissima valetudine ex phthisi, eiusq; filiũ natu maiorẽ cõsociasse arma cũ Persis. Galliæ regis edictũ in Lutheranos, vt habet titulus, diuulgatũ Septẽbri mẽse vidisse vos puto: Patauii sum illud adeptus excusum. Habet Iulius per Italiæ partẽ illam suæ ditionis, & aliis etiam in locis inquisitores acerrimos. Monachi quidã duo nuper abducti sũt Romã captiui, Rauẽnas vnus, Ariminẽsis alter,

qui de cœlibatu sacerdotum, & cœna Domini liberiùs quædam dixissent. Venetiis mihi iam recens scribitur, Monachū quendam captiuum, ordinis Augustiniani, Româ remissum à Iulio Venetias, impetrata venia, palàm in concione, doctrinam, quā antea professus fuerat, mirificis modis abiurasse, ac detestatū esse, legato quodā pontificio, & quatuor præsentib. Episcopis, ita quidem vt populus etiā offenderetur; fuit hoc XIIII. huius. Posteaquam Iulius intellexit, cuiusmodi nostra sunt postulata, & quæ doctrinæ cōfessio per Wirtemberg. exhibita, parum opinor afficitur. Hîc etiam rumor est, legato hic suo valdè iratum esse, quòd, tali, vt vocant, saluo conductu nobis cauerit, quodq; sessionis prorogationē indulserit. Non eadem omnes spectant in his actionibus; quanquam in hoc vno mirabilē esse puto consensum, vt videlicet dogma istud omne pessundetur, & aboleatur in perpetuū. Viennēsis hic mortuus est ad sextum huius, & aliquot post dieb. domum relatus. Treuirensis ob incommodam valetudinem domū repetit. Qui cum ipso huc venit monachus quidā Pelargus, in concione habita huius mensis die VII. per occasionē eius loci qui est de zizania subcresente in tritico, multa dixerat de hæreticis, quocunq; modo tollendis, ità tamen vt triticum non læ-

deretur. Alii quidam hoc etiā addidiſſe ipſum ferebant, nō eſſe nobis publicam ſeruandam fidem; qua quidem re cognita, Saxonicus legatus alter, qui hîc remāſerat, ad Cæſaris hîc legatos queſtus eſt. Acceerſitus Monachus vt rationem redderet ſui dicti, negauit hoc poſterius; de hæreticis verò loquutum ſe dicebat in genere, & illū Scripturæ locum ſic interpretatum eſſe, de Auguſtini ſententia; fatebatur etiam, quòd ſi alterum illud dixiſſet in pœnam ſe capitis incurriſſe, propter violatum concilii decretum. Septima huius publici fuerunt hîc ignes excitati ab Hiſpanis & Italis ob electionem. XXI. verò propter coronationem Iulii, & poſtridiè miſſa peracta ſolennis eādē ob cauſam & centum, opinor annorum indulgentiæ, vt vocant, iis, qui intereſſent, attributæ. An non pulchrè reſipiſcimus? An nos anteactorū pœnitet? ô ludibrium! De Domi. Redmanno quæ ſcribis, magna cum voluptate legi, quibuſdā etiam hîc recitaui, & ſanè exemplū eſt, quod omnium permouere poſſit animos; verùm accidit hodie de quo, poſt Eſaiā, Chriſtus etiā loquitur, vt pleriq; ſapientiæ titulo turgidi, non videāt videntes, ac audientes non audiāt. Theologorū Pariſienſium articulos doctrinæ, ſuperiorib. annis editos, nuper autē renouatos, pro concione rex iuſſit dieb. quibuſq; feſtis,

ad populum recitari & explicari: vidisse vos illos puto. Quã sunt astuta & insidiosa hominũ concilia; de Mauricii ad vos aduentu, non idẽ est sermo. Lusitani filius hoc mẽse fertur vxorẽ duxisse Cęsaris alterã filiã: de reditu filii rumor etiã est. Emi Venetiis historiã Bembi de rep. Veneta; nũ ea sit vobis antehac visa, nescio. Paulus etiã Iouius tomũ primũ sui temporis historiarũ edidit. Quod de meo negotio nihil adhuc certi cognoscã, valde miror, inprimis vero D.R. silentiũ: Oro plurimũ, vt D. legatus ne cesset interpellare ac sollicitare. Nam progrediente regis ætate, facilior deberet esse eius rei cõfessio, quam ipsemet rectè potest intelligere. Te quoq; rogo, vt quãtũ omnino potes, tã preclarum & vtile institutũ promoueas. Priusquam domo discederem, quod fuit initio Nouembris, copiosè scripseram ad D. Checum: ad ea nihil esse renunciatũ quî fiat, nescio, multumq; me fallit expectatio. D. legato velim esse quam cõmendatissimus. Vale. Tridenti. vltima Febru. M·D·L·I·I.

DOCTISS. VIRO, ROGERO ASCHAMO, CANTABRIGIENSI, AMICO *obseruando, Hubertus Leodius.*

S. Quod ad aliquot epistolas tuas eruditas, sanè & iucundas, hactenus nõ respõderim, Doctissime Aschame, nè putes

quæso

quæſo negligentiâ tui aut negotii, pro quo ſcriptę erant, factũ. Abſit enim hoc à me procul, vt tantum amicũ negligam, vel Reip. literariæ ſigna deſerã, mutatisve armis transfuga, in tua caſtra confugiam. Turbulenta tempora & vertigo capitis, quâ dudũ laboro, non tulerunt me hiſce rebus vacare, quæ meditatione egẽt. Præterea expectabam Olympiæ ad nos aduẽtum, quæ certiora & nimirum, in iis literis ab ineũte ætate nutrita, doctiora ſcribere potuiſſet, quàm à me queas expectare. Sed proh dolor, ea in oppido Swinfurto vnà cum marito, lõgo iam tempore graui obſidione cincta detinetur. Quapropter nè te diutius literis noſtris fruſtrari querare, exoraui Ciſnerum, vt noſtro, hoc eſt ſuo, Micylli, ac meo nomine reſcribendi officium ſuſciperet: quod ille nõ grauatè fecit, putoq; ab eo tibi ſaltem in parte ſatisfactum iri. Quòd ſi etiam à me vltra quid ſentiam, requiris; neque in hoc tibi deeſſe volo; ſcito igitur inuictum me in acie perſtare, nec velle ſacramento abſolui, ſed, vt quemadmodum tu, à ϐῆτα quoque incipiam, admitterem forſan hanc literã non ſonare vt Y noſtrũ factũ conſonans, ſi viciſſim confiterere, hoc nõ eſſe perpetuũ: neq;.n. vt malim dicere ϐάλσαμον & βάρϐαρος per β, ita βαδίζω & ϐαίνω & βάλλω, *badizo*, & *baino*, & *ballo* dicerem, ſed potius per quaſi Y mihi ſonuerint, cõſulens

aurium iudicio; insuper βίος, id est vita, per Υ quàm per β: malo etiam βῆτα, id est, *beta*, vt Iuuenalis, dicamus quàm *vita*, & alphabêtu quàm *alphauitum*. Sed vt certum habeas exemplum & authorem, scribit Eustathius Græcos quosdam Βίλιππος pro Φίλιππος, & alios βαλλήνη αὐτὶ τοῦ παλλήνη, & loqui & scribere propter vicinitatem & consonantiam β cum φ, & cum π. Ecquid faciunt Bauari, vt ex barbaris aliquid præsidii assumam? nonne dicunt pro barbara *Warwara*? & sic de aliis B habentia, W Germanicum pro *b*, vsurpantes. Sed de β satis; nunc veniamus ad η. nõ persuades sanè mihi eam literam sonare vt duplex εε: neq; vsquam dicit Eustathius eius esse soni, etiamsi dicat esse imitationem vocis ouium, non propterea sequitur, eam literam ad amussim sonare vocem ouillam; Quod vt verum esse scias, & tuo te iugulem authore, ponam ipsissima Eustathii verba εἰς τὴν ἰῶτα ῥαψῳ. Βλὸψ τὸ μονοσύλλαβον ἐστὶν, ὁ τῆς κλεψύδρας ἦχος μιμητικῶς κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὥσπερ φασὶ καὶ κὺξ ἐπὶ τοῦ ψήφου κατὰ μίμησιν καὶ αὐτὸ, οἱ δὲ αὐτοὶ φασὶν ὁμοίως μιμητικῶς καὶ βὴ οὐ μὴν βαὶ μίμησιν προβάτων φωνῆς. Κρατῖνος, ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βὴ βὴ λέγων βαδίζει. hæc eadem scribit & Suidas. Audis esse imitationem, nõ expressionem vocis. Aliud autem est imitari, aliud exprimere, aut adsequi vocem; quemadmodum, quod pace tua dixe-

dixerim, tu imitaris in ſcribendo Ciceronẽ, non exprimis, aut adſequeris. Prætereà audis Atticos βῆ, non βαῖ vocẽ ouis eſſe μιμητικὸν, quod magis ouinã vocẽ repræſentaret, ſiquidem voluiſſent ipſiſſimã vocem ouis repræſentare aut exprimere. Veluti etiã dicũt βληχὴ, ceu βλήχημα vocẽ ouis eſſe dictionem, nihil vt ouis ſonantẽ, etiamſi ſciã interpoſitione τοῦ λ fieri, & quid ſonat Latinis. Balatus ſimile ad ouis vocẽ, & tamẽ *Balare* dicitur ouis; ſic latrare canis, ſic grũnire porcus, & huiuſmodi; ſic & etiã βῆ non verè exprimere vocẽ, ſed tamẽ eſſe vocem ouis impropriè dixeris, & non βει, ꝓpterea ſonare, ſed βι, η longo. Iam adſertũ puto, ἦτα ſuam genuinam vocem, & ι longum, vel ι ſonare Græcis, neque veteres aliter hac litera vſos puto, niſi vt charactere ab ι vel ἰῶτα differet, non ſono & ſignum foret, longum eſſe ι vel ἰῶτα, quod eſt indifferens, leniterq; mihi ſonuiſſe, pari modo videtur, dicendum de ὀμικρὸν & ὦμεγα charactere quidem ſono vix quicquam differre. Latini ſcribunt *h*. Itali non exprimunt, niſi vſque adeo exiliter, vt aſpirare non deprehendas; ſic Græci etiam aſpirationem notant. Æoles prorſus reiiciunt, plerique σ non admittunt, ne videantur ſibilare, alii η per α malunt exprimere, ne videantur imitari oues, vſque adeo delicatas habuerũt aures. Diphthongum

ει non tuo, sed nostro more ι sonuerunt, quod ex tuo Cic. non potes negare in dictione bini, vbi binei illi dicendum fuisset, pro βινεῖ. Quod si consulas aures, deprehendis longè dulcius sonare per ι. & hinc fit quod non immerito à Saxonibus & Heluetiis rideantur Sueui hianti ore hanc diphthongũ proferentes, in MEVM, TVVM, SVVM. Quapropter (mi Aschame) ne sonueris mihi βέετα, sed potius βέτα, vel βῆτα per ἰῶτα, neque cum ὤμεγα pronuncias, videaris os plenum pultibus habere, vel auriga esse. Quòd si obiicias mihi Dores, admittam apud indoctã & rudem plebem olim fuisse moris, vt apud Theocritũ, ἐν Συρακουσίαις, mulieres quædam irridentur ab homine aulico & erudito, non ferente eas Doricè garrire, hoc est, nimium latiori ore loquentes, in his versibus, Παύσασθ', ὦ δύστανοι ἀνήνυτα κωτίλλοισαι τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατυάσδοισαι ἅπαντα. Docti autẽ & ciuiliores non multum curârunt ω an ο proferrent, vt qui ω & ου diphthongũ in ὄμικρον & ευ mutabãt, prout exigebat necessitas, vt apud eundẽ in hoc versu, Μήμευ λωβάσησθε τὰς ἀμπέλως ἐντι γὰρ ἁβαι. vbi Doricè ἀμπέλως dicendũ fuit, & ἀμπέλους cõmuniter, οο mutant in ου. Iones soluunt diphthõgos, alii aliter, vt appareat, Græcos non magnopere curasse pronunciãdi modũ quẽ tu tantopere exi-
gis

gis in lucem reuocare. Habuit vnaquæq; natio suum idiotismum. Sed dic quæso mihi, quam è quinq; illorum linguis tuum seruasse modum, & quomodo probabis. Quod enim per characteres id argumento asserere conaris, opinionem probas, non scientiam, & quo tempore ita loquebantur, certè doctissimum Ciceronis seculū tibi aduersatur, quem tamē Græcissimè locutum, etiam admiratione Græcorum, non ignoras, vt tu ipse in dictione *bini*, intellexisti. Præterea scis quàm inuiti Dores & Æoles in secundis & tertiis personis & infinitis ει diphthongum exprimant, quin potius expungunt: dicunt τύπτω, τύπτες, τύπτε, & Æoles τύπτης, τύπτη. τύπτεν in infinitiuo, item dicunt Dores κῆνος ἀντὶ τοῦ ἐκεῖνος: ἐς ἀντὶ τοῦ εἰς. Deberetis etiam atque inprimis docere, veteres cum proferrēt vestro, vt vultis, more, meliùs, suauiùs, & doctiùs locutos fuisse, & rectiùs fecisse, quàm posterius seculum tenaciusque retinendum, quæ mater Euandri, & Osci atque Volsci loquebantur, quàm quæ aurea Ciceronis ętas garriuit. Haberem adhuc plurima scribenda, de reliquis diphthongis & literis, quibus ostenderem, vos innouatores literarum, ad mille quingētos annos obseruatum pronunciandi modum velle iam confundere, & ad Phænices & Cadmum reuocare, vehementerque errare: sed nec caput meum admittit,

imo & amanuensi vti compellit, & te aliàs ob amissum iuuenem Regem, nimirum tristem & calamitosum, nolo vehementius conturbare. Quare, mi Aschame, boni consule, & clarissimum Dominum Morysinum meo nomine plurimum saluta, atque vale. Heidelbergâ nono die Augusti, Anno 1553.

CLARISSIMO VIRO, DOM. ROGERO ASCHAMO ANGLO, & AMICO *suo obseruando, Nicolaus Cisnerus.*

ACcepimus ab Huberto nostro binas literas tuas, eodem tempore pridie idus Maii, quæ nos partim delectarunt, partim perturbarunt. Nam grata nobis vehementer est memoria nostri tua, quam tanta cum beneuolentia & amore in nos declaras, vt plus etiam, mihi præsertim, quàm res & veritas ipsa concedit, largiare. Itaque nisi nobis omnino de te persuasum esset, te propter humanitatem tuam & studiorum coniunctionem non permissurum vnquam, vt ex animo effluamus tuo, valdè te rogaremus, vt quam voluntatem literis significasti perpetuo conseruare velles. Sed quia nobis de tua constantia nullum est dubium, nos etiam operam dabimus, vt cœptam nuper inter nos notitiam bono literarum, & mutuis officiis indies magis atque magis confirmemus. Quod verò non suspicari modo, sed

sed vt certo statuere videris, nos à tuo iudicio, de recta Græcè pronunciandi ratione diffidere, id graue nobis molestumque est. Nam tametsi D. Hubertus amicus noster summus nobis significauit, te nobiscum de recta linguæ Græcę pronunciatione conferre voluisse, tamen quia eam nobis facultatem, tuus necopinatus, & improuisus à nobis discessus eripuit, non credo te cognoscere potuisse, quid nobis in illa causa probetur. At, credo in eam de nobis opinionem, ex sermone clarissimi viri D. Huberti venisti, qui cum eadem nos secum vti pronunciatione dixisset, quod nostram tueri, vestram infirmare conatus est; eodem tu etiam in loco nos ponendos esse iudicasti. Et quanquam nos plurimum D. Huberto tribuimus, nec dubitemus, quin, pro eruditione sua singulari, exquisitas ad id quod sibi defendendum sumpsit, rationes habeat, tamen quæ tibi cum illo suscepta est controuersia, eam in nos deriuari nolumus. Nec si in vsu conuenimus, idcirco eum quoq; pari ratione comprobamus. Etsi enim non ita sumus affecti, vt à quibus opinione dissentimus, ab iis voluntate disiungamur: tamen officio boni viri fungi volumus; opiniones nostræ ad veritatem sunt reuocandæ, quam prudenter euertere, & falsitatem stabilire velle, siue id ex animo, siue gratiæ causa fias,

longe ab ingenuo homine alienum esse debet. Quare vt & facilior tibi sit nobiscum agendi ratio, & certius de nostra sententiâ iudicium: non alienum esse videtur, in vniuerso genere perscribere; quid nos de recta Græcè pronunciandi ratione sentiamus. Quod mallem à Domino Micyllo susceptum esse, qui, quæ volumus, rectiùs, apertius, & elegantius explicare posset. Sed quia id ille onus mihi imposuit, cuius nec voluntatem negligere, nec authoritatem aspernari licet: peto à te, vt hanc imprudentiæ, & temeritatis culpam illi potiùs, quàm mihi tribuendam putes. Cum igitur consideramus, nos nec in vocalibus, nec in diphthongis, nec in consonantibus etiam, quæ cognationem inter se quandam habent, vllam ferè adhibere in efferendo soni distinctionem, facile damus deprauatam & vitiosam esse apud nos pronunciandi consuetudinem. Nam quid illa varietas inter *ι, η, υ, ει, οι*, si nulla soni sit in iis dissimilitudo? Iam, qui commodè in Theocriti versibus, quod & Micyllus sæpè nos admonuit, *ποιμεῦνται* & *ζευρὸς* exprimi possint, nisi *αυ* & *ευ*, non *af* & *ef*, sed, vt Latine Taurus & Eurus sonaremus. Quare & Erasmum rectè in libello de pronunciatione iudicasse censemus, & eorum institutum probamus, qui morem corruptum ratione pura emendare

dare conantur. Quid igitur eſt, dices, quod non eorum numerum augetis, qui in id incumbunt, vt deprauatam pronunciationem reſtituant & corrigant? Primùm, quia apud nos in Germania, in omni genere literarum principes non immutârunt, ſed in communi vulgarique vſu permanent: deinde, quod periculum eſt, vt, ne, ſi ad rectam rationem aſpirare velimus; in contrariam partem his turbatis ſeculis peccemus, præſertim cum non omnium certa nobis ratio conſtet. Namq; nondum nobis exploratum eſt: quomodo veteres ει & οι diphthongos, θ & φ conſonantes pronunciarint. Hæ quoniam omnibus ferè ætatibus diuerſas opiniones, varias contentiones, multos errores, de germana cuiuſque linguæ pronunciatione fuiſſe reperio, vt multum vitii in noſtro more eſſe fatear, ita haud ſcio, an cùm veterum ratione, nimis expreſſus ille ἐν διφθόγγοις ambarum vocaliũ vim ſuam retinentium ſonus congruat. Neque enim tam obtuſas aures Athenienſes habuiſſe exiſtimo, vt non animaduertere diſcrimen inter λιμὸς & λοιμὸς potuiſſent, ſi tam craſſa fuiſſet & aperta ſoni differentia. Itaque vt nos in tanta quaſi linguæ & oris peregrinitate illam rotundam & volubilem Græcorum pronunciationem conſequamur, ſummâ nobis diligentia aſſiduo vſu,

limato iudicio, naturâ idoneâ opus esse iudico. Nam quo horridior est vox nostra, spiritus asperior, sonus vastior, eò difficilius ad lenem illam, pressam & æquabilem vocis moderationem, qua olim in Græcia vsi sunt; accedere possumus. Quocirca timem⁹ ne in hac impuritate & insolentiâ à vitio in vitium, ab errore in errorem, incidamus. Quod scimus cuidam nostratium accidisse: qui, vt commune vitium in suppressione alterius vocalis in diphthongis effugeret, dũ vastiùs vtramque diducit, omnibus se deridendum præbet. Quid igitur? satinne hoc est, vt non delinquere videamur? errorem nos quidem Rogere, fatemur, sed quia authores nobis & duces desunt, qui pristinam & incorruptam pronunciationem apud nos reuocent, tollere eum non possumus. Neque enim tantum nobis eruditionis & authoritatis sumimus, quicquam vt nos noua hac in re præstare posse existimemus. Velim igitur tu apud illos, (quorum doctrina, existimatio, & authoritas altiori in loco posita est:) efficias, eam vt in scholas docendo inducant: nos quoque operam dabimus, nè nostro officio defuisse videamur. Quod si vobis in Anglia bene hæc pronunciationis emendatio successerit, erit id nobis tam gratum, quam quod gratissimum. Bene vale. Heidelbergæ, 15. Calen. Augusti 1553.

D.O.

DOCTISS. ET HVMANISSIMO VIRO D. ROGERO ASCHAMO CHARISS. amico suo, Richardus Brandubaus.

EX summa spe tuæ præsentiæ in summam desperationem incidi eruditiss. & humaniss. Aschame, quod eo tristius erat, quo vicinior adiunctiorque rebus optatis esse mihi pulchrè videbar. Cum enim audissem Bruxellis eloquentissimum nostrum oratorem D. Richardum Morysinum Antuerpiam appulisse, statim decreui, primo quoque tempore te illumque inuisere. Veni igitur, abruptis omnibus remoris, Antuerpiam, fessusque ab itinere, eam noctem interquieui. Postridiè, fuit ille dies Saturni, te Dominumque oratorem à meridie requiro: renunciatur illum cum sarcinis Bruxellas abiisse, & vbi eo in loco aliquot dieculas commoratus esset, Louanium petiturum. Hîc mihi ingentem intercapedinem temporis pollicitus sum; tamen nè ego mora spem tui conueniendi, illiusque salutandi corrumperem, die Lunæ Louanium repeto, vt domi meæ pro mea tenuitate, & erga illum officiosam reuerentiam, & erga te consuetam humanitatem, beneuolentiamque exhiberem. Hîc dum in itinere sum, occurrit mihi ad primum lapidem à Louanio Georgius Gilpinus Secretarius vnà

cum nostro Damosello: statim sermo de vobis: aiunt collectis sarcinulis vos Louanii non substitisse. Quod mihi primò vt propemodum incredibile, ita, re cognita, postmodum tristissimè accidit. Venio domum; statim illæ mæstissimæ, sed tamen humanissimæ tuæ literæ meis oculis offeruntur, quæ quanquam cum vulnere, dulci tamen libet verbatim ex memoriâ repetere. Libenter (charissime Brandisbæc) tuas ædes vidi, sed multo libentius teipsum vidissem. Memoriam multorum annorum, & rerum in Anglia gestarum suaui sermone tecum repetere constitui, de te & tuis rebus tibi impartiri volui. Hæc tui absentia vehementer me dolore afficit; scribe ad me, saltem te recepisse has meas, sequemur Cæsarem. His verbis lectis optime & animo meo carissime Aschame, non est decorum, si me dicam lachrymis immaduisse, id libenter confiteri me mœstissimo aspectu, immotisq; oculis literis tuis inhæsisse; sed redibis, spero, & redibis breui, & vtriusque tristitiam mutuo colloquio consolabimur. Quod si te diuturnior tenebit absentia, quæso communices mihi, per literas, de rebus meis quod certum habes. Ego ob insynceritatem quorundam ex meis, ne dicam perfidiam, mortuo fratre, multarum rerum mearum satago. Clarissimum

& eru-

& eruditissimum D. Oratorem officiosissimè, ex me saluta, in cuius obsequium & ministerium offero & deuoueo quicquid possum. Quicquid scribes, si miseris Bruxellam, ad ædes D. oratoris Anglici Chamberleni, eius amicitiâ & humanitate multum vtor, optima fide ad me perferetur. Quod serius scripsi, nihil in causa est, nisi quòd Cæsaris aduentus hîc exspectabatur, in cuius comitatu te hæsurum non dubitabam. Malebam pręsens cum præsente quàm per literas agere; bene vale doctissime & carissime Aschame. Sexto Idus Februarias.

ROGERO ASCHAMO RICH. BRANDISBÆVS.

S.P. Optime & eruditissime Aschame, optimi regis mortem ex animo doleo. Nimium illud nunc Virgilii de Marcello in nostros dolores congruit; *Ostendent terris hunc tantum fata, nec vltrà Esse sinent*: & obnixè te rogo quid vides, & quid futurum speres nobis perscribe, vt Pomponius Atticus tibi elegantiâ ingenii, morumque & animi synceritate simillimus, ad Ciceronem suum scribere solebat; sed vt tu benè Atticus, ita ad Brandisbæū minime Ciceronem scribes, neq; minus scribes, quod parū dignus videar tuis tā expolitis & enucleatis literis. Cupio nunc quàm prolixas literas. Si

quid autē ad me scribes, optimè celabitur. Literas tuas Mechliniam mittas quæso ad Tabernam diui Georgii, reddentur optimâ fide. Benè vale optime & amiciss. Aschame, Mechliniæ, die XVIII. Iulii 1553.

DOCTRINA AC VIRTVTIBVS CLARISSIMO VIRO, ROGERO ASCHAMO, *Serenissimæ ac potentissimæ Angliæ Reginæ Secretario, Dom. & patrono suo obseruantia summa colendo* IOANNES SPITHONIVS *Menasteriensis.*

S.P. Dici à me vix potest Aschame doctissime, quanta me voluptate affecerint tuę ad me datæ literæ, nimirum è quibus maximum non modò officii, verum etiā voluntatis, erga me tuæ fructum perceperim. Itaque cùm gratias tibi ago maximas, vti debeo, tum vt ista in me animi tui inductione perpetuò manere velis, etiam atque etiam oro. Quod ad Patricium hunc attinet, quē tuis mihi literis commendauisti, vellem sanè meo ipsum iuuandi studio euentum respondere potuisse. Quid & quantum tuam ob commendationem, pro ipso fecerim, apud eos qui regis huius sunt quasi τὰ ὦτα καὶ ὄμματα, ab ipso dici potius, quàm à me cōmemorari volo. Quantum verò hoc tempore diligentia mea obtineri potuerit, id potius exponam, cū tu ipse tuis hoc ipsum lite-

literis à me fieri cupias. Rex lectis Serenissimæ Reginæ Elisabethæ & Reginæ Scotiæ literis, per Cancellarium respondit, Anglorum suis in portubus spoliatorum caussam se tempore ac loco magis opportuno nequaquam neglecturum; cumque fore existimet, vt breui, de grauioribus quibusdam negotiis cum Scotis tractationem sit initurus, huius quoque caussæ, iam binis Serenissimæ Reginæ literis sibi commendatæ curam clementer suscepturum, idq; hunc Patricium, cæterosque spoliatos reipsa intellecturos, si modò vel ipsi, vel eorũ causæ procurator quispiam eodem tempore interpellet. Hæc causa est, cur neque ad Serenissimæ Reginæ Angliæ, neque ad Reginæ Scotiæ literas, rex hoc tempore quicquam respondeat. Legi ipse vtrasq; Reginæ quidem Elisabethæ pro spoliatorum causa per sanè clemẽter scriptas, alteras verò alterius aduersus Anglos querimoniarum plenas. Queritur enim, & valdè queritur Regina, suos ab Anglis antea non semel tantum, sed aliquoties in regis huius stationibus miserè esse spoliatos, nauium verò aut bonorum direptorum hactenus nihil etiam obnixè solicitãtes recuperare potuisse; Anglos neq; ita grauem iniuriam passos, neque ita frequenter, restitutionem petere: cum prius ipsos direpta reddere cõueniat, quàm à Sco-

tis restitutionē postulare. Idipsum si Regina Angliæ ignoret, de eo Maiestatem eius admonendam esse. Hæc & eius generis alia, quantum memini, in Scotiæ Reginæ literis continebantur, quæ Patricii ac aliorum causam non parũ videntur grauare, quemadmodum & illud, quod officiarii, qui rebus Islandicis, nomine regis, eo tempore præfuerunt, pro certo affirmant, portorium quod dari solet, non esse persolutum, nec cautionem de soluendo postulantibus datam, idq; ipsum Comitem ab Arundel, Doctorem Petrum Secretarium, ac cæteros cõsiliarios non ignorare, cum huic causæ audiendæ præfuerunt. Quæ res si ad veros calculos reuocetur, verendum est, ne ipsa spoliatorum causę plus sit obfutura, quam profutura. Tametsi enim regis huius in Islandia iurisdictio à Scotis grauiter sit violata, tamen cum vestrates portorio non soluto, domũ abierint, quæri fortasse poterit, vtrũ hic rex defensionem ipsis debeat, nisi velit eam pro sua erga ipsos clementia suscipere; quod equidem facturum confido, tempore magis opportuno, cum id ita per Cancellarium suũ promiserit. Habes (mi Aschame) quid in hac causa tota actum sit, in quo cõmemorando ideò fui prolixior, vt intelligeres, in ea apud hosce homines promouēda, quiduis potius, quàm aut voluntatē, aut

iuuan-

iuuandi studium mihi defuisse. Quo me animo erga omnes tuos mihi abs te commendandos semper esse futurum, tibi velim persuadeas. Serenissimæ Reginæ & Domino Secretario Cæcilio, vbi dabitur occasio, me quęso cõmendes; huic etiam verbis meis gratias agas, pro multis & magnis ipsius in me tùm officiis, tùm beneficiis, quæ ipsa memoriâ perpetua retinebo, pro incolumitate ipsius, Deum assidue precaturus. Benè vale Aschame doctissime, & mutuam amicitiam nostram mutuis literis, quotiescunque erit occasio, foue atque confirma. Hafniæ 25. Decemb. Anno 1561.

ROGERO ASCHAMO SERENISS. BRITANNORVM REGINÆ *Secretario, Petrus Ramus.*

CVm salutem nobis tuo nomine dixisset nobilis quidam Britannus, qui in aulâ nostri regis forte nobis occurrisset, rogaui quisnam in Britannia nostri tàm studiosus esset, vt etiam trans Oceanum Lutetiam vsque hoc animi beneuoli signum perlatum curasset; tumque de tua virtute atque eruditione multa iucundè ac libenter accepi, quæ me desiderio sic incenderunt, vt prima quaque occasione salutis gratiam referendam putarem, iuberemque hominem nostri cupidum & amãtem pro mutuo

amore valere plurimum, ac reciperem, si quid in otio Musæ nostræ tuâ caussâ possent, nullum à nobis tibi beneuolentiæ studium vel officium defuturum. En verò cùm è comitatu Thomæ Smithi, serenissimæ Reginæ apud regem nostrum, præstantissimi legati Matthæus Scynus ad vos reuerteretur, tempus arripui amoris erga te mei declarandi, id est, tui interpellandi; sic enim te amari, à nobis coli que tibi persuadeas velim, si abs te liberaliter & ingenuè petam, quod te non grauatè præstaturum confido. Primum igitur est, vt Matthæus hic vester (tametsi & morum suauitas in homine & literaturæ gratia per sese tibi gratissima sit futura) nostro tamen nomine tibi sit ita commendatus, vt qui de meliore nota commendari solent. Alterum est de libro Archimedis περὶ ἰσοπεριμέτρων, quem audiui penes quendam eruditum vestræ aulæ medicum esse: si facultas vlla sit describendi, habeo rariora quædam in hoc genere & Pappi & Apollonii, & Sereni, quæ perlubenter vicissim, cum eo communicabo. Itaque si beneficium hoc in mathematicis rebus, quibus me dedere incœpi, abs te impetrauero, magno, animi tui fructu cumulatum me sentiam. Vale Lutetiæ, Calendis Martii 6. 1564.

NOBI-

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO ANTONIO COOKO, *Anglo, Domino ſuo obſeruando, Ioannes Sturmius.*

SI meus conſpectus, vir clariſſime, tibi iucundus eſſet, ſi adeſſem iſtic, non dubito quin Alexandri Citolini, qui has reddidit, tibi multo gratiſſimus aduentus ſit. Cum æquè mihi atque germanus frater gratus ſit atque acceptus; & maiores ipſe, quàm ego, in literis noſtris, communibus progreſſus, vt mihi videtur, fecerit. Ἀναλυτικὴν illam, quam omnes à me multis iam annis expectant, tenet perfectè, & ſeptem dierum ſermonibus ſeptem explicatam ſermone ſuo patrio diuulgauit: quemadmodum ex ipſius volumine quòd adfert, pro tua prudentia, & eximia doctrinâ intelliges. Nō dubito quin tibi gratiſſimum futurum ſit hanc cognoſcere. Mihi magnopere dolet: vſque adeo me ſpoliatum eſſe fortunis meis à D. Royana: vt hunc virum meâ pecuniâ non potuerim apud me retinere: quod communicata inter nos opera atque induſtria hoc opus perficeremus. Quæſo effice, vt Regina hîc rebus mortalium non deſit: & ſua liberalitate adſit viro optimo, doctiſſimo, ſanè magno in literis homini. Mitto tibi exemplum epiſtolæ meæ ad Reginam, vt videas quomodo

queas ὑπουργεῖν. Vtinam vestro viatico, & stipendio retineatis, per biennium: ad perficiendum id, cuius summa laus peruentura esset ad Reginam, & eos, qui Reginæ autores fuisse viderentur. In exilium proficisci cogitur propter Papistarum crudelitatem, ex amœnissimo & fructuosissimo prædio: vxore & liberis caret, caret patria & vsu amicorum; & hæc ita fert patientèr, vt illius patientia mihi misericordiam moueat. Aderis viro optimo, & homini literatissimo, si huic apud generum & apud Reginam aderis, vt sedem suis Musis adipiscatur. Habet alterum à me sibi commissum negotium, quod ad vos pertinet, & ex ipso intelliges. Certè ego nullam aliam viam video perueniendi quô propositum est, si est propositum, quàm hanc: magis fructuosam, & gloriosam, & tutam. Quod vos statuetis, Deum precor vt felix faustumque sit vobis, populoque vestro. Dominæ Royanæ perfidia, me pauperem & egenum fecit. Coactus sum intercessionem nostrorum Principum implorare, qui scripserunt omnes, etiam præfecti militares: imploro etiam Reginæ Regisque authoritatem: ius meum iure persequar vel ciuili, vel: detrimentum enim egestatem mihi attulit, & periculum fidei meæ: quam ego pro crudelissima muliere obligaui creditoribus. Si
Regi-

Regina Angliæ grauiter pro me ſcriberet; plurimum mihi prodeſſet: & gratiſſimum faceret Principibus noſtris. Admiralius aliquam ſpem oſtendit Principibus, ſed noſti gentem & populum. Redeo ad Citolinum: obſecro te, ſi mihi gratum facere cupis, huic gratificeris. Ex hoc cognoſces, & de hiſce rebus omnibus: & de Germania, atque imperio. Vale vir clariſſime, & patrone obſeruande. Argentorati Calend. Octobris.

NOBILISSIMO, ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO GVLIELMO Cecilio, *Equiti, à Conſiliis ſecretis Sereniſs. Reginæ Angliæ, Domino ſuo obſeruando,*

IOANNES STVRMIVS.

SI vnquam, vir clariſſime iucundum tibi fuit, adeſſe viris bonis, innocentibus, eruditis: certè aderis Alexandro Citolino, qui hos reddidit; viro optimo, integerrimo, literatiſſimo. Ex illius ſeptem dierum ſermonibus: intelliges qualem & quantam rationem animo complexus ſit: ſcripto explicarit; & eô progreſſus ſit; vt ad arcem & caput facultatis admirabilis peruenire breui queat; ſi Sereniſſima Regina ſuam benignam manum, & felicem dexteram porrigat. Quænā iſta ratio ſit ex ſocero etiam intelliges; cui ſcripſi copioſius, reuerit⁹ ne tibi homini occupatiſſimo, & viro grauiſſimo

molestus essem, si scriberem prolixius. Quęso te atque oro adsis exuli isti Christo: adsis etiam literarum studiis: atque ipsis literatis hominibus: qui huiusmodi rationē omnes vel exoptarunt, vel inuestigarunt. Commisi ei quædam, quæ ad vos maximopere pertinere mihi videntur: in quibus ei fidem haberi cupio: homini scilicet humanissimo, viro fidelissimo, exuli innocentissimo: pudicissimæ vxoris castissimo marito: charissimorum liberorum, cupidissimo parenti: denique quantum huic benefeceritis: id totum Christo vos facturos. Vale vir clarissime. Argentorati Calendis Octob. 1565.

SERENISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ DOMINÆ D. ELIZABETHÆ, *Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Reginæ, Ioan. Sturmius.*

SErenissima Regina, & Domina clementissima, Alexandrum Citolinum: ita paucis diebus amare cœpi; vt dicere non possim: patrem me maiore beneuolentia, si viueret, queam colere. Hanc siue amoris & studii: siue pietatis & charitatis flammam, excitarunt multa indicia incredibilis virtutis: & confirmauit magna significatio excellentis iudicii & singularis doctrinæ. Sed in hac doctrinâ vna inest ratio: in qua ipse annos iam triginta & amplius versor: quam

illo

ille mihi videtur perfectè consecutus esse. Quid enim præclarius esse potest; quàm in arcem sapientiæ certa viâ & ratione cōscendere? in qua quicquid in vniuersa natura est; totum illud sit locis notatum, generibus partitum, formis distinctum: idque plenum atque congestum rebus & sententiis, earumque verbis atque formulis. Vsque adeo vt quicquid cogitanti in mentem venire possit: illius queat ad locum decurrere: & vno aspectu intueri quæcunque de eo vel cogitatione comprehendi, vel scripto notari: vel oratione exprimi debeat, Vsque adeò ab vno solo initio mens hominis per omnē rerum naturam ad vnum quoddam extremum indagando & perlustrando potest decurrere. Hanc rationem Cioltinus tenet, & eam septem dierum sermonibus ostendit dilucidè; quemadmodum Maiestas vestra cognoscet ex iis quæ sermone suo patrio conscripsit. Congestione rerum adhuc opus habet; & deportatione ad locos singulos, quo compleantur: qua in re auxilio opus habet, non solum operarum, sed locupletis & liberalis dextræ; quam si Maiestas vestra viro optimo & homini doctissimo porrexerit: habebunt non solùm studiosi literarum, verum etiam viri doctrinis artium liberaliū eruditi, quo vtantur: cum ad suas studiorum rationes, tum ad publicas omniū com-

moditates: in primis verò ad decus & celebrationem vestræ Maiestatis, & illius dextræ: quæ sumptus atq; impensam largita erit. Sed hæc cuiusmodi sint, Maiestas vestra, & ex Alexandri volumine Italico: & ipsius autoris atque inuentoris oratione cognoscet. Commisi etiam ei aliquid, quod ad Maiestatis vestræ laudem atque decus pertinere videtur: in quo eandem ipsi fidem haberi cupio, quàm mihi si coràm adessem. In vtraque re oro Maiestatẽ vestram, vt Alexandrum clementer atque benignè audiat. Sed natura est præditus verecunda: nihil audet, nisi ex vultu & oculis, aures auidas intelligat: non efficere solet, quod vult, & quod potest. Vbi verò placere se posse sentit: ita disertus est, vt mihi videatur eloquẽtis viri facere officium.

Deum patrem & Dominum nostrum Iesum oro vt Maiestatem vestram sanam, saluam, incolumem, felicem, & prosperam conseruet. Argentorati Calendis Octobris, Anno MDLXV.

Serenissimæ Maiestatis vestræ,
perpetuus famulus.

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO D. ANTONIO COOKO, *Ioannes Sturmius.*

SCribo hæc valdè mæstus: literis Citolini nostri commotus: in quibus scribit, nullam à

ſam à me poſitam fuiſſe ὑπογραφὴν, nominis, loci, temporis. Oro te pro tua bonitate excuſa me atque defende apud Reginam & generum. Certè factũ eſt errore ſcribæ mei, cui plurimas eo die dedi & deſcribendas, & ſignandas literas. Quicquid hæ literæ promittũt de Citolino, totum illud ego præſtabo. Noui virum, minimè circumforaneum. Obſecro ne quid eũ pati patiaris; vel propter me, vel propter bonitatem tuam. Exulat ob religionẽ; à patriâ, ab vxore, à liberis: homo domi non obſcurus, neq; inops: paucorum verborum homo eſt: minimè malus; benè literatus. Exhilara me quæſo literis tuis: exhilarabis autem ſi intellexero, neq; Reginã mihi offenſam eſſe: & Citolini ſalutem vobis curæ eſſe. Vale vir clariſſime. Argentorati 3. Decembr. Anno 1565.

PRVDENTIA ET ERVDITIONE CLARO D. ASCHAMO, AMICO SVO *vt antiquiſſimo, ita colendiſſimo Chriſtophorus Montius.*

SÆpè mihi in memoriam redire ſolet iucundiſſima illa cohabitatio & conſuetudo, quâ in ædib. D. Moriſini, tum temporis Oratoris apud Carolum V. ſanctiſſimi regis Eduardi VI. conuiximus, Aſchame chariſſ. nec eam à me abſtulit, vel auferet, vel temporum longinquitas vel locorum diſtantia.

Memini te valdè delectari solitum tostis castaneis, quando iis vescor, memoriam & desiderium tui mihi reuocant. Si eadem delectatio eius fructus, & idem calor stomachi est, certa indicia sunt constantis valetudinis & roboris: ego faciliores cibos modò expeto. Halesii lapsum omnes hîc dolemus, & speramus eum propediem commiseratione & clement â Sereniss. Reginæ libertatem & integritatem recuperaturum. Nam voluntas & propositum distinguunt maleficia. Vxoris & liberorum Seueni causam apud bonos viros agere non grauëris. Nihil enim Christiano viro magis dignum, quàm succurrere egentibus. Duplex beneficium est opitulari viduæ, & orphanis. Præclarissimi viri mors D. Massoni perpetuo luctu me affligit: paucissimos modò in aula patronos superstites habeo, in quorum ordine vetustissimi sunt D. Wottonus, D. Guilielmus Petreius, quibus vt officiosissimè me commendes, rogo: similiter vt Reuerendissimo episcopo Londinensi: D. Antonio Cooko, & Dom. Henrico Knolles animi mei erga eos studium & obseruantiam perpetuam annuncies, amanter rogo Vale Argentinâ, nono Calendas Ianuarii, Anno 1566.

DOMI-

DOMINO ROGERO ASCHAMO, IOANNES STVRMIVS.

S.P. Christophorus Montius mihi superioribus diebus dixit: Londinensem Episcopum grauiter ægrotare, & periculum mortis esse. Doleo profectò, cum ipsius viri causa; tum etiam propter publicũ detrimẽtũ tanti viri: atque etiam meorum pupillorũ nomine, quos tibi (mi Aschame) cõmendaui, & qui tibi curæ sunt, vt ex illius literis intellexerã. Si igitur viuit adhuc & bene valet, lætor & suo, & omniũ & pupillorũ meorũ gratia; quã diuinitus concessam agnosco. Sin d em suum obiit; oro te tamen vt curam pupillorum meorum non deponas, & pergas peragere quod reliquum est, & mihi significes, quid effectum sit, & quid spei sit reliquum. Ego certe totum illud æs Seuenianum in me recepi; sed tamen in eo persoluendo, spero mihi adiutores fore Deos; hoc est, viros bonos, quos libenter nominarem; si non viderer aut adulari illis velle, aut eos voto meo obstringere officio humanitatis. Domino Cooko, D. Halesio, cæterisque patronis literarum, & meis; verbis meis veneranter, oro, salutem dicito. Non scribis an viuat & ecquid viuat Sturmius Aschamus. Sed neq; de aliis rebus scribis; scribe aliquid magni, id est, læti, vt ne ipse scri-

bam tibi: tibi inquam, non aliis; desidiosus homo es. Si miraris, cur in amici Seueni causa me cõieccerim, in dispendiũ mearum rerum. Neq; Condianum æs alienũ vetus persolutum est: & ad illud hoc bello: adieci duodecim millia florenorum: quos accepi mutuò à negotiatoribus, qui plus fidei habent, fidei meæ, quàm rei domesticæ. Istud fatum meũ est, hac ætate deuexa mea, alienis cruciatibus cruciari. Seueni vidua omnem spẽ in tuo patrocinio & fide positã habet; ego in tuo & bonorum virorũ; obsecro adeste vos pauperibus & egenis pupillis; sed si commodo vestro queat fieri; nisi enim absque hoc foret malo meo non fieri, cõmodo: sed incõmodo persolui quod debetur. Vale, mi optatissime Aschame, & saluta meis verbis omnes eos quos saluos esse vis & optas. Argentorati Cal. Maii, 1568.

Christophorus Montius hæc in fine huius epistolæ carmina attexuit.

Frigida qui gelidæ præbet modo pocula lymphæ,
Ex minimis vni, qui mea verba colit:
Haud mercede sua frustrabitur ille profectò,
Sed fert officii, præmia digna sui.

DOMINO ROGERO ASCHAMO IOANNES STVRMIVS.

IN epistola quadam ad Doctorẽ Montium scripta: legi nõ prius scripturum te ad me: quàm

quàm pecuniam queas mittere; quid dico pecuniam? eleëmosynam inquam Seueni hæredibus, vxori viduæ & liberis multis. Lætor horum nomine, & tibi gratiam habeo; de hoc tuo studio, & bonitate hac tua. Ego me obstrinxi omnibus creditoribus; sperans tuâ prudentiâ, & benignitate solui & liberari; hoc nexu posse. Nullum etiam mihi dubium est; de ceteris heroïbus vestris D. Cooko, D. Halesio, & cæteris: qui Seuenum patrem nouerunt. Sed etiamsi non statim corrogari poterit quod petimus; tamen oro te, ne desinas ad me scribere; hoc est, intermissam multorum annorum scriptionem reuoces; & nos inter nos mutuis literis salutemus, & consolemur. Esset mihi tamen quàm gratissimum, posse me aliquando liberari hac creditorum importunitate. De rebus nouis nihil possum scribere, quia nos pol antiquum obtinemus, & expectamus, donec proximus ardeat paries. Ego meis iam dicto sententiam meam de imitatione oratoria; nescio an tibi placitura sit cum leges: Si placebit, mittam tibi quæ dictata sunt, vt tuum iudicium præcognoscam. Benè vale mi Aschame. Argentorati, 26. Iulii 1568.

ROGERO ASCHAMO
IOAN. STVRMIVS.

MI Aschame, quid profilius meus, Sturmius tuus, viuet ne? atque ecquid vi-

uit? & quænam de illo ſpes literarum: nunquid patri ſimilis? nam vt propatri ſimilis ſit: precari non auſim, nec volo: volo enim eſſe meliorem. Vtinam eos annos haberet, vt Citolinum noſtrum queat intelligere; qui haſce reddidit: & quem tibi etiam atque etiam commendo maximoperè. Cognoſces ex hoc vno viro, ea omnia, quæ à me ſcire potuiſſes, ſi iſtic fuiſſem; ſed longe plura atque maiora. Aperiet ſe tibi: oro & obſecro adſis ei conſilio tuo, vt ne quid peccet in mores & ordines hominum. Noſti noſtra ingenia, qui Muſas colimus liberas; vtile nobis eſt à vobis aulicis erudiri. Non iocor: ſi vllum vnquam tẽpus fuit, cauſa vlla: vir vllus in quo tuam mihi beneuolentiam voluiſti declarare: oro te declara huic viro, & hoc tempore; & in hoc negotio; illius, meo, & reipublicæ veſtræ, aliorum omnium. Peterem iſta pluribus abs te, ſi de tua voluntate dubitarem: ſed planè non dubito. Itaq; concludam epiſtolam. Vale mi D. Aſchame, vnà cum vxore, profilio, totaque familia, & amicis, bonisque viris omnibus. Argentorati. Calendis Octob 1568.

NOBILI ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO IOANNI HALESIO,

Ioannes Sturmius.

CLariſſime vir. Alexandrum Citolinum qui has reddidit: ita tuo patrocinio cõmen-

mendo; vt virum optimum, & hominem literatissimum, & in ea ratione perfectum, in qua scis me annos versatum esse quàm plurimos. Regina rem præclaram fecerit; si hominem exulem, & virum innocentem suo patrocinio tueatur, & stipendio adsit: quò id quod septem sermonibus delineauit; id totum coędificare & omni supellectile consummare possit. Ego nihil malim, quam mecum per biennium esse. Efficeremus aliquid, quod etiam posteris profuturum esset; non solùm ad doctrinam perfectiorẽ, sed etiam faciliorem. Ex ipso cognosces rem omnem; oro te adsis tuâ solicitâ & antiqua bonitate. De meis rebus, & de iniuria Gallorum aduersus me, ex ipso intelliges. Crudelissimè iam triennium exerceor; misereret te Sturmii; si sensus illius sentires. Ego triennium iam quæro in Gallia; & nullum possum gratum hominem inuenire; nouem millia coronatorum cogor, huius mulieris nomine, exoluere, solùm, quia interposui fidem meam. nulla spe lucri; nè teruncii quidem; nullum etiam teruncium vidi; ex hac tanta summa, quam per suum procuratorem accepit à negotiatoribus. Sed quid ego tibi homini humanissimo dolorem moueo; quæso recrea Citolinum: & te illius studiis atque inuentis refice. Vale vir clarissime, Argentorati Calend. Octob.

DOMINO ROGERO ASCHAMO IOANNES STVRMIVS.

MItto tibi exemplum epiſtolæ noſtræ ad D. Antonium Cookum: velim te nouiſſe hominem, pro cuius nos vxore & liberis ſcribimus. Fuit mihi arctiſſima familiaritate annos triginta coniunctiſſimus. Adeſſes igitur etiam tu, inquis, qui alios adeſſe velis: certè adfui & adſum: mediocri ſubſidio, non recuſo tantum dare, quantum quiuis, imo dedi, & ſciunt multi, etiã magiſtratus noſter ſcit. Oro te ſis nobis tu noſter procurator, ſtator, protutor: & conſilium cape cum D. Haleſio, cui importunus eſſe nõ audeo: in hac ſua moleſtiâ, cuius partem ego libenter ferrem, ſi mihi eam poſſet imponere. Sed noui conſtantiam viri. Sermones meos Ariſtotelicos recognoſco: poſt nonum, imo bis nonum annum. Placent multa: quædam requiro εὐπρεπέστερα. In his, ſpero, loquar vobiſcum poſt meam vitam: quæ finem minatur ſexagenario: neq; pontem extimeſco: & velim me defunctum vitę oneribus. Moreſinus quia mortuus, valde me delectat: loquens in hiſce ſermonibus: ſed ecce cauſam amici reliqueram. Oro te recrea me tuis literis: cum me dico: intelligo vxorem hominis amiciſſimi, liberos chariſſimos: cineres intelligo demortui viri, boni, docti, multo-

rum

rum virorum magistri: qui adhuc viuunt; quibus gratissimū vestrum futurum est beneficium. Vale mi Aschame: de profilio meo nihil scribere audeo: metuo ne tuis acciderit, quod meis accidit liberis, sed ęterna fruuntur felicitate. Salue vale, vale salue, vale mi Aschame. Argentorati 16. Decemb. 1568.

AMICO SVO SVMMO ROGERO ASCHAMO, THOMAS SMITHVS, *peruetustus amicus.*

MIrificè mihi rem gratam fecisti, mi Aschame, quod hanc figuram astronomicam ad me miseris. Laudo quidem certe illum quicunque fuerit, qui hanc descripserit diligentiâ suâ. Et aueo cum illo familiaritatem inire. Scis enim quanti æstimo doctorum omnium familiaritatem & amiciciam. Non est profectò nouum, vt qui in eadem disciplina, philosophentur, & amici inter se vel hac ratione sint: Vt qui aliquando in eodem campo militarint, aut in eodem carcere fuerint conclusi. Tu quidē author eris familiaritatis nostræ, cuius si vtriusuis nostrū pœnituerit, & sustinebis culpā. Ingenue mihi videtur scripsisse, & doctè, neque secundum vulgarē morē illiteratorum hominum, qui se & opinione doctrinæ suæ, ad quæstum abutūtur. Quorum nec a-

micitiam requiro, & familiaritatem auersor. Remisi, vt requiris, διάγραμμα & figuram quam misisti, & de eadem etiam, vt posita est, iudicium meum. Quia verò non videtur is, qui eam tibi dedit sequutus nouas tabulas Rheinoldi, sed Alphonsinas potius: De eâdem horâ & die figuram erexi, secundum Ephemerides Ioannis Stadii. Διάγραμμα videtur paululum differre, iudiciũ non ita multum. Et si quæ diuersitas fuerit aut in θέσει aut in iudiciis potes dicere illud antiquum diuerbium: Cum Aruspex aruspicem viderit, mirum est, si non rideat: quid quæris? sic sumus prognostici omnes, non in rebus modò astronomicis, sed & in deliberando. Quot homines tot sententiæ. Ita hoc mihi, illud alteri videtur fortius ac potius, vt ferè quot sint capita, tot etiam diuersi sensus appareant. Libellus meus, quem requiris, iampridem absolutus est & Waldinum transcribendus mittitur, ne vnà & primum exemplum & totum inuentum pereat. Haddoni epistolæ sunt inuẽtæ, sed non omnes, de meis ad illũ adhuc incertius. Tu vale, & meo quæso nomine, coniugem tuam & illũ tuum Astronomũ, quem absens & ignorans amo, meo nomine saluta. Ex ædibus meis Montis aulæ, XX. Decembr. vt astronomi supputant. 1568.

IOAN-

IOANNES METELLVS ROGERO ASCHAMO.

S.P. Arnoldus Birckmannus vir optimus, tuique valdè studiosus, mihi retulit, te nondum mei memoriam ex animo posuisse; licèt iam tot annis, neuter alterum, literarum colloquio lacessiuit. Hoc tu, crede, mutuò facis. Amo enim præclaras virtutes tuas supra modum, easque dum vixero, colam. Quo fit, vt sæpè de te quæsierim: cùm multi tamen testarentur, te, Regia excessisse, atque studiorum tuorum causâ priuatam vitam agere. Nam & hoc Ioan. Dius vester affirmauit. Gaudeo igitur, te non degere vt narrabant, in obscuris locis, sed eodem in statu, quo apud Mariam Reginam, permansisse. Sic enim accidet, vt ad te frequentiùs ego scribam; id quod ego sanè cupio ni tamen tibi molestum futurum sit, quod ipse minime omnium nolim. De rebus meis nihil est quod moneam; versor enim in trium rerum perdifficili negotio; in quo me, dum ab his tranquillior transigendæ vitæ ratio pendeat, durare oportet. Itaq; segnius hanc ob causam tracto studia; sed spero, tandem me extricatum ir huiusmodi rebus. Tu, si quid præ manibus habes præclari significabis. Non enim vereor, quin totus sis in opere aliquo præclaro, vti es studiosissimus, &

eruditissimus. Osorius noster huc edendos misit suos de cælesti iustitia libros. Vellem eum moderatius cum hostibus, quos sibi deligit, agere: ac potius in Philosophicis argumentis, quam Theologicis, quæ sanè sunt inuidiosa, versari. Quod ego ad te scribo, vt mitius feras, cùm ipse ames, ac summam eloquentiam. Sed ita naturâ comparatum est, vt quisque næuum habeat. Huc allatum est, crudelissimam pestem in vos sæuire, quod ego doleo. Francofordię etiam grassatur. Carolus Gallorum Rex, à senatu Parisiensi, tutelâ dicitur emancipatus; fortassis, quo denuo, constituta subuertantur; pacem tamen obseruaturus, edictumq; fore firmum fertur. Tanta est omnium rerum vbiq; mutatio, vt nihil iam humanâ prudētiâ, sed solâ diuinâ prouidentiâ regi, vel inuitis Philosophis, fatendum esse videatur. Quare orandus est Deus, vt nostri tandem misertus, omnia ipse componat atque restituat. Vale. VI. Idus Septemb.

HIERONYMVS OSORIVS EPISCOPVS SYLVENSIS, ROGERO *Aschamo Anglo.*

S.P. Thomas Wilsonus, vir ornatissimus, Reginæ vestræ legatus salutem mihi nomine tuo nunciauit, quod mihi fuit gratissimum: idemq; dixit, te eo tempore, quo istinc digressus est, febri impeditū fuisse, quo minus

nus ad me scriberes, quod mihi grauē molestiam attulit. Neq; tam ob eā rationē, quòd literarum tuarum fructu carui, quàm propter morbum ipsum, qui te tenuit, ne ad me scriberes. Quare si me amas, fac quāprimū poteris vt me hac curâ & solicitudine liberes, & certiorem facias te pristinam valetudinem recepisse. De meis rebus nihil aliud est, quod scribā, nisi me benè quidē valere, sed negotiis molestissimis implicari. Nam veni coactus in hanc vrbem, eo animo vt cum primùm negotia, vt arbitrabar, facilia expedirem, cōtinuo me in diœcesim meam reciperem. At postquàm huc me contuli, sic oppressus negotiis fui, vt cupiā auolare, ne, dum aliena curo, mea deseram, & ob id, inexpiabili flagitio me ipsum contaminē. Itaq; cogito præcisis anchoris vela facere, & eô, vndè profectus sum, cursum rursus instituere. Non deerit tamen, qui mihi in Algarbiensem prouinciam literas tuas, si ad me scripseris, statim mittat. Wilsonus tibi librū dabit, quo Gualteri Haddoni laudes persequor, vt possim. Gratissimum mihi feceris, si librum diligenter euolueris. Olyssiponæ VI. Calen. Nouemb.

CLARISSIMO VIRO DOM. ROGERO ASCHAMO IOANNES *Sturmius.*

MI Aschame: amabo te, ama me: & ignosce: quod toto hoc biēnio vel nihil vel

exiguum admodum ad te scripserim. Ita me Royana Domina multos iam menses; imo annum & ampliùs ære suo exercet alieno; vt omnino meæ literæ & Musæ; non solùm sileant, sed lugeant etiam. De hoc meo angore; cognosces ex Gamatio, qui has reddidit; item de cæteris meis rebus omnibus; ego tecum sum; cum hic erit tecum. Oro te adsis ei apud eos ad quos misi: vt gratus sit atque acceptus. Sic enim illi recepi. Summam spem positam habeo in D. Cooko & D. Halesio; si tu excitator accesseris, non dubito quin facturi sitis: quo Gamatius noster receptum bonum habeat; ad Reginam, D. Robertum Dudlæum & D. Cecillum. Iesus Christus vos omnes defendat atque amplificet. Vale. Argentorati.

CLARISSIMO VIRO DOM. ANTONIO COOKO, IOANNES *Sturmius*.

EGo patrem meum mihi restitutum putaui: cùm audiremus te esse restitutum valetudini: valetudini dicerimo vitæ. Diem enim te tuum obiisse, & auditũ & scriptum fuit, idque credebat doctor noster Montius. Nisi blandiri me putares; mitterem tibi Epitaphium; quod tum cum lachrymis conficiebam; nunc cum lætitia recordor. Gaudeo igitur nobis, & regno Angliæ gratulor; quid

quid enim dicam, me tibi lætari? qui non potes hanc vitam cum deteriore commutare: propter religionem & sanctitatem tuam. Sed de hoc verborum est satis; tametsi non satis sit gaudii atque lætitiæ. Venio ad caussam amici Gasparis Gamatii. Is mihi illum architectum comparauerat: quem ad legatos vestros Commersiũ miserat. Dedit abeunti quadraginta quinque coronatos: ego fideiussi & spopondi, iam repetit, & meo quidem iudicio meritò. Caussæ quid fuerit non dubito quin ex Guilielmo Rostorno, quem mihi commendabas proficiscentem in Burgundiam, cognoueris. Si pax nõ coiisset: attulisset vobis quædam ἀπόρρητα non negligenda. Quanquam puto eum ibi esse; nondum enim reuersus est: & vxor Gamatio est molesta; quæ Barræ in finibus Lotharingicis habitat. Oro vt cum genero tuo D. Cecillo agat: quo Gasparus habeat suum, & ego sponsione liberer. Quanquam ea tua & virtus & doctrina & sapientia est; & ea erga me tua studia ac merita: vt si præstandum mihi damnum sit, extimaturus sim, neque ignoraturus plura me tibi debere; qui meus patronus es: & ego tuus beneficiarius; multis & magnis acceptis beneficiis; nullo adhuc cõpẽsato beneficio; ne quidẽ officio vllo; nisi studii, beneuolentiæ, obseruantiæ, pietatis. Vale. Argentorati, 30. Ianuarii.

CLARISSIMO VIRO, DOM. ROGERO ASCHAMO, SERENISSIMAE Reginae Angliae Secretario Stephanus Cirlerus.

S.Credo te memoriâ tenere, cum post bellum Mauritianum hac iter faceres cum quodam legato Anglico atq; à meo Principe piæ memoriæ, Friderico secũdo, Comite Palatino Rheni electore in arcem ad prandium vocatus fuisses: me te per ædificia visu digna duxisse, officiumq; amici præstitisse: Id enim humanitas morũ, & polita doctrina merebatur. Ab eo tempore, nomen Rogeri Aschami semper mihi charũ fuit. Quia vero Immanuel noster, ad vos proficiscitur, quem tibi notum esse scio; Volui has, tanquam testes, mei erga te amoris, illi cõmittere, ex quo præsentẽ rerum nostrarũ statũ intelliges. Cui in reditu aliquid literarum ad nos dabis. Valde enim tuis scriptis mira puritate, & ornatu condîtis delector. Beabis me, si scriptori Anglico pio, prudẽti, polito & facundo, meam bibliothecam locupletabis. Erit id pignus nunquam intermoriturę amicitiæ. Benè vale 16. Februa. Anno 1568. Heidelbergæ.

SERE.

SERENISSIMA ELIZABETHA ANGLIÆ ET HIBERNIÆ REgina *Ioanni Sturmio.*

AMice perdilecte, de præstãti tua doctrina, puriorisq; religionis studio, ex libris tuis intelligimus. De tuo item multiplici rerum vsu, atq; prudentia, ex sermone multorum accepimus: accepimus etiam id quod libenter quidem accepimus, magna te, & obseruantia nos & beneuolentiâ nostros, iam diù esse prosequutum. Te igitur de hac tua eruditione, religionis cultu, rerum vsu, obseruantiâ erga nos, & beneuolentiâ erga nostros, amore, iudicio, & bona nostra gratia prosequimur. Quod nostrum erga te studium, non sermone aut beneuolentiâ ostendere, sed re, atq; beneficio repræsentare cogitamus. De quo nostro animo, Christoph. Montius, præsenti suo sermone, sed nostris verbis, plura & fusius, tecum communicaturus est. Viam ergo studiorum, atque etiam consiliorum, quam es feliciter ingressus, cõstanter persequere; & nos te in cursu tuo, non solùm beneuole incitare, sed benignè etiam deinceps promouere, magis magisq; studebimus. Bene valeas, &c.

IOANNES STVRMIVS DOM. ANTONIO COOKO.

S.P. Vir clarissime, & patrone obseruande. Propè aberat vt ipse istuc venerim, nisi cum Niuernensi, hoc est Possano legato Gallico Condiano: cras necessariis de causis redeundum esset Argentinam; sic enim flagitant hæc tempora. D. Albertum tibi commendo cùm ipsius causâ, & propter eius virtutes, tùm propter causam communem, quæ certè laborat, & quidem periculosissimè. Commendo tibi causam, sed etiam virum à quo ad vos est missus, quò nullum possitis inuenire magis idoneũ ad hanc rationem quæ profectò pernecessaria est. Vtinam istud vestrum negotium succedat, ita vt in Scotia. Præclara fama illius facti, & perpetua: sed hæc & immortalis & planè diuina, verùm perfecta & consummata gloria, si quod volumus, assequamur. Sed vides inopiam pecuniarum, auxiliorum, & quæ nunc nunciantur, Rotomagum expugnatum, desiderari ex vestris mille, qui ad Rotomagum occubuerunt: Durassianam copiam Aquitanorum, cæsam esse à Monlucano: Andelottum non posse peruenire ad castra Condiana. Speramus falsa, metuimus tamen; non dubito quin vos certiora habetis quàm nos. Vt vt sit, & vt vt

sese

ſeſe res habeant, imò quò peiore loco ſunt, eò magis elaborandum eſt, & reſiſtendum; idque primo quoq; tempore & celerrimè & confirmandus Condianus nè animo deficiat, id quod vos quotidianis veſtris conſiliis, atque auxiliis facere poteritis. Spero atque confido, ita te adfuturum D. Alberto vt mihi gratias acturus ſit, propter tuam prudentiã, conſilium, operam, & opem, apud Reginam & Cecillum generũ; de negotio illo, de quo nihil verè ſuperiori menſe opinor Martio, aliquid ſcripſi D. Cecillo: tuæ literæ effecerunt vt probare prius velim rem, quàm plus confirmare. Hæc tempora Gallicana faciunt, vt de noſtro diſſidio, quod à Marbachio concitatum eſt: nihil poſſim ſcribere, tamen cõſeneſco propter faſtidiũ & iniuriam; propè vbiq; eſſe malim quam ibi, vbi annos permultos fui libenter. Redeo ad cauſam Alberti, oro & obſecro, vt tibi curę ſit. Vale vir ornatiſſime & nobiliſſime, & patrone obſeruande. Francofurti XIII. Nouembris.

IOANNES STVRMIVS

IOANNI HALESIO.

CVius rei cauſa D. Albertus iſtuc venit: tametſi ſciam eam tibi curæ fore: tamẽ ita mihi curæ eſt, vt hanc curam deponere poſſem: neq; commendem tibi, & aliis iſtic heroibus. Valdè conſternati ſumus nunciis

Gallicanis: solùm cõsolatur quod ab inimicis veniunt: atque idcircò falsos speramus. Is qui misit D. Albertum, aliquid plus habet laudis, quam illa antiqua fuit: bonus miles, bonus colonus: optimus vir est, fortissimus dux est; debetis optimè & amplissimè sperare de illius fide, industriâ, vsu, scientia. Causam non opus est vt commẽdem verbis pluribus. Gallia absq; vestro auxilio, nullum videtur habere subsidiũ, ni Deus adsit. Sed aderit Deus Galliæ: aderit etiam vobis, quoniam vos vobis non defuturi estis: salutem autem vestram negligetis, si Galliç salutem negligatis, quæ absq; vobis salua esse non poterit. Nos tertiò certè perimus proximi: & tamen quotidiè deliberamus: nunquã quicquam facimus; perdit nos otium, voluptas, discordia, fastus. Quò nostra ignauia maior est, eò præclarior vestra est gloria, quæ Scotico bello fundamenta iecit; hæc Condiano egregias habitura est atq; magnificas superstructiones. Redeo ad rem: Albertum Theologum optimum, Comitem virum fortissimum, causam ipsam necessario isto tempore pernecessariam; ita tibi commendo, vt vestram, vt communem, vt vniuersorum, vt omnium & singulorum, vt tuam nostramque, vt amicorum nostrorum, vt patrię, vt Dei, & Iesu Christi. Vale vir clarissime. Francofurti XIII. Nouembris.

DISER-

DISERTISSIMI VIRI ROGERI ASCHAMI, *Poemata.*

AD POTENTISSIMVM PRINCIpem Henricum Octauum, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem.

SIngula priscorum virtus fuit inclyta Regum,
Illustris singulis singula lausq; fuit.
Imperii quoddam decus exornauit Atridem,
Extulit Æacidem forma manusq; trucem.
Hostes prudenter cautus præuertit Vlysses:
Consilium fluxit Nestoris ore graue.
Sunt qui diuitias iactant, vt Crœsus opum vim,
Fortunâ Cæsar nixus vbiq; suâ.
Æthiopes nullum Regem signare volebant,
Insigni qui non corpore clarus erat.
Hæc, Henrice, tibi natura infeuerat vni,
In te vim cunctam fuderat illa suam.
Imperio digna est maiestas, allinit ora
Digna Venus regno, formaq; digna Deo.
Consilio superas maturo quosq; Lycurgos,
Hostes perfrêgit aurea virga tuos.
Si Regem monstret præstantia corporis, vnum,
Æthiopes altrum non maluere ducem.
Fortunæ nullus locus hic, fors exulat omnis,
Hic clauum virtus inclyta sola tenet.
Post Christū in terris, numen non sanctius vllum,
Dignatum humanum est visere triste genus.
Auspiciis huius fusa est Babylonica pestis,
Quæ tua vastarat, Anglia, regna diu.
Pontificis fracta est Romani dira potestas:
Pulsâ perfidiâ, perdite Papa peris.
Perdite Papa peris, tua vincla repellimus omnes,
Exhorret nomen Anglia tota tuum.

Huius & auspiciis Christi sunt reddita sacra
Biblia, quæ tenebris delituêre diu.
Hinc rectúmq; fidesq; patent, hinc munera quæuis,
Quid Rex, quid Christus, singula quidque sient.
Nunc sileant prisci, Mauortia facta, Tyranni,
Alcides, Bacchus, cætera turba Ducum.
Alcides Iouis est, seruit, tua dextera Christo,
Auspice sunt Christo cuncta peracta tibi.
His, tantum præstant nostri stratagemata regis,
Quantum tu præstas, optime Christe, Ioui.
Imperiumq; tuum Christus, tibi singula Christus,
In gladio Christus, Christus in ore sedet.
Ergò diu viuas decus & tutela Britanni
Nominis, ô Princeps, præsidiumque soli.
Viuas & Catharina diu, tu diua virago,
Et videat Pylii secula vterque senis.
Viuat & Eduardus Princeps spes altera regni,
Henrici patris pignora summa sui.
Hæc nos, hæc Henrice tibi, gens tota precatur,
Hoc studium populi suscipe quæso tui.

IN ANNIVERSARIVM NATALEM diem Eduardi Principis.

1 Vt gliscit mens mea,
Sumere noua gaudia,
Promere noua cantica,
Lætis carminibus?
2 Philyris mea tempora,
Citharis mea pectora,
Sint lepidis omnia
Plena veneribus.
3 Prophani cedite,
Procul hinc iam næniæ,
Procul hinc querimoniæ,
Luctus & odia.
4 Salibus & ioculis,
Fabulis & poculis,
Dapibus & epulis.
Sint plena omnia.
5 Eduardi Principis,
Natalis nobilis,
Reductus annuis
Solis reflexibus:
6 Renouat noua tempora,
Reparat noua gaudia,
Abstergens tristia,
Nostris pectoribus.
7 Sub te nunc Principe,
O princeps inclyte,
Eduarde maxime,
Floreat tranquillitas.
8 Redeunt iam tempora,
Aureaque secula,

Iam

Iam Anglis splendida.
Redit felicitas.

9 *Romana bestia,*
Et fæx dogmatica,
Procul hinc procul omnia
Facessant impia.

10 *Quies, & pax inclyta,*
Salus & mens consona,
Sua iam tabernacula,
Ponunt in Anglia.

11 *O decus Angliæ!*
O metus Scotiæ!
O terror Galliæ!
O Princeps maxime!

12 *Sis patri, sis patriæ,*
Henrico, & Angliæ,
Longo solamini,
O Princeps optime!

13 *Sis fautor literis,*
Sis author studiis,
Musarum otiis,
Et Cantabrigiæ.

14 *Sic pater, sic est tuus*
Henricus optimus,
Princeps nobilissimus,
Consuetus facere.

15 *O spes, ô pignora!*
O patris, ô patriæ!
O salus unica!
Tuis temporibus.

16 *Floreas diu prosperè,*
Decus & spes patriæ,
Viuas diu integrè,
Seclis perennibus.

17 *Oremus precibus,*
Ad cælum manibus,
Et votis omnibus,
Vt Anglia Solem:

18 *Qui trinus & vnus est,*
Qui solus, qui bonus est,
Seruet, qui potens est,
Edwardum Principem.

DIALOGVS ἐπιτάφιος IN OBITVM CLARISSIMI VIRI ANTONII *Dennai.*

Interloquutores.

ΞΕΝΟΣ. ἈΓΓΛΙΑ.

Ξεν. Καί τις γυνὴ πενθῶδες ἠμφιεσμένη;
Αγγ. Ὀλβία ποτ' ἀλλὰ νῦν τρίσαλγος Ἀγγλία.
Ξεν. Εὐφήμει. Α. οὕτως ἐστιν. Ξ. αἴτιον δὲ τί;
Αγγ. Ἄγει με καὶ φέρει κακὸν θεήλατον.
Ξεν. Τί λιμός; Α. οὐκ. Ξ. ἦ λοιμός; Α. οὐδαμῶς μηδ' οὔ.
Ξεν. Ἀλλ' ἐστὶ πόλεμος; Α. μὰ Δί. Ξ. οὐ μεῖζον κακόν.
Αγ. πολὺ μεῖζον, ὡς φασὶν Προφητὸς καὶ Πλάτων.

Ξεν. Τί ποτέ τι ἐς; Α. ὅταν μὲν ἐξαίρει Θεὸς
Τῆς γῆς ἄριστον ἄνδρα, φεῦ μεγέθους κακοῦ.
Ξεν. Ἐξεῖλέ τινα. Α. οἴμοι τάλαινα, οἴχεται.
Βέλτιστος ἀνδρῶν ὧν ποτε ἥλιος βλέπει.
Ἀντώνιος Δενναῖος, Ἀγγλίας κλέος.
Ξεν. ποῖος μέν; Α. οἷος φιλόπολις, καὶ θεόφιλος,
Νοῶν δέοντα, καὶ λέγων νοούμενα,
καὶ χρημάτων κρείττων καὶ ἥσσων οὐδενός
φαύλου, πεφυκὼς πᾶσιν ἄλλοις χρήσιμος,
σχεδὸν δὲ αὐτῷ οὐδὲν ὠφελούμενος.
Ξεν. Τί νῦν ποιεῖς; Α. μεγίστα εὔχομαι Θεῷ.
Ξεν. Τί πρῶτον αἰτεῖς; Α. Τί θανόντι συνθανεῖν
μετέχουσα καλῶν ὧν ἐκεῖνος τυγχάνει.
Ξεν. Τί δεύτερον; Α. πάλιν αὖθις αὐτὸν εἰς βίον
ἐλθεῖν αὖ· Ἀγγλοῖς τοῖσι νῦν πόθος μέγα.
Ξεν. Τί φιλτάτοις αἰτεῖς δὲ σοῖς; Α. εἰς τὸν Θεὸν
Τὴν πίστιν αὐτοῦ, εἰς βασιλέα τὸν δ' εὔνουν,
Εἰς κοινὸν αὖ μελέτην φίλοις βιοῦσι μὲν
Τοίους τρόπους, θανοῦσι δ' αὖ τοῖον τέλος.

Carmen carmini redditum Latinè.

HOSPES. ANGLIA.

Hoſp. *QVa triſtis hæc eſt veſte pulla fœmina?*
Ang. *Olim beata, nunc miſerrima Anglia.*
Hoſp. *Meliora Dii. A. Sic eſt. H. Refer cauſſam mihi.*
Ang. *Grauiter premit me cælitùs miſſum malum.*
Hoſp. *Famesne? A. minimè. H. Peſtis? A. Haud illud quidem.*
Hoſp. *At Mars? A. nequaquam. H. Grauius his nullum eſt malum.*
Ang. *Ah, grauius, vt Propheta memorat & Plato.*

Hoſp.

Hosp. *Tandem quid est? A. Quando optimos tollit Deus*
Viros, id offensissimum arguit Deum.
Hosp. *Quem sustulit? A. Me miseram, eheu nuper perit*
Vir optimus, quos Sol vidit, vir optimus:
Antonius Dennæus, Angliæ decus.
Hosp. *Qualis fuit? A. Patriam colens, colens Deum,*
Menti probatæ sermo consonus fuit,
Nummis superior, abstinens, purus mali.
Aliis quibusvis multa comparans bona,
Soli sibi prodesse tardus & pudens.
Hosp. *Quid nunc agis? A. Ter maximum precor Deum.*
Hosp. *Primum petens quid? A. Commori illi mortuo.*
Eius beatæ facta sortis particeps.
Hosp. *Quid proximum? A. Vt superstes ille denuò.*
Remigret in lucem, quod optat Anglia.
Hosp. *Quid intimis petis tuis? A. Erga Deum*
Eius fidem, erga Principem mentem integram.
In publicam rem, curam, amicis posteris
Mores suaues, mortuis talem exitum.

DIALOGVS ἐπιτάφιος IN OBITVM LECTISSIMÆ MVLIERIS MARIÆ Cecillæ, vxoris clarissimi viri Gulielmi Cecilli, & Ioannis Checi sororis.

Interloquutores.

Vita, Mors, Maria Cecilla.

VITA.

QVid sic iaces suspensa dubio pectore,
Vtrum eligenda vita sit, vel mors tibi?
Hanc pelle curam, dirimam hanc litem breui.
Ego beata, cuncta mors miscet mali,
Ego læta, suauis, mors grauis, trux, horrida.

Ætas ne sic florens abibit? sic decus
Formæ peribit splendidæ? quin respicis
Ad me potiùs, & disce quanta commoda
Ex me capesses. Longa primùm tempora,
Et larga rerum te beabit copia,
Lætusque dulcis turma cinget liberûm.
Vir qualis Æmon fuerat Antigonæ suæ,
Talis tibi est: fraterque doctorum chorum
Sic vincit, vt minora Luna sydera.
Viget parens veneranda, germanæ vigent.
Cum tanta me sequuntur ergò commoda,
Ne tu relinquas tanta, si sapis, bona.

MORS.

Quæ pollicetur vita, non dabit tibi;
Quid vmbra, puluis, bulla, quid fumus daret?
Incerta quæ sit, certa præstaret bona?
Quæ vana sunt, caduca, fluxa, perfida,
Vires, voluptas, forma, lucra, gloria,
Vita hâc fluunt ac refluunt, instar maris,
Quod ventus ater voluit imo gurgite.
Fortuna, spes, fraus, cura, solliciti metus,
Humana cuncta agunt feruntque tempora.
His vita ducibus vsa, gressus labiles
Semper ciet, semper vagatur lubrica.
Quo vita plures voluit annorum vices,
Hoc grauius animos turbat hominum miseriis,
Seges malorum crescit indies noua.
Ergò sapiens Menander. Hic curæ est Deo,
Quem prima dulci lux sinu matris rapit.
Fallacis igitur ac fugacis aurulæ
Vsura, naturæ parenti reddita,
Nè tua fatiget ampliùs præcordia.
En, certa mors quæ certa largior bona,
Adsum tuis finem datura miseriis:
Grauium laborum meta, gratus vltimæ
Portus quietis, ordo fatalis viæ,
Quam pedibus æquis cuncta calcabit caro,
Extremus omnis medicus ægritudinis,
Vitæ fugacis finis, æternæ gradus,

Clauis

Clauis salutis, quæ, recluso carcere
Mortis perennis, Christus omnium salus,
Iter salutis pandit omnibus piis.
Ergò bonis & incertis certa præferas,
Vitæ cadentis fluxa linques commoda:
Et me capesses læta; namq; ego breui
Vitam dabo, quam vita non dabit tibi.

Maria Cecilla respondet.

Vtrinque sat dictum est: silete, vincitur.
Satis placet mors, vita non placet mihi.
Nam vita non est vita, vita quæ fuit,
Sed bulla in auras lapsa flatiles leuis.
Quæ vita dat; vires, opes, anni decus,
Fallacis æui mera sunt ludibria.
Mihi vita solus Christus est, hic omnia:
Hic vir, parens, frater, sorores, liberi
Vt Christe sinu isthæc relinquam singula,
Sic viuere iuuat, grande sic lucrum mors,
Nec me fugacis cura vitæ detinet:
Vixi satis, quod, Christe, sat vixi tibi.

GVILIELMO BILLO SODALI suo candidissimo.

O Bille belle χῶμος mi bellissime.
Cum Sol Capri niuosa linquit cornua,
Vdaque vultum spargit vnda splendidum,
Circumque de integro retexens annuum,
Mos est vetustis deuolutus seculis,
Vel inter ipsos perpetuatus rusticos,
Mittendo mutua humanitatis symbola,
Ista renouare charitatis fœdera.
Nos ergo Bille belle mi bellissime,
Quos inter arcta vincla stringunt pectora,
Quos inter eadem mens, voluntas consona,
Nos ista sacra nos sinamus orgia,
Ab vsque prisco deglomerata tempore,
Sic spreta nobis, sic iacere sordida?
Hoc Bille faciunt, quos iuuat discors Dea,
Quos mens amens edaxque liuor distrahit,
Quæ turba nimium crescit indies mala,

Heu facinus ingens, heu malum auditu graue?
Quos Christus vnit, hos separet discordia?
Quos literæ ornent, fœdet hos mens fellea?
Nos fata nos meliora Bille ducimus:
Vterque nostrum Pieridum gaudet choro,
Deæ Latinæ nos Deæ Parnasides
Fouent, amant, & indies iuuant magis.
Vterque Checum; vtrunque Checus diligit:
Quod in bonis summis ego locauerim.
Nos ergo quos tam firma iungunt vincula,
Summique amoris summa nectant fœdera:
Sic vsque firmius adglutinemus pectora.
Quæ fundit ergo nostra Musa carmina
Incompta, rudia, vasta, dura, exanguia;
Sunt certa nostri (Bille) amoris pignora.
Quæ si serena fronte capias, vt soles,
Nil petimus aliud, sic habemus omnia.
O Bille belle mi vale bellissimé.

R. A. IN DOMINVM BVCERVM COMMIGRANTEM EX HOC VITÆ exilio in veram patriam.

Æmula Teutonicæ cùm inuiderat Anglia genti,
Bucerum abducit: Cælum indignatur, iniquum
Exclamans factum, meus est, rapit, auolat: omnes
Nunc omnes stupidi frendantq; fremantq; Papistæ.
Omnibus inuitis furiis, Bucerus ab isto
Exilio liber, demumq; solutus, in altum
Sublimis patriam veram, petit æthera, cuius
Cælestis factus, Christo regnare cohæres.

IN EVNDEM.

DVm mens nostra graui carnis depressa gemiscit
Mole hac: dum mundi fulmina dira fremunt:
Dum fraudes tendit satanas, dum vincla minatur,
Non patria est, non vrbs, non domus vlla piis.
Quicquid delirant ventres, stolidiq; Papistæ,
Hæc vox Paule tua est, vita Bucere tua est.
Desinat exilium Babylonica carpere turba.

An ciuis, quisquis non prius exul, erit?
Ciuis erit cæli nemo, qui haud exulat ante:
O gratum exilium, cum dare tanta soles:
Exilio cedat patria ergo, vitaque morti,
Quæ patria, & vita hæc non dabit, illa dabunt.
Exilium grata tulit ergò mente Bucerus,
Optatam patriam cum dedit exilium.

AD DIVAM ELIZABETHAM PRO INSEQVENTIS ANNI FElici auspicio.

Salue, Diua, tuæ patriæ decus, optima salue
Princeps Elizabetha, tuis dea magna Britannis:
Pande tuis iam fausta noui noua tempora secli
Ciuibus, imperium placidum, mundumque benignum,
Lætaque temporibus nostris da tempora Diua
Tu Britonum, tu sola salus, tu sola columna
Doctrinæ veræ Christi, sanctæque magistræ,
Vitæ, tu vitæ lex intemerata pudicæ.
Tu propugnatrix belli, tu pacis alumna
Perpetuæ, morum moderatrix, regula legum.
Principe nam sub te, sic sacrosancta potestas
Legum cuncta regit, nunc vt dominetur vbiq;
Consilium, non vis, ratio, non cæca voluntas.
Nec vis dura premit legum, nec gratia crimen
Laxat, proiecti sceleris tolerantia nulla est.
Sic mediiq; modiq; tamen rarissima cultrix:
Vt magè sis iurisve tenax, vel amantior æqui,
Sit dubium, tanto moderamine cuncta tueris.
Ensis nec iustis metus est, sed terror iniquis:
Nec ciues vrges odio, sed ducis amore:
Quoq; metus minor est, tantò est reuerentia maior:
Teq; tui metuunt & amant, pariterq; timeris,
Diligerisq; simul, nec tu diffidis amari,
Nec cupis vt facias, facit vt vis dira Tyranni.
Et licèt ad summum rerum tua summa potestas
Peruenit, maiora tamen, quam maxima quæ sunt
Conditor omnipotens rerum tibi contulit vni.
Munera fortunæ, naturæ munera vincunt.

Omnia sed virtus superat, fateantur vt omnes,
Te dignam esse cui, vasti moderamina mundi,
Cunctarum & rerum commendarentur habenæ.
Sceptraque quid stulti mirantur mascula Regum?
Gallica quid posthac iactent sua fœdera Galli?
Rex alius Mars mas, nobis tu fœmina Pallas,
Præsideas, præsisque diu tu docta Minerua.
Anglia si multas similes ferat, Anglia posthac
Sollicito repetat cur sceptra virilia voto?
Regnat vis vbi vir regnat. Regesque propinqui,
Et Suecus & Danus, gens Belgica, Gallus, Iberus,
Sunt testes, qui nil aliud, cogitantve studentve,
Quàm misero miserum populum consumere bello.
Mascula nam virtus, magnorum & turba virorum,
Magnanimi, fortes, animosi; lumina Regum:
Cyrus, Alexander, Pompeius, Cæsar, & omnes,
Fulmina sunt belli, tristis sunt pondera mundi.
En res humanas misero qui turbine voluunt.
Imperiumq; virile, & mascula sceptra sequuntur
Exilia, & spolia, & tristis confusio rerum:
Ferrum, flamma, fames, sanguis cædesq; cruenta,
Intestinorum series & longa malorum.
Quæ sæpè & tulit, & vidit flens Anglia: Sed tu
Virgineus flos, fœmineum decus, optima Princeps,
Aurea Saturni reuocas iam tempora prisci:
Virgineoque tuo ductu clarissima virgo,
Virgineæ redeunt virtutes, primaque virtus,
Publica iusticia est, regni tutissima custos:
Hanc sequitur bonitas, sequitur clementia læta,
Castaq; temperies, castæ comes optima vitæ.
Imperiumque tuum ducibus virtutibus istis,
Sic grato populi studio, sic plebis amore
Firmas firmatumque tenes, vt nulla potestas,
Siue erit ingratus ciuis, siuè exterus hostis,
Te regnante, queat nobis infligere damnum,
Virginea hæc ætas seclo collata priori,
Præsens præteritis tantò est præstantior ætas,
Annos, si repetas animo bis mille peractos,
Anglia quando fuit regno subiecta virili,

Fœminea

Fœminea vel laudi tantùm Laus mascula cedat,
Et Princeps præsens tantùm nostra vnica multos
Virgo viros superet, quantum Sol lumina vincit
Cætera, vel quantum luces tu Luna minores.
Omnia tuta domi, foris & vis nulla timetur.
Ast heu fando nefas, alios, pia viscera nostra,
Nostros vicinos, Christi quos fœdera, quosque
Vna fides, quos vna salus, quos dira pericla
Coniungunt nobis, nimium furor impius vrget.
Sus Romana furit, rabies Babylonica sæuit,
Sanguineasque minas spirat, sua vota cruore
Iam sperat saturare pio, sanguinisque piorum
Vindictam votisque piis precibusq; reposcit.
Vnà & conspirant Olophernus, & impius Hammon,
Iam Cacus & Geryon, tristis monstra horrida mundi
Consilium, vires, fraudes, atque omnia iungunt,
Vt, quicunque suum nomen tibi, Christe, dedere,
Omnes è medio tollantur, vt omnia mundi,
Vt Reges cogant Papæ iuga dura subire.
Atq; vt perficiant scelera hæc, scelera omnia tentant.
Tristia quam nunc sunt passim pia vota piorum.
Quos tot circumstant grauium discrimina rerum?
Circumcirca volat tristis fax horrida belli:
Ardent vicini, nec res, sed vita piorum
Nunc agitur, rabiesque pios sese armat in omnes:
Reque licet petat hos, at spe iam deuorat omnes,
Omnes, quos veræ fidei pia fœdera iungunt,
Leges naturæ violant, & fœdera sacri
Coniugii rumpunt: iuris iura omnia soluunt.
Hic propriam sobolem tollit, necat illa maritum,
Non parcunt propriis, aliis hii parcere possunt?
Et nondum natos tollunt, iam iam morituros
Obtrudunt morti: nec est veneranda senectus,
Nec tenera est ætas, tutum quæ reddere possit.
O tristem rerum faciem! Mors ipsa stupore
Aspicit hanc rerum faciem, facieque reflexa
Respicit horribilem hanc indignabunda Tyrannim,
Ardent vicini: Quid nos spectamus inertes
Nunc spectatores, actores forte futuri?

Huc volitat fumus, dubium nè an flamma sequatur.
Alterius, si non propria, sed cura salutis
Nos moueat tantos rerum non temnere motus.
Nam misero hoc motu, misero hoc discrimine rerum
Quo, totus diris odiis discinditur orbis,
Non rex, non populus, non gens, non natio, non est,
Non vrbs, non priuata domus, non fœmina, non vir,
Non sexus, non ætas, quin discordibus omnes,
Distractisque animis studia, in diuersa trahantur.
Sed quorsum tandem tanta hæc discordia tendit?
Hoc in temporibus solùm contenditur istis,
Aut Papa, impietas, vis, ira, furorque malorum:
Aut Christus, pietas, & vita salusq; bonorum,
Sunt possessuri iam iam moderamina rerum.
Nil videt is, qui non videt hæc, sed cæcutit ipse
Cernens, & tenebras rebus prætendit apertis:
Quique secus sentit, nil sentit, vel malè sentit.
Hostis non ciuis, licèt is pia nomina ciuis
Iactet, qui clàm, sub specioso nomine pacis,
Voce gerit pacem, voto fremit horrida bella:
Optat spe turbas, voltat licèt ore quietem.
Nec facies vna est scelerum, simplexve malorum.
Mille manus, & mille pedes, & mille nocendi
Artes improbitas habet hæc: tantum nec aperta
Vis nocet, inuolucris quantum fraus tecta dolosis.
Cogere si ferrum nequeat fraus, adhibet aurum
Bestia, septenis munitum collibus antrum
Quæ tenet, & mundi meretrix Babylonica reges,
Quæ sibi subiecit, quæ iam sic territat orbem,
Quæ iam cunctorum soluit sua claustra malorum:
Auri præsidio, quod nunc gens impia mittit
India, tu seclo, tu non audita priori.
O si temporibus non esses cognita nostris!
O tua quàm multos inopes opulentia reddit!
Quam multos miseros facit & tua copia rerum!
Auri namque tui nimia est fraus, decipit orbem.
Si quid sit rectum, si quid siet vtile, vires
Vel tollit, vel diminuit, vel distrahit aurum.
Fidus si quis sit, si quis coniunctior altro,

Tolli si nequeat ferro, violabitur auro,
Aurum si violare potest: maioraque tentat:
Publica consilia, & priuata cubicula regum,
Aulæ magnatum, quid non diuenditur auro!
Aurum quò penetrare potest? O Regia felix,
In qua non aurum regnat, nec decipit: in qua
Vsibus humanis Regina pecunia seruit:
Est nimis hæc ætas præsens nimis aurea hæc est,
Ferrea sique esset, melior & tutior esset,
Nunc nimium nimiumq; potest: nunc omnia turbat:
Publica sollicitis permiscet tempora curis,
Omnia priuatæ tollit bona gaudia vitæ,
Cordaque multorum miseris cruciatibus opplet.
At quò nostra ruis nimium querebunda Camæna;
Has tristes voces alieno tempore fundens!
Læta ast sunt lætis tribuenda hæc tempora rebus.
Hæc mens, hoc studium nostrum fuit, optima Princeps,
Vt suscepta piè pia nostra & iusta querela,
Non tibi tristitiam moueat, sed suscitet iram.
Vt dura hæc facies, & fata hæc tristia mundi
Sint tibi virtutum stimuli, sint semina laudis,
Perpetuum & nomen pariant, famamq; perennem.
Nam quæ laus maior, quam si pia vota piorum
Solers, monitus felix, vel viribus vltrix,
Consilio pacans, vel frangens viribus hostes?
Hæc sola, hæc nostri solaminis vltima spes est:
Inq; hac spe solâ, spem nostram condimus omnem.

Hæc carmina, paucis ante mortem dieb. inchoauit, *1568* mense Decembris, quæ in initium noui anni insequentis præparauerat: sed, in hisce condendis, morbo correptus, è vita excessit, & sic ea imperfecta reliquit.

AD ADVLESCENTVLOS LATINÆ LINGVÆ STVDIOSOS, E. G. ORATIO, De vita & obitu Rogeri Aschami, ac eius scriptionis laudibus.

PRoditum est memoriæ, studiosi adolescentes, Octauium Augustum, imperatorem Romanum, & artibus excultum, & rerum gestarum gloria florentem, egregium illud & memorabile, Publ. Virgilii Maronis Æneidos opus, ad Poetæ perennem famam, ad literariæ Reipubl. summum fructum, & ad Maroniani nominis perpetuam celebritatem, ab igne & flamma conseruasse. Moriens enim, vt probe meministis, Publ. Maro, testamento iussit, vt illud opus nondum ad finem perductum, igne consumeretur. Sed putauit prudentissimus Princeps, Poetæ nomini consultiùs, & omni posteritati salubrius fore, si tot labores ab igne conseruaret, quàm vt supremæ Maronis voluntati, ad summam literarum detrimentum, ad Poetæ perpetuam obliuionem, indulgeret. Quamobrem subductis vtrinque rationibus, & operis vtilitate commotus, & versuum cremandorum dispendio perterritus, in hæc verba prorupisse dicitur:

Fran-

Frangatur potiùs legum veneranda potestas,
Quàm tot congestos noctesq; diesq; labores
Hauserit vna dies, viuat Maro doctus vbique,
Ingratusque sibi studiorumque inuidus orbi.
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

In re ferè simili, diuersa tamen ratione, excubuerunt omnes cogitationes meæ, omnes curæ, omne studium. Rogerus Aschamus, quem ego ornandum in præsentiarum suscepi, nullum huiusmodi opus in manibus habebat inchoatum. Reliquit hæc scripta, sed multis chartulis dispersa, non in vnum fasciculum congesta: hîc & illic disseminata, non collecta, nec ordine disposita: non iussit hæc concremari testamento, quæ ego collegi meo studio. Non ab ignibus, sed à blattis & tineis reseruaui; non ad meam laudem, cui nulla debetur: sed ad Aschami perennem gloriam, quam obnixè eius nomini parare conor, in lucem & hominum oculos produxi. Hæc inprimis ad meam vtilitatem, & nonnullam fortasse delectationem, situ ferè obducta, & crassis obscurata & circumfusa tenebris, collegi: non ad aliquam hinc aucupandam inanem gloriam, quam vanam & futilem iudico: sed ad doctissimi viri perpetuam celebrandam memoriam, quam semper florentissimam esse cupio, diuulgaui. Ego nè vnquam quidem vllius existimationis tam sitiens, vel Aschami laudis tam inuidens, vel meæ tenuitatis tàm insolens prædicator, vel summæ Rogeri Aschami eruditionis tam parcus & restrictus æsti-

mator fuerim, vt vel me in hominum voculas, ad inanem quandam & fucosam quaerendam laudem committere vellem, vel ad Aschami famam, meo studio perpetuo concelebrandam, nomen meum ad grauissimos casus, extremosque ignominiae scopulos impingere nollem. Qui sic sentiunt, profecto de meo statu pudenti pudore, nimis impudenter sentiunt: & quibus rationibus commotus, causisque adductus haec euulgauerim, non satis prudenter intelligunt. Videmus complurimos hoc factitasse: conspicimus multos talibus rationibus prolectatos, huiusmodi operam in amicorum scriptis colligendis, purgandis, & euentilandis posuisse. Quid impediet, quo minus ego idem, ad meam vtilitatem, ad meorum fructum, ad nonnullorum explendam auidam expectationem in Rogeri Aschami scriptis colligendis, & ex tenebris in lucem proferendis, quibus, mea nunc opera, ad vestram (scio) expectationem, & fructum (spero) nonnullum fruemini, quae alioqui periissent, feliciter pertentem? An aliquid de his, quae in Rogero Aschamo summa fuerunt, detractum erit, si ego, in quo omnia sunt vix mediocria, ad laudem nulla, ad eruditionem perexigua, hanc suscipiam prouinciam, quam alii (qui melius praestare potuissent) nec attingere, propter horum scriptorum penuriam: nec adornare, propter laboriosam huiusmodi epistolarum conquisitionem potuerunt? Atque,

quem-

quemadmodum nunquam tam vel excellentis Rogeri Aschami laudis & ingenii tam ignarus, quin vehementer exoptarem, vt alii hoc facerent, nec eminentis aliorum eruditionis tam inuidens aut mei obliuiscens, vt non semper cognoscerem complurimos, & prope innumerabiles vtriusque Academiæ alumnos, huiusmodi laborum conficientissimos, & ad hæc præstanda munera longe aptissimos: Sic profectò stultum nimis, puerile, & à communi vtilitate abhorrens fuisset: tam durum in meipsum, tam difficilem erga alios, tam auersum à literaria Rep. esse, vt putarem me omninò, ad hoc adornandum munus ineptum & inutilem esse. Quid? nactus hæc scripta ad aliorum fructum in lucem non proferrem, aut conquiescentibus aliis, hunc laborem, communis vtilitatis gratia subterfugerem? Ad huius igitur muneris susceptionē non aliqua laudis expectatio, quam ex Pub. Virgil. Maronis præclaro opere adeptus est Octauius, me impulit, sed voluntas mea ad literas paratissima, studiosorumque adolescentulorum prouehenda studia satis propensa commouit. Res graues & pernecessariæ attrahere me potuissent, vtpote summus meus erga Rogerum Aschamum amor, egregia hominis laus, excellentis doctrinæ admiratio, tacita studiosorū de illius ingenio & eloquentia cogitationes, quæ omnia ego non neglexerim, sed priuata meorum studiorum rationes & animi delectatio,

quæ mihi in eius legendis chartulis obrepserit, vt hunc potissimum laborem susciperem, in primis adduxerunt. In hiis enim legendis, scribendi suauitate valde delectabar: in literis perlectitandis, orationis alliciebar lenociniis: in sententiis diligentiùs appendendis, totus in eius ingenii & doctrinæ admirationem rapiebar: in verborum copia, ornatu & structura intuenda, mira perfundebar voluptate. Transcripsi statim omnia, & variis locis dispersa, in vnum fasciculum redegi. Ex quo consilio meo operaque in hanc rem collocata, si vlla ad vestra studia vtilitas exire atque emanare potuerit, tum satis me laudis parauisse, vberemq; laboris mei fructum percepisse, arbitrabor. Nec hoc à me arroganter factum existimari velim, si de Aschamo meo illud carmen, valdè fortassis amanter prædicem, vt ordine vltimum, sic mea sententia, dignitate primum, & huic meo proposito aptum, quod de suo Virgilio Octauius valdè laudabiliter vsurpauit:

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Sed de Aschamo meo longior mihi vobiscum instituendus est sermo, ingenui adolescentes: Et de Aschamo quidem, & Aschami laudibus & scriptis, multa dicenda videntur. Verum enimuero, vt ego rectius mihi dicendi de eo cursum instituam, & vos melius & facilius, quæ à me rudi quodam modo & ieiuna oratione dicentur, percipiatis, statui tripliciter de Ascha-

scha-

schamo dicere: primum de tota vita & obitu: deinde de eius scriptionis & dictionis laudibus pauca: postremo vos adhortabor, licèt mea non indigeatis admonitione, vt hæc eius, & horum similia, diligenter perlegatis: Et quo citius vos hinc fructum aliquem capere possitis, ostendam quibus modis & viis ad hanc, quam ille cum aliis adeptus est, scriptionis elegantiam, & dictionis puritatem facilime peruenire possitis. Et licèt sus Mineruam docuerit, malui tamen meam ineptitudinem prodere, & infantiam propalam patefacere, vt mei hinc saltem aliquid addiscant, quàm officium in hac re meum imprudenter deserere, aut laborem, iusta data occasione, negligenter subterfugere. Nihil fictum aut falsum eius laudibus affigam, nihil vanum aut non necessarium introducam, nihil inutile licèt vobis fortasse notum & cognitum, in medium proferam, vt vestros animos, satis ad studia propensos, ad hæc & aliorum similimorum imitanda scripta alliciam. Ea tantum de Aschamo dicam, quæ vel olim à præceptore meo Ioan. Racstero, erudito quidem & honesto viro eiusdem Collegii, eo tempore alumno, sæpissime audiuerim, vel à R. A. amicis & notis complurimis, præcipuè à perdilecto amico meo Guilielmo Irlando, eiusdem R. A. olim pupillo, aliisque præstantibus viris in summa dignitate constitutis, diligenti perquisitione didicerim, vel quæ potissimum ex eius scriptis & literis

vel Anglicè vel Latinè exaratis exhauserim & eruerim. Præbete quæso mihi vestras attentissimas aures, dum hæc à me proposita tenuiter pertractata fuerint.

Rogerus Aschamus Kyrbi Wuke, vt fertur, in agro Eboracensi, honesta & generosa familia natus est, circa annum D. 1515. Pater illi Ioannes Aschamus fuit, nobiliss. viri D. Scroupi familiæ Oeconomus: Qui ea vitæ integritate, ea morum grauitate, honestate, & in rebus gerendis prudentia & modestia floruit, vt non cum vulgari genere hominum illius regionis æquandus, sed cum optimis sui loci atque ordinis viris iure comparandus esset. Mater erat Margareta Aschama honestissima & castissima fœmina, multis generosis viris cognatione & sanguine propinquissima. Hi, cum tres filios, Thomam, Antonium, & hunc Rogerum Aschamos, filiasque procreassent, & iis disciplinis, literis, & moribus, quibus puerilis ætas imbui solet, summa cura effingendos & informandos curassent, quadragintaque septem annos coniunctissime coniuges vixissent, vna die, & eadem fere hora, vna ad Christum morte etiam ipsa iugati commigrarunt. Hic Rogerus à patre dimissus, in clarissima Wingfeldiana familia, ornatissimi viri D. Antonii Wingfeldi sempiterna memoria viri impensis, pueritiam suam honestissime sustentatam transêgit. Cuius etiam singulari beneficaque prouisione,

sione, vnà cum eiusdem D. An. filius sub R. Bondo communi praeceptore, quem patris in loco perpetuo habuit & vnice semper coluit, prima literarum, adeoque virtutis omnis non infelicia nec poenitenda fundamenta iecit. Puer acri ingenio & singulari industriâ erat, magno quodam literarum desiderio inflammatus: libris Anglicis, à quo semel literarum elementa didicisset, perlectitandis mirificè deditus. Quod quidem quasi apertum quoddam omen fuit, futuræ diligentiæ & φιλοπονίας in peruoluendis & Græcis & Latinis libris, ex quibus, herbescente iam ætate & maturescente, suauissimos eruditionis succos exhauserit. Cum sic sub R. B. in ea familia tyrocinium posuisset, & tùm præceptoris industria, tùm sui ipsius ingenio, & ad literas propensione, ad eam eruditionis maturitatem peruenisset, vt ad clariora iam doctrinæ domicilia esset promouendus, summa eiusdem D. Ant. Wingfeldi prudentiâ, consilio, ope, & auxilio, in grauissimum literatissimorum virorum nobilissimi Diui Ioan. Euangelistæ Collegii Cantabrig. cœtum ascriptus est, circa Annum Dom. 1530. Hunc D. Antonium W. semper in omnibus vitæ rationibus turbulentissimisque rerum acerbitatibus tam propensum adiutorem, tam benignum & liberalem patronum expertus est, vt quodcunque animo & cogitatione conuerteret, videbat, vt de se dixit, promerita eius veluti densa quadam agmi-

examina, sic undique memoriam suam circumsepire, ut illis referendis nunquam se parem futurum præsagiret. In hoc nobili Collegio tutor illi erat Hugo Fitzherberus, eiusdem Collegii socius, doctrinâ, virtute & modestiâ præstans, & Roberto Pembero intima familiaritate coniunctissimus: Quem Pemberum summa charitate complexus est Fitzh. & ad omnem honestatem, sacræque Scripturæ lectionem melliflua oratione sæpissimè vocauit, & amicissimè instruxit. Hic etiam Rogerum ob egregias animi dotes, unicè dilexit, & bonis literis, virtute, & pietate instituit. Erant eo tempore, quo R. A. huic collegio fuit emancipatus, in hac Academia omnium liberalium artium doctores & magistri egregii: Imo certè in hoc uno Collegio (quod ea ætate singula totius orbis literarum domicilia & doctissimorum Theologorum numero, eruditiss. Philosophorum turba, eloquentissimorum Oratorum multitudine, vel iustè adæquare, vel longè superare posset) erant complurimi homines, omni politiori literatura, linguarumque cognitione præstantissimi: Quorum ille prouocatus exemplis, & literarum imbibendarum ardore incensus, breui, propter admirabilem ingenii vim, & indefessam in studiis industriam, tantos in Græcis Latinisque literis, progressus fecit, ut omnes æquales, si non superaret, certe unus singulos adæquaret. Eo, inquam, tempore Cantabrigiam

venit,

venit, quo literæ, & Græcæ & Latinæ efflorescere, & præclara studia in ea Academia herbescere, & ad summum huius regni ornamentum maturescere cœperunt. Ea ætate postea floruit, qua Georg. Daius, Ioan. Redmannus, R. Pemberus, Tho. Smithus, Ioan. Checus, Nicolaus Ridlaus, Ed. Grindallus, T. Watsonus, Gualterus Haddonus, Iacobus Pilkintonus, R. Hornus, Ioan. Christophersonus, Th. Wilsonus, Ioan. Setonus, & infiniti alii excellenti doctrinâ præditi, & perspecta vitæ morumque probitate ornati, magna Academiæ eo tempore lumina, maxima postea totius Reip. ornamenta, viguerunt. Hii enim, & ex hiis præcipuè Tho. Smithus, Academiæ splendor, & Ioan. Checus Cantabrigiæ decus, suo exemplo, eruditione, diligentiâ, constantiâ, consilio, non studendi solùm, sed rectè viuendi ordine ad præclara studia omnes adduxerunt, & concitarunt, qui ab eo tempore ad hunc vsque diem, in Cantabrigia succreuerunt, & ad eminentem aliquam doctrinam surrexerunt. Erant in hoc puero, præter præclaras ingenii dotes, virtutumque semina: literarum auidum desiderium, quædam etiam incredibilis modestia, pudor singularis & grauitas quædam (vt PEMBERVS *dicere solebat) maior quàm quæ ab illa puerili ætate expectanda esset. Magnam multis de suo acri ingenio, rara indole, & magna in literis deliбandis industria spem excitabat, præcipuè R.*

Pembero *homini Græcæ linguæ admirabili facultate excultissimo. Is enim prædicere solebat, Aschamum puerum, iam iam propediē inter viros excellentes & vtriusque linguæ peritissimos collocandum fore, vel apud morosos & iniquos iudices. Multis & magnis viris, à primo statim anno, acceptissimus: doctis & eruditis gratissimus: à Ioan. Checo perdilectus, eique Græcæ linguæ studio postea coniunctus, Thom. Smitho valdè familiaris, Ioan. Redmanno magna amicitia copulatus, Ridleo, Daio, & reliquis huius notæ viris charissimus, à sui similibus valdè amatus. Hunc R.* Pemberus *vnicè amabat, amplexabatur, in manibus habebat, laudabat, ad maiora indies & præsentes sermone, & absens literis excitabat. A pueritiâ Græcis literis valdè delectabatur, eas assiduè meditabatur, & cum Latinis, ad suam vtilitatem, quotidiè coniungebat. Et quo citiùs ad Græcarum literarum cognitionem perueniret, ipse puer, pueros Græcas literas docebat, quod* PEMBERO, *maximum videbatur admirabilis cuiusdam in eo futuræ eruditionis argumentum. Hortabatur eum* PEMB. *vt hoc assiduè faceret, ad suam augendam & locupletandam in ea lingua facultatem. Laudabat in hac re conatum industriamque eius indies: Et ad eum persequendum cursum, exacuebat: & virtus certè laudata crescit. Excitabat etiam in hoc puero* PEMB. *magnum desiderium pulsandi lyram, Musarum, vt ipse putauit, cultorib.*

torib. aptissimam, & Aschamo, quòd musicam vocalem probè callebat, facilimam. Is quadam in Epistola ad R. A. scripta, eum afflatur hisce verbis: Rogere chariss. Ago tibi gratias pro Epistola tua Græca, quæ vel Athenis videri potuerat scripta, adeo, ad vnguē καὶ τὸν ἑλληνισμὸν obseruasti; & est elegātissime depicta, quòd in te perpetuū est. Dousæum & Pilsonū felices putas, sed tu adhuc adolescētulus & penè puer, vtrumq; lōgissimo superas interuallo, siue id studio, siue naturę debes, aut vtriq; potius. Sum literarū tuarum cupidissimus, quæ me mirificè delectāt, vel scriptionis elegātia vel ipsarū præstātia. Da operā, vt sis perfectus, nō Stoicus ἀλλὰ λυρικὸς, hoc est, vt bellè pulses lyram. Perlege, vt facis, Græcū aliquid pueris: plus vtilitatis allatura est tibi vnica fabella Æsopi perlecta abs te, quā si audisses totam Iliada Latinè à doctiss. enarratā. Piniū lege, in quo rerū cognitio est maxima, & Latinæ linguæ opes floridissimæ. *Hæc Pemb. Præterea admirabilem prorsus in pingendo gratiā assequebatur, quotidieq; eum belliorem picturatioremque vsu efficiebat. Cœpit iam, maturescente ætate vtriusque linguæ authores assiduè legere priuatis exercitiis indulgere, dialecticis disputationibus & domi & foris interesse, prælectionibus & priuatis & publicis adesse, philosophiæ & eloquentiæ amore exardescere, in literis hu-*

manioribus tempus conterere, historiarum suauitate capi & delectari. In quibus, cùm aliquot annos, ad suam maximam vtilitatem, ad aliorum magnam admirationem versatus fuisset, & eius ingenium & eruditio non solùm domi eminere, sed foris in publicis scholis circumsonare, & in quoddam quasi ingenii theatrum prodire cœpisset, erat tandem, iuxta morem & consuetudinem Academiæ, summo totius Academiæ assensu, in Baccalaureatus gradum, tanquam primum industriæ & doctrinæ suæ præmium & sertum cooptatus, Anno Dom. 1534. Februarii 18. ætatis suæ agens annum decimum octauum: & paulò post in die electionis sociorum proxime sequente, Martii 23. erat opera & clandestino auxilio Nicolai Medcalfi, Collegii Diui Ioan. eo tempore magistri, in sociorum cœtum ascitus, qui dies omnium in vita iucundissimus & quasi dies natalis, ei visus fuit. Nec hoc nouo honore elatus studia deseruit: sed hoc tanquam virtutis & eruditionis ornamento incitatus, magis ac magis in studia incubuit, & in Musæum se omninò abdidit. Ciceronem sibi, Platonem, Aristotelem penitus perHuolutandos proposuit. Ciceronis diligentissimus cultor, maximus amator, prudentissimus imitator: Hunc & vnicè amplexus, & ad stuporem vsque admiratus est: Huius limpidissimis fontibus suos riuulos adauxit: Hinc dulcissimos purioris dictionis suc-

cos

eos exhausit: Hinc suauissimas cultioris orationis aquas ad suam immensam laudem, ad pupillorum, quos iam habuit, praclarum vberemque fructum, ad totius Academia maximum ornamentum profluenter exuxit. Hunc authorem si quis alius, & constanter peruoluit, & prudenter imitatus est, suisque scriptis & exercitationibus, cum publicis, tum priuatis optime expressit. Si quid postea in dictionis puritate, scribendique praclara facultate excelluit, vt praclarissime quidem excelluit, id omne M.T. Ciceroni, & C. Casari acceptum ferre debet. Maluit enim ex ipsis fontibus plenissime haurire, quam riuulos inde deductos consectari. Platonem totius Gracia lumen, Athenarum splendidissimam gemmam & voluebat sapissime, & eius praceptis animum vtilissime excoluit. Nec frigide aut supine legebat, sed ad maximum fructum, & dicendi iudicandique facultatem perlegebat. Ex Aristotele philosophorum principe, abditarum rerum cognitionem, & praclaros sapientia thesauros diligentissime excerpsit. Thucydidem & Herodotum optimos Historiographos, Demosthenem & Isocratem suauissimos oratores priuatim discipulis pralegebat. Varios philosophos, oratores, poetas aut publice in Collegio, aut priuatim in cubiculo explicabat. Ex quibus studiis & exercitationibus, tantam & eruditionis accessionem, & tam plenam vtriusque lingua facultatem est

adeptus, vt nomen eius magis atque magis enituerit. Et iam præterlapsis in hisce studiis & exercitiis trium annorum curriculis, maximo totius Academiæ applausu, in celeberrimis comitiis Cant. habitis, An. Dom. 1537. die Martis post festum Diui Petri & Pauli, artium magister inauguratus est, annum ætatis suæ agens 21. cum iam clarissimæ memoriæ Princeps Henricus VIII. 29. annos regnasset, & Eduardum nobilissimum filium ex vxore Ioan. Semeria Regina progenuisset. Erat moribus facilimis, animo aperto & simplici, natura erat lenis & mitis, comitate affabilis, amicis fidelissimus, vita honestus, homo ad amicitias cum bonis & eruditis copulandas natus, & ad conciliandas & deuinciendas hominum voluntates aptissimus. Amicos summa fide, maximo studio, & quibus potuit officiis, amplexus est, coluit, obseruauit. Nemo maiore diligentia, maiore cura pupillos instituebat. Nemo maiore fide, arctiore amicitia suos discipulos diligebat. Vix crederes, quo studio, qua animi contentione eorum saluti vtilitatique consuleret. Et non solum literis Græcis & Latinis prudenter excoluit, sed bonis moribus, optimis præceptis, virtute, pietate, valde laudabiliter instruxit. Eorum studia partim hortatione, partim suo exemplo accendit & inflammauit, ac ad optimos quosque vtriusque linguæ authores studiis excolendos mirifice commouit & incitauit. Huius pupillus fuit G. Grindallus iuuenis laudatissi-

tissimus, praclaris eruditionis laudibus ornatissimus, quem à paruulo inter cubiculi parietes, septem ferè annos literis Gracis Latinisque instituit. Is enim Grindallus, Gracis literis ita fuit excultus, vt nemini in ea Academia, vel ipsius R. A. iudicio, post Ioan. Checum & Tho. Smithum, concederet: Ita eruditione & philosophia instructus, vt omnes in eo Collegio aquales superaret. Qui posteà ex Academia, A. tutoris opera, in Aulam vocatus à D. Ioan. Checo, breui post tempore doctor ad instituendam illustriss. D. Elizabetham adhibebatur. Ad quem R. Pemberus sic scripsit in quibusdam carminibus ad eum missis, antequam ab Academia commigraret. Qua, quoniã sunt quasi certum hominis testimonium, non pigebit adscribere:

Ad me quos dederas, iuuenis doctissime, nuper
Versiculos legi terque quaterq; tuos:
Illis te mirabiliter Grindalle profecto,
Pemberum credas exhilarasse tuum.
Dictio tam facilis tua erat, benè tamq; Latina,
Tam dulces numeri, tam lepidiq; tui:
Vt multos aut iam versus fecisse per annos,
Ad Musas natus vel videare mihi:
Ad Musas natus, qui talia carmina pangis,
Iudicio appares, docte Guilhelme, meo.
Huc quò te natura vocat ducitq; benigna,
Ingenii vires tu quoque flecte tui.
Non doctos, sed nos dociles natura benigna,
Produxit, doctos cura laborq; facit.
Naturæ dotes industria perficit, illa
Si desit, felix nil valet ingenium.

Contigit ingenium multis naturaq; felix,
Ast in perpaucis cura laborq; vigent.
Inter perpaucos illos Grindalle videris,
Tu quoq; conspicuum velle tenere locum.

Huius etiam pupilli fuerunt, præter alios, quorum non occurrunt mihi nomina, Ioan. Tomsonus, Eduardus Rauenus, & Guilielmus Irlandus, ita literis Græcis Latinisque instructi, ita moribus suaues, ita liberalium artium splendore conspicui, vt R. A. discipulos facilè possis agnoscere. Rogerus Aschamus iam iuuenis, magnis ingenii ornamentis adiutus, maximis naturæ præsidiis ornatus, summis diligentiæ & literarum beneficiis præditus, ad Græcam linguam publicè in scholis, Academiæ nomine, totius Academiæ suffragiis, cum satis luculento stipendio erat ascitus, priusquam munificentissimus Princeps Henricus octauus, lectionem suam Græcam in Cantabrigia instituisset. Ex quo tempore etiam Græcam linguam quotidiè in Collegio D. Ioan. vbi socius fuit, longo tempore prælegebat. Hic inprimis nouam Græcæ linguæ pronuntiationem, ab ornatissimis viris, totius Academiæ luminibus, Th. Smitho, & Ioan. Checo felicissimè introductam, imitari & amplecti nolebat, & ob eam caussam in initio, cum Poneto iuuene ingenioso & diserto, Reginei Collegii socio velitabatur: sed in eam grauiter ac apertè inuehi, propter Checi & Smithi authoritatem, non aude-

audebat, quos suos ornatissimos amicos, doctissimos semper praeceptores agnouit. Cuius pronunciationis vestigia paulo post mente sua impressit, & ad extremum vsque spiritum acerrimè propugnauit, vt in quadam ad Hubertum epistola, virum Graecae linguae cognitione instructissimum, Comiti Palatino Rheni à secretis, tertio lib. dilucidè apparet. Honestas oblectationes, honesta exercitia, vtpote quae erant docto homine digna, amabat plurimum: sed ea potissimum, quae & corporis prodessent sanitati, & animi robur & firmitatem augerent. Sagittando se multum exercuit, & quanta peritia exercuit, liber à se doctissime conscriptus, & Henrico Octauo ante profectionem in Galliam ad expugnandam Boniam oblatus, Anno Domini, 1544. testificari potest. De quo *libro R. Pemberus haec duo carmina lusit.*

Nō minus hic arcu est quàm lingua clarus, vtraq;
Sic ornat patriam, sic iuuat ille suam.

Nec defuerunt, qui ei hanc sagittandi oblectationem vitio vertebant: qui si cum Aschamo comparentur, aut prudentia, linguarum peritia, ingenio, rerum vsu, scribendo, excogitando, honestè viuendo, pupillos diligenter instituendo, planè frigescerent. Honesta exercitia honestam & studiosam decent vitam, nec in vita honestè agenda, sunt negligenda honesta oblectationes. Etenim honesta oblectatio

molestiam à seuerioribus negotiis collectam fugat, & homines laboribus reparat & restaurat. Quam rem, vt tanquam licitam & legitimam, semperque omni hominum generi concessam comprobem, necesse est, vt paululum excurrat & ex suis limitibus expatietur oratio mea, dum ostenderit, Rogero Aschamo probe licuisse, ad animi relaxationem, honestis exercitiis vti, & eum maximè, ad conseruandam corporis sanitatem, debuisse talibus indulgere delectationibus. Licèt ille ipse hanc rem, in initio primi libri De arte sagittaria doctissime tractauerit, vnde defensio satis honesta, & responsum satis aptum peti possit: tamen quoniam tempus postulat, & occasio oblata dicendi materiam subministrat, non grauabor, pace quod fiat vestra, rem eandem, licèt non eisdem viribus, communire, & exemplis rationibusque clarissime illustrare. Legimus Scipionem & Lælium, par veræ amicitiæ clarissimum; vt Valerii Maximi verbis vtar, honestis oblectationibus sese dedisse. Qui rure feriantes puerilibus ludis animum relaxabant, & ad Caietam (portum Campaniæ) Lucrinumque (lacum Campaniæ) conchas (i. duriores testas piscium, vt purpuræ, muricis, ostreatum) & vmbelicos (i. rotundos calculos, nitidos, politos in speciem nostri vmbelici) puerorum more colligere, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere so-

re solebant. Hoc relaxationis genus in otiosis viris & inertibus turpe: in Scipione vero, Africano minore, & Caio Lælio sapiente summa amicitia, (teste Cicerone) coniunctis, omnium virtutum inter se societate (vt Valerius Maximus refert) copulatis, videtur fuisse honestissimum. Nesciunt hii homines nimis iniqui rerum æstimatores, Quintum Scæuolam Crassi socerum, ac Caii Lælii generum, forensibus negotiis ministeriisque defatigatum, alea & calculis, interdum pila, lusisse. Ignorant hi tetrici & seueri iudices, Catonem minorem, alea & potationibus indulsisse: Socratem more puerorum arundinem ascendisse: Amasim Ægypti regem compotationibus se dedisse iocoque, morionem & scurram egisse, postquam fori negotia curasset, & seriis occupationibus se defatigasset. Qui cum esset ab Ægyptiis eo nomine accusatus, quod rem regi non conuenientem faceret, sapienter respondit: Arcus, si semper intenti sunt, ruptum iri: ita si homines assiduo labori, continuis studiis se dedant, nec vlla parte ad lusum vti velint, fore, vt pedetentim aut mente capti fiant, aut membris: vnde praclare Ouidius:

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Optimè Plutarchus otium *appellauit* condimentum laboris. *Moderatis enim & honestis exercitiis corpora exercent studiosi, vt ad studendum, laboresque in studiis perferen-*

dos alacriora & vegetiora reddant. Quemadmodum nimia intensio frangit arcum: ita perpetuò deditum esse literarum studiis, nec vnquam animum honestis laxare oblectationibus, facit, vt animus humanus nequeat diu durare in seriis studiis & laboribus. Crassus apud Ciceronem 2. De oratore, Catuli sententiam optimè refellit. Dicit *Gymnasia non animi, sed corporis gratia inuenta & extructa fuisse: & affirmat otii fructum, non esse animi contentionem, sed relaxationem. In hac illustranda sententia, vtitur inprimis exemplo Scipionis & Lælii, quo ego suprà sum vsus: qui ferè rusticari & incredibiliter repuerascere solebant, cum rus ex vrbe tanquam ex vinculis euolassent.* Deinde *aliud sumit argumentum à similitudine auium, quæ huic confirmandæ sententiæ belle congruit. Quemadmodum, inquit, volucres videmus procreationis atque vtilitatis suæ caussa fingere & construere nidos, easdem autem, cum aliquid effecerint, leuandi laboris sui caussa, passim ac liberè solutas opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis atque vrbano opere (addam etiam) grauissimis studiis defessi gestiunt, ac volitare cupiunt, vacui cura atque labore. Amœna hercule similitudo, & quæ huiusmodi hominum errorem & nimis seueram censuram optimè refutare videatur. Nimio enim studio ingenium obtunditur: moderato exercitio reficitur:*

conti-

continuis studiis corporis vires eneruantur: honestis laboribus iucundissimè refocillantur. Continua quies (vel Galeno teste) maximum est malum ad corporis custodiam : At moderata corporis motio (ipso Galeno iudice) maximum bonum. Ob hanc caussam Græci in vsu habuerunt certamina Gymnica, venationes, saltationes, nec non alia plurima, quibus quasi voluntariis exercitiis ad veros & necessarios belli labores iuuentutem acuebant, ne otio torpesceret. Sic studiosi, ne studendo sine intermissione, ingenium obruerent, aut corporis vigorem labefactarent, habuerunt sua oblectamenta, musicam aut athleticam, aut alia huiusmodi, quibus animus studendo fatigatus, bellissimè reficeretur. Quamobrem si honesta exercitia molestiam fugent, & nos laboribus restaurent : si Scipio & Lælius grauissimi & sapientissimi viri conchas & vmbelicos, puerorum more, collegerint : si Q. Scæuola pilâ luserit, Cato alea indulserit, Socrates arundinem ascenderit, Amasis morionem egerit : si honestæ exercitationes corpora ad sustinendos labores promptiora reddant : si Crassus apud Ciceronem hoc idem confirmet: si aues, cum nidos construxerint, leuandi laboris caussa, labore vacuæ libere volitent: si corpora continuis studiis eneruentur honestis exercitiis reficiantur: si moderatæ corporis motiones, corporis sanitatem conseruent , quies vero corpo-

tis viribus noceat: Si Græci gymnicis certaminibus, aliisque huiusmodi se exercuerint: si denique studiosi semper animos studiis defessos, aut musica recreârint, aut corpora arte athletica refocillarint, non video quid impediret, quo minus Rogerus Aschamus sua haberet honesta oblectamenta, arcu vteretur, aut ἀλεκτρυομαχίᾳ interesset. Hæc ideo à me obiter sunt in medium producta, vt omni negligentiæ suspicione hominem constantem, gnauum & industrium virum liberem, & nimis curiosam aliorum vanitatem erroremque omnibus deridendum propinem, qui cum ipsum virtute & literis adæquare non possent, inuidere tamen, & ob honesta hæc exercitia reprehendere non cessarunt. Valdè delectabatur sagittando, (nec de se hoc tacuit) cum Cantabrigiæ esset, & nonnunquam studiis oppressus, hac exercitatione delectabatur. Sed hæc sagittandi cupiditas eum à libris nunquam auocabat, sed ingenium ad literas latius & alacrius, voluntatemque ad studia recolenda paratiorem reddebat. Multi enim dantur ad studia reditus, à quibus necesse est, vt fiat sæpenumerò intermissio. Corpus habebat valetudinarium, multis morbis afflictatum, cui si nunquam pepercisset, & honestis laboribus refecisset, in suo statu diu durare non valuisset, ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Iam, vnde digressa est, conuertat se oratio nostra. Scripsit literas omnes, quas Aca-

demia ad Regiam maiestatem, aut quoscunque alios honoratos viros, multorum annorum spatio, dederit: & tanta diligentia, tanta elegantia depinxit, vt nihil accuratius fieri, nihil elegantius depingi potuerit. Politissimè, quidem depinxit, venuste exarauit, hacq; optima exercitatione, omnes tunc temporis studiosos, & literatos longe superauit. Si Latinè literas exararet, nihil admirabilius: Si Græcè scriberet, manu eius nihil pulchrius: Si Anglice literas pingeret, valde eleganter. Hac exercitatione postea docuit nobilissimam Principem Eduardum sextum, illustrissimam Do*minam* Elizabetham, *honoratissimos fratres, Henricum & Carolum Suffolciæ Duces, multosque alios & viros & fœminas Et quod omnium præstantissimum, eique aptissimum fuit, frequens senatus Academia, cum in Ioannis Checi locum (qui Anno* Dom. 1544. *Iulii* 10. *ab Academia ad docendum illustrissimum Principem* Eduardum, *à nobilissimo patre Henrico* 8. *erat auocatus) vnanimi consensu Oratorem Academiæ designauit. Quod munus nouem ferè annos & præsens & absens retinuit: ac tanta diligentia, tanta dignitate, tanta admiratione, tanta denique scribendi dicendique commoderatione eo est perfunctus, vt à nemine melius aut præclarius adornari potuerit.* Cuius suauitatem (*vt testatur Christophersonus in quadam ad eum epistola*)

ita multi admirari solebant, vt nihil planè fuerit, quod eos ad politioris literaturæ studium magis incitauerit. Cuius in oratione grauitas ea fuit, vt animos audientium non ad prudentiam solùm erudire, verum etiam ita promouere potuit, vt quô vellet, facilè impelleret. Cuius Musæ etiam in scribendo tam elegantes fuerũt, vt suauitas ne sermonis, qui tam concinnè, artificiosè, ornatéque constructus fuit, an prudentia in sententiis, quæ tam crebræ erant in oratione positæ, magis oblectauerit, planè nescirent. *Potui huius rei locupletissimos testes adferre, sed non est necessarium in re tam certa & perspicua testibus vti non necessariis. Vt ætate & tempore, sic doctrina ingenio, linguarum peritia, humanioribus literis & historiis accreuit, vt illius nomen non vnius Collegii parietibus concludi, non in obscuri cubiculi angulis abscondi posset, sed longè lateq; disseminatum, per multorum voculas dispersum in apertum quasi existimationis campum irrupit: Nobilibus viris, illustriss. fœminis, doctiss. Episcopis innotuit. Quorum multorum gratiam aucupabatur, plurimorum beneuolentiam conciliabat, nonnullorum beneficam & liberalem naturam sentiebat. Inprimis autem Eduardo Leo Archiepiscopo Eboracensi notissimus fuit: qui eum & amauit plurimùm, & multis beneficiis annuaque pensione liberalissimè adornauit: Duci*

Suffol-

Suffolciensi lectissima fœmina, & eius nobilissimis filiis Henrico & Carolo: nobilissima fœmina Anna, illustrissimi Comitis Penbrochiensis uxori, nobilissimique D. Marchionis Northamtonensis sorori: sanctissimo viro D. M. Bucero (defuncto iam Henrico octauo anno D. 1546. circa finem Ianuar. & patri succedente Eduardo filio ad religionem instaurandam nato) qui ex Germania amplissimis præmiis ab Eduardo Rege erat accersitus, vt Cantabrigiæ sacram Theologiam regio stipendio profiteretur. Quis Bucero erat Rogero Aschamo clarior? Quem maiore amore complectebatur Rogerus Aschamus? Quem maiore fide, obseruantiâ, studio venerabatur, colebat, obseruabat Aschamus? Hunc & ætate, prudentiâ, consilio patrem, & doctrinâ, moribus, vitæ sanctitate, præceptorem semper habuit diuque coluit. Postremò innotuit omnium adolescentularum Phœnici, generosissima D. Elizabetha, Henrici octaui filia, Eduardi Regis sorori, quæ ei (propter Guilielmum Grindallum eius pupillum, qui eandem D. Eliz. tùm Ioan. Checi opera docebat) plurimum fauebat. A qua, post G. Grindalli obitum, cum iam R. A. octodecim ferè annos in Academia felicissimè studuisset, & inter illius memoriæ viros floruisset, ætatis suæ annum agens 32. à literario otio, ad literarium negotium, ab Academia, Chestoniam,

vbi illa tunc temporis (vt fertur) commorabatur, accersitus fuit anno D. 1548. circa mensem Febr. impetrata à magistro & sociis absentia venia, vt eam doctrinæ imaginem, quam in ea Gulielmus Grindallus inchoauerat, omnibus lineamentis, coloribus, formis & perpoliret, & politissima arte perficeret. Hîc pupillus in eam docendo priorem locum occupauit, non sine omni fortasse tutoris consilio: sequutus est pupillum tutor omni eruditionis laude cumulatissimus, qui & illam perfecit doctrinæ effigiem, quam ille alter & primus Apelles tantum inchoauerat, nondum ad finem, immatura morte correptus perduxerat. Inauditum hoc & valde admirabile, vt post Apellem alius pictor exurgeret, qui in eius suffectus locum, & posset optimè, & pertentaret fælicissimè admirabilem illam oris pulchritudinem, reliquarum corporis partium accessione illustrare, & splendidioribus coloribus nobiliorique artificio, reliqua lineamenta exprimere & perficere. Superauit hic Apellem Apelles, hoc nullus vnquam pictor efficere potuit. Neque hi fuerunt imaginum, sed mentium pictores: non coloribus, sed eruditione & artibus: non penicillo, sed ingenio hanc duxerunt imaginum mentis illustriss. D. Eliz. *Illam ille tanta diligentia, tanta experientia & studio duos annos docuit, & illa illum tanta constantia, labore, amo-*

amore, voluptate audiuit, vt ille ne maiore quidem cum iucunditate & voluptate prælegerit, an illa lubentiore animo didicerit, non possum quidem facile statuere. Vnum hoc dicam, ab eo lubentissime nos omnes discere, quem magni facimus: Et magnum certe ad nostros in literis progressus momentum adfert, si magnifice de præceptore sentiamus. Illa Græcas literas auide quodam desiderio degustabat: Latinas indefesso studio arripiebat. In quibus quantum profecerit, aliorum sit iudicium, qui & eam Latine Græceque loquentem audiuerunt & ad stuporem vsque admirati sunt. Perlegebat cum illa D. Eliz. integrum fere Ciceronem: magnam partem Titi Liuii: selectiores orationes Isocratis, Sophoclis tragœdias, Græcum Testamentum, locos communes P. Melanch. cum aliis huiusmodi insignioris notæ authoribus. Quo amore, toto hoc tempore, & qua beneuolentia vnica hæc fœminarum Phœnix R. A. præceptorem prosequuta est, & qua obseruantia, studio, officio ille eam coluit, malui ego tacite tantæ Principis opinione relinquere, quam inepte & frigide aliis commemorare. Hæc omnia aperte ostendebat ille inuitus ab illa, non satis consideratus, vt ille postea fassus est, discessus, cum D. sua Eliz. inuitissima Cantab. ad recolenda & celebranda vetera studia reuerteretur. Nec aliquid vnquam magis

eum dolore afflixit, quam quòd inuitus ab illa discederet, à qua maximum sui laboris fructum expectaret, vt posteà felicissimè contigit, cum D. *Eliz. ad rerum gubernacula euecta fuit. Cum Aulica turba sic liberatus, & veteris otii literarii suauitati restitutus, Cantabr. rediisset (vbi antiquum in Collegio D. Ioan. locũ possidebat, Graecas literas docebat, Oratoris munere perfungebatur, satisq; honestam conditionem Regis Eduardi beneficentia obtinebat:) nolo dicere, quanta hic voluptate perfũdebatur, cum ad vetera recurrenda ingenii curricula, ad veteres redintegrandas amicitias ad fideliss. amplexandos amicos, ad sanctiss. visendum patrem* D. *Bucerum, ad gratissimos aspiciendos pupillos, iuuenumq; inspicienda & promouenda studia reuerteretur. Sed hic diu fortuna, siue, vt verissimè dicam, Deus eum non est passus pedem figere, & vita quasi tabernaculum ponere, ad illustriora peragenda munera natum, & ad maiores res in Republ. conficiendas aptum & habilem. An.* D. 1550. *aestatis tempore, amicos suos in agro Eboracensi visit: vbi cum paruo temporis spatio commoratus fuisset, erat inde statim praeclarissimi Equitis Ioan. Checi literis ad Aulam accitus, vt cum ornatissimo viro* D. *Richardo Morysino, ad Carolum V. Regio legato, in Germaniam proficisceretur. Quo nihil potuit ei gratius accidere: nam magno quodam tenebatur desiderio, exteras nationes*

tiones peragrandi, aliorum populorum mores cognoscendi, vrbes inuisendi, Academias inspiciendi, regionum ritus, monumenta, instituta perlustrandi. Nec possum hoc loco prætermittere, quod ille iucunda subinde recordatione recoluit, quomodo in via, iter ab agro Eboracensi ad Aulam faciens, deflexerit Lecestriam, vt illustriss. adolescentulam Ioan. Graiam, nobiliss. Marchionis Dorcetensis filiam viseret, cui anteà in Aula valdè fuit familiaris: vbi, cum in eius cubiculum esset admissus, inuenit illam solam legentem Græcè Phædonem Platonis. Sed ea, quæ cum illa habuit, colloquia, non est opus hîc repetere, quoniam ille ipse pulcerrimè in suo Præceptore Anglicè conscripto, ea partim expresserit. Cum ad Aulam peruenisset, & de suo itinere cum D. Ioan. Checo egisset, infrà paucos dies, cum ornatissimo viro D. R. Morysino Regiæ Maiestatis legato, in Germaniam, quam antea inuisere animus gliscebat, iter instituit, & Thamesin 20. Sept. 1550. conscendit. In quo itinere, vir summæ eruditionis, loca omnia diligenter perquisiuit, hominum mores accurate didicit, Templa, monumenta, portus, monasteria, bibliothecas, fora, muros, Castella prudenter animaduertit: doctorum virorum notitiam sibi peperit, amorem conciliauit, multorum amicitiam sibi arctiss. vinculis copulauit, & ita continuis laboribus omnia cognitu necessaria, indefessa-

qua industria ciuitatum situs, & oppidorũ structuras studiosè notauit, vt pulcherrimarum rerum experientiam, magno studio collectam, domum repertaret. Et is, qui in Anglia nuper complurimis valde charus & probatus extiterat, nunc in Germania multis charissimus, in Italia plurib. familiaritate coniunctissimus vixit. Taceo Ioan. Sturmium, quem antea literis ex Anglia salutauerat, quem diu amauit, nunquã vidit, licet semel viserit Argentinam, & ipsum Sturmium domi nõ inuenerit. Quàm charus alter alteri fuit, liber primus Epistolarum ad Ioan. Sturmium conscriptus indicat. Et ipse Ioannes Sturmius in multis ad eum & ad alios literis, hoc testatur. Non erit superuacaneum hîc verba adfigere, quæ, in quadã ad Dominum Pagettum Epistola, idem Ioan. Sturm. scripserit: Ego Aschamũ, *inquit*, amo, quia me ab eo amari sentio ex suis ad me studiosissimè scriptis literis, quę mihi semper fuerũt gratissimę: Deinde ob similitudinẽ studiorũ; vt nõ solùm idẽ apud authores intelligere, verum idẽ velle videamur: Tum propter doctrinã, quæ nisi magna esset, non posset ita ad me scribere, vt scribit. *Et in alia epistola ad eundem*: Incredibile est quàm ego diligam & amẽ Aschamũ, moribus eius literis, prudentiâ & doctrinâ, quorũ vtrunq; ex literis intelligo, quæ mihi semper extiterũt suauissimæ. *Hæc Sturmius. Augusta Vindel. in multorum*

docto-

doctorum mutuam amicitiam incidit, sed cum Hieronymo Wolfio praecipue magna necessitudine & familiaritate vixit. Ita charus fuit multis Germaniae principibus & ciuitatibus (vt Ioannes Sturmius optime in quadam, ad Dominum Pagettum epistola, est testificatus) propter prudentiam, humanitatem, elegantiam, doctrinam, suauitatem, quas virtutes ex se habuit. Deinde propter amicorum commendationes, quas eius virtus merita est, ita, inquam, gratus & charus fuit; vt dignus videretur, qui in perpetuis esset legationibus; sed ita doctus, ita studiosus, ita idoneus ad literarum studia, vt Ioannes Sturmius optaret eum perpetuò esse in scholis doctorum hominum. *Dominus Richard. Moryssinus legatus Regius eum ad omnia sua consilia, ad omnes deliberationes, quas de maximis grauissimisque rebus in Germania habuit, propter prudentiam & rerum vsum semper adhibebat: Et tantum etiam eius fidei, ingenio & prudentiae singulari tribuebat, vt omnes curas & cogitationes suas ei libentissimè impertiret. Quem adeo studiosum, honestum, industrium, officiosum, literarum comperit, vt eius consortio valdè delectaretur. Et quamuis naturâ inflammatus, magna tenebatur res foris in Germania gestas videndi cupiditate, tamen magna constantia & voluptate, officio suo erga D. legatum domi perfungi cupiebat. Proponam vobis magnam homi-*

nis industriam, quam in variis literis Anglicè scriptis, ex Germania in Angliam perspicio. Dicetis R. Aschamum in Germania non fuisse otiosum, nec, communi peregrè proficiscentium in alias regiones more, tempus incassum contriuisse, qua sæpissimè nequiores, ac quandoque etiam stultiores sanè redeunt, quàm exierant. Prælegebat D. legato Augustæ totum Herodotum, 5. tragœdias Sophoclis, aliquot Euripidis, 23. orationes Demosthenis, ab eius aduentu in Germaniam Octobris 12. 1550. vsque ad 12. Augusti 1551. Singulis diebus legebat bis, & hoc faciebat quatuor vniuscuiusque septimanæ diebus: tempore ante meridiano, tres aut quatuor paginas Herodoti interpretabatur: pomeridiano tempore 212. aut 213. versus Sophoclis aut Euripidis explicabat. Reliquis tribus hebdomadæ diebus transcribebat literas, quæ erant à D. legato in Angliam missæ. Non miramini hominis diligentiam, industriam, studium, qui sic continuis premebatur occupationibus, & tamen omnia elegantiâ & suauitate summa præstabat? Quod tempus iam quieti, otio, amicorum confabulationibus, scribendis in Angliam ad amicos literis relictum? Nocturno tempore hoc factitabat: nocturno tempore, diario suo res auditas, factas, aut visas mandabat. Si aliqua vacui temporis portiuncula à reliquis negotiis & studiis concedebatur, id tempus libentis-

bentissime singula oppida (vbi cum D. legato commorabatur) videndo, doctos adeundo, mores & instituta vrbium discendo, noua audiendo, totum consumebat. Ad manus eius varia noua peruenerunt, Turcica, Asiatica, Aphricana, Papistica, Germanica, Cæsariana, quæ quidem omnia diligentissime notabat, nihilominus tamen illæ literæ, quas à Ioan. Sturmio reciperet, pleniss. eruditione, elegantiâ, eloquentiâ, humanitate, multo maiore voluptate illum perfuderunt. In omnibus literis è Germania missis ad amicos Cantabrig. Ioannenses, vt ille vocabat, semper precibus valdè contendebat, vt in eius absentia, Collegii D. Ioan. alumni in literis Græcis & virtutibus indies, proficerent, vt bonos mores & pietatem cum doctrina inbiberent, vt Oratoris munus, cuius ille absens fructum percipiebat, diligenter suppleretur. Vix crederetis, quo studio & contentione hoc postulabat, in variis literis Anglicè scriptis, quas ipse humanissimè amplector, & custodio diligentissime. Quidam etiam à me contenderunt, vt has ederem, cum ob suauitatem linguæ, in qua sunt scriptæ, tùm ob sententiarum splendorem, quo sunt perpolitæ. Sed quid hæc? Cum Oenoponti & Halæ in Italiæ finibus commoraretur, generale consilium Tridenti habitum Maii primo, visendi tenebatur desiderio, vt illic illius generalis consilii & Synodi statum, ordinem, & tractationem apertè disce-

ret, & studiosè annotaret, sed nec facultas, nec facultates ei ad hanc rem suppeterent. Dici vix *potest, qua sedulitate, omnia in illis regionibus oppida perlustrare, quo etiam animo omnes omnium ciuitatum consuetudines scire cupiebat. In tota tamen hac peregrinatione, in longa hac voluptate, qua perfundebatur, exteras regiones peragrando, exterorumque mores & populi ritus perlustrando, vita liberè in studiis Cantab. acta nullam vitam etiamsi splendida appareret, nec in rep. Anglicana cum dignitate, nec in peregrinis nationibus, cum multarum rerum experientia & voluptate comparandam esse iudicauit. Dulces illic fortasse putabat esse studiorum comites, dulcia colloquia, tutas & sine periculo suaues obambulationes, dulcissimas Musas, fidelissimos amicos, intimos omnium consiliorum socios, quos idem amor, idem erga literas ardor, eadem studia arctissimis & quasi adamantinis amicitiæ vinculis copulabant. Est enim ea verissima amicitia, quam virtus conglutinat, non voluptas aut vtilitas coniungit: quæ vbi semel hominum animis recepta fuerit, ibique radices egerit, & coaluerit, nunquam extinguitur, etiamsi amici locorum interuallis seiungantur, per literas, vel per nuncios, aut alio modo amicitias studiosè retinent, & firmissime conseruant. Optime Cicero, vt semper solet, mihi dixisse videtur:* Omnium societatũ,

nulla

nulla præstantior est, nulla firmior, quam cũ viri boni moribus similes, sunt familiaritate cõiuncti: nihil enim amabilius nec copulatius, quã morũ similitudo bonorũ. *Præferebat hanc vitam Rogerus Aschamus omni splendori, omni dignitati, omnibusque in Repub. splendidis muneribus. Et quam aliam ob caussam præferebat, nisi vt quietè se Musis totum dederet, animum continuo literis excoleret. Græcam linguam, qua mire capiebatur, Cantabrigiæ doceret, & Demosthenis (quem ille studiosè semper, studiosissime verò cum in Germania esset, voluebat) succum, vim, suauitatem, phrasim, veneres, omnibus Græcæ linguæ studiosis enuclearet, & exprimeret? Solebat dicere eos homines & res humanas nescire, & iucundè actæ vitæ delectum penitus ignorare, qui non sequebantur vnam ex illis rationibus, quas M. T. Cicero in prima primi de Oratore sententia commendauit, nunquam assequutus est: hoc est,* perbeatos illos esse, qui eum vitæ cursum tenere potuerunt, vt vel in negotio sine periculo, vel in otio cũ dignitate esse possent. *Cum iam in multis Germaniæ ciuitatibus, & aliquibus etiam Italiæ vrbibus, cũ magna & videndi voluptate, & desiderii explendi cupiditate, maximoque experientiæ fructu ab anno* D.1550. *Septemb.* 20. *vsque ad annũ* 1553. *cõmoratus fuisset, Iulii* 6. *nobilissimus princeps Eduardus sextus, immatura morte,*

vbi illa tunc temporis (vt fertur) commorabatur, accersitus fuit anno D. 1548. circa mensem Febr. impetrata à magistro & sociis absentia venia, vt eam doctrinæ imaginem, quam in ea Gulielmus Grindallus inchoauerat, omnibus lineamentis, coloribus, formis & perpoliret, & politissima arte perficeret. Hic pupillus in eam docendo priorem locum occupauit, non sine omni fortasse tutoris consilio: sequutus est pupillum tutor omni eruditionis laude cumulatissimus, qui & illam perfecit doctrinæ effigiem, quam ille alter & primus Apelles tantum inchoauerat, nondum ad finem, immatura morte correptus perduxerat. Inauditum hoc & valde admirabile, vt post Apellem alius pictor exurgeret, qui in eius suffectus locum, & posset optimè, & pertentaret felicissimè admirabilem illam oris pulchritudinem, reliquarum corporis partium accessione illustrare, & splendidioribus coloribus nobilioriqúe artificio, reliqua lineamenta exprimere & perficere. Superauit hic Apellem Apelles, hoc nullus vnquam pictor efficere potuit. Neque hi fuerunt imaginum, sed mentium pictores: non coloribus, sed eruditione & artibus: non penicillo, sed ingenio hanc duxerunt imaginum mentis illustriss. D. Eliz. Illam ille tanta diligentia, tanta experientia & studio duos annos docuit, & illa illum tanta constantia, labore,

amo-

amore, voluptate audiuit, vt ille ne maiore quidem cum iucunditate & voluptate prælegerit, an illa lubentiore animo didicerit, non possum quidem facile statuere. Vnum hoc dicam, ab eo libentissime nos omnes discere, quem magni facimus: Et magnum certe ad nostros in literis progressus momentum adfert, si magnifice de præceptore sentiamus. Illa Græcas literas auide quodam desiderio degustabat: Latinas indefesso studio arripiebat. In quibus quantum profecerit, aliorum sit iudicium, qui & eam Latine Græceque loquentem audiuerunt & ad stuporem vsque admirati sunt. Perlegebat cum illa D. Eliz. integrum fere Ciceronem: magnam partem Titi Liuii: selectiores orationes Isocratis, Sophoclis tragœdias, Græcum Testamentum, locos communes P. Melanch. cum aliis huiusmodi insignioris notæ authoribus. Quo amore, toto hoc tempore, & qua beneuolentia vnica hæc fœminarum Phœnix R. A. præceptorem prosequuta est, & qua obseruantia, studio, officio ille eam coluit, malui ego tacite tantæ Principis opinione relinquere, quam inepte & frigide aliis commemorare. Hæc omnia aperte ostendebat ille inuitus ab illa, non satis consideratus, vt ille postea fassus est, discessus, cum D. sua Eliz. inuitissima Cantab. ad recolenda & celebranda vetera studia reuerteretur. Nec aliquid vnquam magis

eum dolore afflixit, quam quòd inuitus ab illa discederet, à qua maximum sui laboris fructum expectaret, vt posteà felicissimè contigit, cum D. *Eliz. ad rerum gubernacula euecta fuit. Cum Aulica turba sic liberatus, & veteris otii literarii suauitati restitutus, Cantabr. rediisset (vbi antiquum in Collegio D. Ioan. locū possidebat, Græcas literas docebat, Oratoris munere perfungebatur, satisq; honestam conditionem Regis Eduardi beneficentia obtinebat:) nolo dicere, quanta hic voluptate perfūdebatur, cum ad vetera recurrenda ingenii curricula, ad veteres redintegrandas amicitias ad fidelis s. amplexandos amicos, ad sanctis s. visendum patrem* D. *Bucerum, ad gratissimos aspiciendos pupillos, iuuenumq; inspicienda & promouenda studia reuerteretur. Sed hic diu fortuna, siue, vt verissimè dicam, Deus eum non est passus pedem figere, & vita quasi tabernaculum ponere, ad illustriora peragenda munera natum, & ad maiores res in Republ. conficiendas aptum & habilem. An.* D. 1550. *æstatis tempore, amicos suos in agro Eboracensi visit: vbi cum paruo temporis spatio commoratus fuisset, erat inde statim præclarissimi Equitis Ioan. Checi literis ad Aulam accitus, vt cum ornatissimo viro* D. *Richardo Morysino, ad Carolum V. Regio legato, in Germaniam proficisceretur. Quo nihil potuit ei gratius accidere: nam magno quodam tenebatur desiderio, exteras nationes*

tiones peragrandi, aliorum populorum mores cognoscendi, vrbes inuisendi, Academias inspiciendi, regionum ritus, monumenta, instituta perlustrandi. Nec possum hoc loco prætermittere, quod ille iucunda subinde recordatione recoluit, quomodo in via, iter ab agro Eboracensi ad Aulam faciens, deflexerit Lecestriam, vt illustriss. adolescentulam Ioan. Graiam, nobiliss. Marchionis Dorcetensis filiam viseret, cui anteà in Aula valdè fuit familiaris: vbi, cum in eius cubiculum esset admissus, inuenit illam solam legentem Græcè Phædonem Platonis. Sed ea, quæ cum illa habuit, colloquia, non est opus hîc repetere, quoniam ille ipse pulcerrimè in suo Præceptore Anglicè conscripto, ea partim expresserit. Cum ad Aulam peruenisset, & de suo itinere cum D. *Ioan. Checo egisset, infrà paucos dies, cum ornatissimo viro* D. R. *Morysino Regiæ Maiestatis legato, in Germaniam, quam antea inuisere animus gliscebat, iter instituit, & Thamesin* 20. *Sept.* 1550. *conscendit. In quo itinere, vir summæ eruditionis, loca omnia diligenter perquisiuit, hominum mores accurate didicit, Templa, monumenta, portus, monasteria, bibliothecas, fora, muros, Castella prudenter animaduertit: doctorum virorum notitiam sibi peperit, amorem conciliauit, multorum amicitiam sibi arctiss. vinculis copulauit, & ita continuis laboribus omnia cognitu necessaria, indefessa-*

que industria ciuitatum situs, & oppidorũ structuras studiosè notauit, vt pulcherrimarum rerum experientiam, magno studio collectam, domum repertaret. *Et is, qui in Anglia nuper complurimis valde charus & probatus extiterat, nunc in Germania multis charissimus, in Italia plurib. familiaritate coniunctissimus vixit. Taceo Ioan. Sturmium, quem antea literis ex Anglia salutauerat, quem diu amauit, nunquã vidit, licet semel viserit Argentinam, & suum Sturmium domi nõ inuenerit. Quàm charus alter alteri fuit, liber primus Epistolarum ad Ioan. Sturmium conscriptus indicat. Et ipse Ioannes Sturmius in multis ad eum & ad alios literis, hoc testatur. Non erit superuacaneum hîc verba adfigere, quæ, in quadã ad Dominum Pagettum Epistola, idem Ioan. Sturm. scripserit:* Ego Aschamũ, *inquit*, amo, quia me ab eo amari sentio ex suis ad me studiosissimè scriptis literis, quę mihi semper fuerũt gratissimę: Deinde ob similitudinẽ studiorũ; vt nõ solùm idẽ apud authores intelligere, verum idẽ velle videamur: Tum propter doctrinã, quæ nisi magna esset, non posset ita ad me scribere, vt scribit. *Et in alia epistola ad eundem*: Incredibile est quàm ego diligam & amẽ Aschamũ, motus eius literis, prudentiâ & doctrinâ, quorũ vtrunq; ex literis intelligo, quæ mihi semper extiterũt suauissimæ. *Hæc Sturmius. Augustæ Vindel. in multorum*

docto-

doctorum mutuam amicitiam incidit, sed cum Hieronymo Wolfio præcipuè magna necessitudine & familiaritate vixit. Ita charus fuit multis Germaniæ principibus & ciuitatibus (vt Ioannes Sturmius optimè in quadam, ad Dominum Pagettum epistola, est testificatus) propter prudentiam, humanitatem, elegantiam, doctrinam, suauitatem, quas virtutes ex se habuit. Deinde propter amicorum commendationes, quas eius virtus merita est, ita, inquam, gratus & charus fuit; vt dignus videretur, qui in perpetuis esset legationibus; sed ita doctus, ita studiosus, ita idoneus ad literarum studia, vt Ioannes Sturmius optaret eum perpetuò esse in scholis doctorum hominum. *Dominus Richard. Morysinus legatus Regius eum ad omnia sua consilia, ad omnes deliberationes, quas de maximis grauissimisque rebus in Germania habuit, propter prudentiam & rerum vsum semper adhibebat: Et tantum etiam eius fidei, ingenio & prudentiæ singulari tribuebat, vt omnes curas & cogitationes suas ei libentissimè impertiret. Quem adeo studiosum, honestum, industrium, officiosum, literarum comperit, vt eius consortio valdè delectaretur. Et quamuis naturâ inflammatus, magna tenebatur res foris in Germania gestas videndi cupiditate, tamen magna constantia & voluptate, officio suo erga D. legatum domi perfungi cupiebat. Proponam vobis magnam homi-*

nis industriam, quam in variis literis Anglicè scriptis, ex Germania in Angliam perspicio. Diceris R. Aschamum in Germania non fuisse otiosum, nec, communi peregrè proficiscentium in alias regiones more, tempus incassum contriuisse, qua sapissimè nequiores, ac quandoque etiam stultiores sanè redeunt, quàm exierant. Prælegebat D. legato Augusta totum Herodotum, 5. tragœdias Sophoclis, aliquot Euripidis, 23. orationes Demosthenis, ab eius aduentu in Germaniam Octobris 12. 1550. vsque ad 12. Augusti 1551. Singulis diebus legebat bis, & hoc faciebat quatuor vniuscuiusque septimanæ diebus: tempore ante meridiano, tres aut quatuor paginas Herodoti interpretabatur: pomeridiano tempore 212. aut 213. versus Sophoclis aut Euripidis explicabat. Reliquis tribus hebdomadæ diebus transcribebat literas, quæ erant à D. legato in Angliam missa. Non miramini hominis diligentiam, industriam, studium, qui sic continuis premebatur occupationibus, & tamen omnia elegantiâ & suauitate summa præstabat? Quod tempus iam quieti, otio, amicorum confabulationibus, scribendis in Angliam ad amicos literis relictum? Nocturno tempore hoc factitabat: nocturno tempore, diario suo res auditas, factas, aut visas mandabat. Si aliqua vacui temporis portiuncula à reliquis negotiis & studiis concedebatur, id tempus libentis-

bentissime singula oppida (vbi cum D. legato commorabatur) videndo, doctos adeundo, mores & instituta urbium discendo, noua audiendo, totum consumebat. Ad manus eius varia noua peruenerunt, Turcica, Asiatica, Aphricana, Papistica, Germanica, Cæsariana, quæ quidem omnia diligentissime notabat, nihilominus tamen illæ literæ, quas à Ioan. Sturmio reciperet, pleniss. eruditione, elegantiâ, eloquentiâ, humanitate, multo maiore voluptate illum perfuderunt. In omnibus literis è Germania missis ad amicos Cantabrig. Ioannenses, vt ille vocabat, semper precibus valdè contendebat, vt in eius absentia, Collegii D. Ioan. alumni in literis Græcis & virtutibus indies, proficerent, vt bonos mores & pietatem cum doctrina inbiberent, vt Oratoris munus, cuius ille absens fructum percipiebat, diligenter suppleretur. Vix crederetis, quo studio & contentione hoc postulabat, in variis literis Anglicè scriptis, quas ipse humanissimè amplector, & custodio diligentissime. Quidam etiam à me contenderunt, vt has ederem, cum ob suauitatem linguæ, in qua sunt scripta, tùm ob sententiarum splendorem, quo sunt perpolita. Sed quid hæc? Cum Oenoponti & Hala in Italiæ finibus commoraretur, generale consilium Tridenti habitum Maii primo, visendi tenebatur desiderio, vt illic illius generalis consilii & Synodi statum, ordinem, & tractationem apertè disce-

nulla præstantior est, nulla firmior, quam cũ viri boni moribus similes, sunt familiaritate cõiuncti: nihil enim amabilius nec copulatius, quã morũ similitudo bonorũ. *Præferebat hanc vitam Rogerus Aschamus omni splendori, omni dignitati, omnibusque in Repub. splendidis muneribus. Et quam aliam ob causam preferebat, nisi vt quietè se Musis totum dederet, animum continuo literis excoleret. Græcam linguam, qua mire capiebatur, Cantabrigiæ doceret, & Demosthenis (quem ille studiosè semper, studiosissime verò cum in Germania esset, voluebat) succum, vim, suauitatem, phrasim, veneres, omnibus Græcæ linguæ studiosis enuclearet, & exprimeret? Solebat dicere eos homines & res humanas nescire, & iucundè actæ vitæ delectum penitus ignorare, qui non sequebantur vnam ex illis rationibus, quas M. T. Cicero in prima primi de Oratore sententia commendauit, nunquam assequutus est: hoc est,* perbeatos illos esse, qui eum vitæ cursum tenere potuerunt, vt vel in negotio sine periculo, vel in otio cũ dignitate esse possent. *Cum iam in multis Germaniæ ciuitatibus, & aliquibus etiam Italiæ vrbibus, cũ magna & videndi voluptate, & desiderii explendi cupiditate, maximoque experientiæ fructu ab anno* D.1550. *Septemb.* 20. *vsque ad annũ* 1553. *cõmoratus fuisset, Iulii 6. nobilissimus princeps Eduardus sextus, immatura morte,*

ad huius regni maximum detrimentum, ad piorum omnium ingentem dolorem, ad omnium Anglorum immensum malum, & R. A. magnam calamitatem diem obiit. Quo pessimo fato exanimatus R. A. quo dolore penè confectus, & curis, solicitudineque valde implicitus, quod rex cecidisset, quòd fortunulæ suæ periissent, quod amici omnes (euecta iam ad rerum gubernacula regina Maria) à pristina dignitate deiecti essent, reditum festinauit, & circa finem mensis Sept. à Germania in Angliam iter apparauit. Magno gaudio perfusus Germaniam adiit, summo mærore confectissimus domum est reuersus. Erat iam omnibus exutus præsidiis, annuo stipendio spoliatus, amicis destitutus omnibus. Verum verè testante Seneca:

Ima permutat breuis hora summis.

Et præclarè scribente Ouidio:

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat.

Ac, eruditè docente Iuuenale,

Ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

Aspicite quæso, varium fortunæ euentum: Nam Rex clarissimæ memoriæ Henricus octauus, pro libro de re sagittaria, quem ei dedicauerat, annua pensione, opera ornatissimi viri D. P. *locupletauit: sed cum Rex H. diem obiret, Aschamus pensione priuatus est. Nobilissimus princeps Eduardus sextus insigni bonitate, eiusdem* D. P*agetti erga Aschamum amore, illud stipendiũ à patre concessum, patrisque sublatum*

latum morte renouauit, liberalitate auxit, authoritate confirmauit, & magno Angliæ sigillo (sed cum hac acerba clausula, DVRANTE VOLVNTATE) *communiuit: mortuo Rege Eduardo, nullum ei relictum stipendium: nulla ad studia in Cantabrigia sustentanda, præmia nec prædia. Quarum rerum cogitatio, vnà cum acerbissima Regis Ed. munificentissimi principis morte, in anxiferas curas eum coniecit. Sed ecce in durissimis hisce temporibus magna ei iam domum reuerso* Dei *bonitas illuxit. Nam cum omnia amisisset, nec aliquid aut expectare aut sperare posset (omnibus chariss. amicis à summa dignitate iam depressis) erat subito ab Academia (ad quam post reditum ex Germania se contulit) ad regium consilium, beneficio Winto. & D. Pagetti, qui ei valdè fauebant, accersitus, & sancto coram regio consilio, adhibito iuramento, Secretarius pro lingua Latina designatus. Quod quidem munus antea ei, regnante Eduardo, rogatu optimi & ornatissimi viri D. G. Cecilli, regi Eduardo, à secretis, concessum erat, cum absens in Germania peregrinaretur. Hoc omnium in vita splendidissimum, quod (cum in summa rerum desperatione esset) regii consiliarii eum, ex omni doctiss. hominum copia, delegerint, cuius, in conscribendis Latinis epistolis, opera & ingenio Regia maiestas vteretur. Quod officium apud Angliæ Principes longe honestissimum*

semper fuerit. Literæ, vt vocant, patentes, pro To·oubilo ab Eduardo rege concessæ, nunc amissæ & irritæ, rursus Wintoniensis opera, & D. Pagetti studio, redintegrantur, & annuum stipendium decem librarum aliorum decem accessione augetur. Hoc munus tanta diligentia, studio, scribendi facultate, pingendique elegantia exercuit, tanta etiam fide & constantia præstitit: duabusque Reginis, Mariæ inprimis, & deinde charissimæ, amplissimaque Elizabethæ, sic satisfecit, vt nemo, omnium iudicio, in nostra memoria, aut maiore elegantia, aut ornatiore stylo, aut puriore dictione, hoc munus obire potuerit. Mirum est recensere, qua industria, quo indefesso labore, qua scribendi assiduitate omnia conficiebat, quo ingenio literas excogitabat, quo artificio perpoliebat. In initio regni Philippi & Mariæ in tribus solum diebus, 47. diuersas epistolas, ad 47. diuersos principes, quorum infimi erant Cardinales, & excogitabat ornate, & depingebat politissime. Si cui hoc mirum videatur, aut si quis me fingere putet, obsignatis eiusdem Aschami tabellis cum eo possum agere, qui hoc idem, in literis ad Eduardum Rauenum, Diui Ioannis Collegii socium, Anglicè scriptis, cum summa asseueratione affirmauit. In hac iam dignitate constitutus, hoc honorato loco adornatus, ex priore miseria ad hunc honoris gradum euectus, & locum

in Col-

in Collegio D. Ioan. (vbi adhuc, in toto peregrinationis tempore, socius fuit) & oratoru etiam munus in Academia, fere ad festum natiuitatis Ioan. Bapt. 1554. regia maiestatis & Winton. operâ retinebat. Iunii primo 1554. duxit vxorem, Margaretam Howam, honestam & castam adolescentulam, generosa familiâ natam, parentum consilio in matrimonium ei traditam. De cuius nuptiis, cum Ioan. Sturm. audiuisset, in quadam Epistola, ad eum 24. Iunii 1554. missa sic scribit: Sed quid ego audio? sponsus ne factus id nos celare vis? vt ne tibi aliquod Epithalamium mittamus Germanicum? Audio sponsam tuam Domini Walopi, Ginensis olim, cum ego Caleti essem, præfecti vxorem habere materteram. Deus bone quam pulchram & venustam mulierem, quam honestam matronam! Si sic, hoc est, si vxorē habere illam vis, aut si quæ est alia tibi desponsata, quæso fac me certiorem: & scribe mihi quo sint die futuræ, vt si ipse non adesse queā, mittam Thalassium, qui pro me tuos amores ornet, &c. *Hæc Ioan. Sturmius. Sua virtute & diligentia multos & magnos sibi parauit amicos. Winto. qui eo tempore plurimum authoritate valuit, multis eum affecit beneficiis, magno amore complexus est. Cuius ingenio & scribēdi facultati, cuius etiam fidei & honestati tantum tribuit, vt præclare semper de Aschamo sentiret. Quem, licèt religione prorsus à se discrepantem intellígeret, ta-*

men ob eius egregiam in literis conscribendis facultatem, prudentiam, taciturnitatem, noluit aut loco dimouere, aut obtrectatorum malitiosis calumniis fidem vllo modo habere. Vix enim credibile est, quantis & quam grauibus accusationibus, Ascham. ob religionem (quam semper ille confidenter profitebatur,) coram Wintoniensi ab eo, qui de Anglico campo nomen habet, onerabatur. Quibus, homo scelestissimorum errorum artifex, & vanarum superstitionum facibus corruptissimus nitebatur, W. voluntatem ab Aschamo abalienare. Sed ad huius accusationes W. semper obduruit, & hominem illum, nimis inuidiosum, sæpius redarguit: plus Aschami excellentibus donis tribuens, quam alterius (qui Aschamum hæreseos accusabat) crebris reprahensionibus vnquam acquiescens. Hunc Aschamus ob authoritatem reuerebatur, ob humanitatem, quam ille plus aliis sensit, diligebat, ob prudentiam suspiciebat. Scripsit ad eum multas epistolas, in quibus W. eximiam in se benignitatem prædicauit. Ecce enim hominis gratitudinem, qui noluit vel in hominem superstitiosissimum ingratus haberi: qui potius maluit hunc suum patronum contrario erga puram religionem animo affectum, ob humanitatem in eum & prudentiam laudare, quàm ingratissimè, ad summum suum dedecus beneficia accepta silentio præterire, & turpissima obliuione penitus inuoluere. Nec Aschamus

schamus assentatiunculis ullis W. gratiam aucupari tentabat: Sed W. sua sponte Rogerum Aschamum multis beneficiis etiam in durissimis illis Aschami temporibus, sibi deuinctissimum reddidit. Quid? Hominem de se optime meritum conuitiis conuelleret? Episcopum ad summum honoris gradum eo tempore euectum, benignissimum Mæcenatem suum, maledictis conscinderet? Summum Angliæ Cancellarium (qui eum fortunulis amicisq; priuatum, stipendioq; spoliatum, in honorato loco collocarat, stipendium auxerat, in gratiam & fauorem principis constituerat) apertis flagitiis conuinceret, turpissimisq; conuitiis insectaretur? Quis ullam inconstantiæ notam, aut vanæ adulationis maculam ei iustè inuret, quod singularem suum amicum amarit, quod hominem benignissimum laudibus ornarit, quod ob beneficia recepta præconiis extulerit? At seruiuit (inquiunt quidam) tempori, & sese ad rerum commutationem accommodauit. Equidem Rogerus Aschamus inuitissime ab Academia (vbi cupiebat caput abscondere, & in Musei angulis latitare) ad inseruiendum principi accersitus, non tantum tempori quam Principi parere, & Reipublicæ inseruire cogebatur.

Etenim certum est, eum potius coactum temporibus paruisse, quam hominum moribus & superstitioni lubens vllo modo acquieuisse. Non destitit tamen in illius temporis mores in-

uehi, hominum illius ætatis superstitionem irridere, cæcitatem reprehendere: idcirco dicemus eum religione inconstantem, quod principi paruerit? Vitio hoc ei vertemus, quod homines de se optime meritos (à quibus, propter animi virtutes & ingenii dotes, vnice amabatur) celebrarit? Appellabimus eum opinione vacillantem, qui tempori, Reipubl. & principi eo tempore inuitus seruirit? Sed quid tam multa? Vt Aschamum profecto omni inconstantia & vanitatis vel minima suspicione liberem: qui ab istiusmodi nugis, & vana illius temporis superstitione immunis semper fuit. Aschamus semper religione idem, honestate idem, fide erga amicos idem, pietate idem, constantia, industria, sedulitate erga duas Reginas idem. Præterea Cardinali Polo valde fuit familiaris, qui Aschamo (contra communem superborum Cardinalium solitam elationem & arrogantiam) coniunctissimè & familiarissime est vsus. Hic plus Aschamicæ dictionis puritati, quàm suiipsius eminenti scribendi facultati, qui Latinissime quidem ornatissimeque scripsit, plus tribuisse fertur. Est apud me Card. Poli oratio Anglice ad consilium Parlamentarium, (cum à Pontifice Romano, huc legatus fuit missus) habita, elegantissime ab eodem R. Asch. eiusdem Poli rogatu & precibus Latinitate donata, & ad pontificem (vt aiunt)

Roma-

Romanum postea (si diis placet) à Car. Polo missa: quà, quantum ad dicendi suauitatem, verborumque ornatum attinet, nihil est pictius, nihil ornatius, nihil Latinius. Et cui non fuit familiaris eo tēpore Aschamus? Quis non honorifice de Aschamo sensit? Apud Reginam Mariam magno fauore floruit, cuius liberalitatem sæpissimè expertus est. Qua, post quinque annorum, 5. mensium, & vndecim dierum imperium, mortua, 17. Nouemb. 1558. & nobilissima Elizabetha, munificentiss. Domina ad summum Anglorum solatium, ad immensum R. A. gaudium, in Regina Maria vices eodem die suffecta, eundem locum, idem munus retinet, & felicissime obit, quod ante, regnante Maria occuparat. Apud Mariam, vt supra dixi, R. A. magna fide, magno etiam fauore viguit, sed apud hanc suam amplissimam Dominam, munificentissimam principem, doctissimam discipulam, præcipuè sic fauore & gratia valuit, vt nunquam ferè ab eius latere discederet: quotidie præsens cum ea fuit, assidue aliquid aut Græcè aut Latine ei prælegebat: cum ea sæpissimè colloquebatur, talis, aut tesseris, aut aliquo huiusmodi lusu cum ea tempus dissipabat. Eius consortio & sermone faceto, ac in nulla re rudi, valde delectabatur serenissima nostra R. Elizabetha. Semper ad eam admittebatur Aschamus, nunquam interclusus aditus, à nul-

lo vnquam prohibitus. Hoc fauore principis, hac gratia & præsentiâ suæ serenissimæ D. Eliz. facilimè & ad maiorem dignitatem euehi, & facultates multo auctiores reddere potuerit, si aut ambitione (à qua semper animus alienissimus fuit) praceps, aut diuitiarum cupiditate dignitatiuve splendore accensus fuisset. Sed ab omni ambitione sic alienus, ab omni aspirandi amore sic remotus, ab omni petendi desiderio sic abhorrens fuit (quod hac ætate, his hominum moribus, magis admirandum quàm imitandum est) vt nihil vnquam ab illustrissima liberalissimaque Regina Elizabetha petiuerit. Natura à petendo adeo auersus, vt nulla vnquam opportunitas ad petendum audacem reddiderit, nec vlla necessitas ad aliquid rogandum impellere potuerit. Eum nec natura impudentem, nec pecunia molestum, nec rerum inopia petacem vnquam effecit. Quæ hæc hominis industria? quæ honoris & dignitatis contemptio? quæ diuitiarum & opum neglectio? Minore dolore afficiebatur, cum ipse indigeret, quàm gaudio perfundebatur, cum suam alius conditionem deploraret. Maiore tenebatur desiderio, voluntate, fide, constantia, industria, officiosque seruitio sua Principi satisfacere, quam audacibus & molestis rogatibus eidem molestiam exhiberi. Hoc vulgo prædicare, & amicis sæpe commemorare solebat, se nunquam

in tot

in tot pulcherrimis diebus in sua principis præsentia consumptis, os ad aliquid rogandum aperuisse, quo se & suos ditaret, & locupletiores redderet: ita vt nobilissimum virum Marchionem Wintoniensem, summum eo tempore Angliæ Thesaurarium, amicum Aschami perdilectum, sæpissime eum obiurgasse fertur, quod tam pudens & insolens in petendo esset. Aschame, inquit, te oportet munus tuum minus officiosè obire, & plura audacius à regina petere. Multi prætereà solebant ei nimis pudentem pudorem suum in non petendo obiicere. Quid non petis Aschame? inquiunt. Quid non Regiam Maiestatem rogatibus solicitas? Si careas, peccatum est in te, qui petere recusas, non in tua liberalissima D. quæ largiri tibi complurima cupit. Malui, respondit ille, mea diligentia & officio bene de mea principe mereri, quàm præclaris muneribus immeritò adornari. Nihilominus tamen Regia Maiest. multis eum & magnis beneficiis è sua munifica bonitate collocupletauit. Sed ab illa semper prius dabantur, quàm ab illo petebantur. Tanta erat huius hominis ab omni largitione & muneribus accipiendis abstinentia, vt cum pro eo honorato loco, quo fungebatur, pro ea gratia & fauore, quo apud suam principem florebat, multa & præclara munera, & vt Homerus vocat, ἀγλαὰ ἄποινα ad eum mitterentur, ea omnia ma-

gno cum fastidio repudiabat, aspernabatur, remittebat: sæpissimè dictitans, Deum ei linguam venalem non dedisse, ut aut muneribus corrumperetur, aut apertè penun â oppugnaretur. Maluit parcè & duriter vitam degere, quàm fœdissimis largitionis facibus mentem polluere. Ingrauescente iam ætate, à nocturnis & pomeridianis studiis abhorrebat: antelucanis & matutinis temporibus legebat, commentabatur, studebat, scribebat. Erat corpore imbecillus & valetudinarius, multis morbis fractus, continentibus febribus correptus, variis ægrotationibus afflictus: quæ paucis ante mortem annis eum in hecticam febrim coniêcerunt, quo tempore de eius salute desperatum fuit. Sed ea fuit DEI *erga illum bonitas, ut tandem medicorum ope, ex ea conualuerit. Omnia aduersa æquo ferebat animo: nec duris calamitatum difficultatibus animo consternari, nec prosperis rerum successibus insolescere solebat. Angoribus sese nonnunquam dedidit, & ob quorundam inhumanitatem, qui ei fidelissimo infidi fuerunt, vehementer se excruciauit. Tempus omne, quod à matutinis studiis, aut Maiestatis regiæ priuatis negotiis superarat, id totum aut honestis exercitiis & oblectationibus, antè à me commemoratis, aut amicorum mutuis confabulationibus, aut colloquiis cum peregrinis hominibus tradidit. Magna*

gna in victu temperantia & abstinentia fuit: à piscibus natura abhorruit: & ob eam ipsam caussam, regnante Eduardo ab Archiepisco. Cantu. licentia ei à piscium esu concessa fuit: & imperium tenente R. Maria, aliis vti rationibus cogebatur, ad conseruandam corporis sanitatem. Nunquam studiosorum rogatibus, opera, consilio, labore defuit: pauperibus scholasticis plurima dona est elargitus: familiaribus amicis multa dedit: eorum necessitati sæpissime subuenit. Nullum carmen ei magis placuit, aut quod probauit magis, quam hoc Martialis:

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas solus dederis, semper habebis opes.

Et sic eruditione excellens, sic vitæ integritate præstans, sic purioris religionis studio spectatus, complurimisque percharus, magno studio colebat Deum, omnium bonorum largitorem, omnium virtutum fontem vberrimum. Sermones pii & honesti erant, qui Dei gloriam maxime illustrabant, & priuatim domi se diuino cultui quotidie dedebat, peccata sua assidue agnoscebat, misericordiam diuinam vehementer implorabat, veniam submissè deprecabatur. Colloquia foris cum amicis de Deo, *de humana miseria, iniquitate, maleuolentia, inuidia, de maximis* Dei *beneficiis in humanum ge-*

nus collatis, de mirabili Dei bonitate in creando, redimendo, reparando, vocando, sanctificando, eligendo nos miserrimos homines, semper instituebantur. Homines fide dignissimi, qui eo familiariter vsi sunt, ferunt illum fuisse, & domi apud suos maximè pium, in colloquiis modestissimum, erga principem fidelissimum, amicorum amantissimum, literarum auidissimum, in ambulationibus aut itineribus assiduè Dei erga homines beneficia commemorantem. Et hæc de eius sanctissima & integerrima vita à me dicta sufficiant. Reliquum est, vt de eius ex vita discessu pauca dicam. Vt vita pia, honesta, integra, à vitiis abhorrens, virtutibus & studiis dedita præclaris actionibus relucens, nemini nocens, nulli inimica extitit: Sic eius obitus Christianus & verè pius, vitæ per omnia similis fuit. Nec vitam honestissimè & piissimè actam potest sequi mala mors. Qui piè viuunt, piè etiam moriuntur. Erat, vt supra dixi, multis febribus afflictatus, quæ & vires per se imbecilles multos annos comminuerant, & mirificè afflixerant: proximis autem superioribus ante mortem annis hectica febre laborabat, ex qua licèt aliquantulum conualuisset, quasdam tamen faces reliquit, quæ præ nimio quodam studio in versibus ad regiam maiestatem (pro insequentis noui anni auspicio) condendis excitatæ & incensæ, ingrauescere cœperunt. Cum

enim

enim in illis contexendis versibus, ingenii vires valdè occupasset, & ex nimio scribendarum literarum studio noctes multas insomnes produxisset, frigus contraxit, quo correptus, in grauem morbum incidit 23. Decemb. Anno Dom. 1568. Huic ægrotanti sæpe adfuit vir ornatiss. Theologus doctiss. Alexander Nowellus, Paulinæ Ecclesiæ digniss. Decanus, qui eum consolabatur, qui pie, & sancte saluberrimis verbis, huius vitæ tædia, huius mundi miserias ante oculos posuit & diuinissimis sonis animam pauit: Ita vt post illius sanctiss. viri ab eo discessum, R. A. cum quadam exsultatione prædicabat, Alexandrum Nowellum, pium hominem, integerrimæ vitæ virum, animam suam nunquam perituris cibis pauisse. Cœpit morbus magis ac magis eum affligere, nullo tempore quiescere aut dormire permisit. Famulorum manibus nonnunquam sursum deorsum ferebatur, & cunabulis, ad prouocandum somnum, præparatis, infantium more voluebatur. Sed hæc somnum oculis inducere non potuerunt. Felici memoria multa repetebat eidem colendissimo Decano, aliisque astantibus amicis diuinitus de Deo, & eius misericordia, amore, beneficiis in humanum genus collocatis. Et quis tum sanctius, quis diuinius, quis Christianius loqui aut cogitare potuerit? Valdè illud mihi laudabile videtur, quod de eo idem vir sanctissimus

Alexand. Nowellus commemorat: se nunquam vidisse aut audiuisse vllum hominem, aut honestiùs vixisse, aut expirasse Christianius. Cuius verbis & fidei ego tantum tribuo, vt putem illum nec posse, propter pietatem, fingere, nec velle, propter prudentiam & integritatem, nisi verissima pro certo affirmare. Fuit enim Rogeri Aschami vitæ morumque testis locupletissimus, summa familiaritate ei coniunctissimus, mortis etiam oculatissimus testis. Posteà vxori commendabat sua omnia, maximè verò suauissimos liberos: rogabat vt pro suo arbitrio omnia dirigeret, vt materno animo eorum educationi consuleret, vt virtute, pietate, literis, bonis moribus instituendos curaret. Adfuit etiam huic iamiam morituro, vir honestate & eruditione præstans D. Gravetus, sancti Sepulchri vicarius, qui eam ob causam venit, vt eundem Ro. grauiter ægrotantem viseret, consolaretur, officioque ei debito fungeretur: Non veni (inquit) vt te doceam D. Aschame, (noui enim te esse vndique colendissimi viri Alexandri Nowelli verbis, & tui ipsius eruditione instructissimum:) sed vt te consoler, & officium meum præstem. Respondit Aschamus, magno ego crucior dolore, graui opprimor morbo, hæc mea est confessio, hæc fides, hæc precatio, hoc totum est quod volo: Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Quam diuinam & cælestem Diui Pauli sententiam,*

multo-

multoties anteà Alexandro Nowello repetiuerat. Cum hanc sententiam tanquam Cygneam cantionem, & nouissima verba protulisset siluit, & hora à meridie fere decima, animam suam, quæ anteà cum Deo esse toties concupiuit, Deo maximis astantium ploratibus & gemitibus reddidit. Cùm huius mortis verus rumor Aulæ penetralia penetrasset, & ad serenissimæ Reginæ aures peruenisset, dici vix potest, quo illa subitò percellebatur dolore, cum de suo mortuo A. intelligeret. Ferunt Diuam Elizabetham tum dixisse: se malle decem librarum millia in mare proiecisse, quàm suum A. amisisse.

Doluit eius morte Princeps, doluit populus, doluit tota Aula. Quanto verò dolore hæc Rog. A. mors Argentinam afflixerit, & in ea præcipuè Ioan. Stur. & reliquos doctissimos Viros R. A. familiaritate coniunctissimos, præstat in eorum animis relinquere, qui & summum dolorem senserint, & huius obitum grauissime tulerint, quàm fama & auditione frigidè & exiliter commemorare. Obiit Decembr. 30. anno 1568. ætatis suæ annum agens 53. Sepultus est sine vlla funeris pompa, Ianuar. 4. in æde sancto Sepulchro sacra, extra carcerem, quæ noua porta à Londinensibus appellatur. Habita est eo die, in eo templo, à colendissimo viro Alexandr. Nowello doctissima & piissima concio, in maxima hominum frequentia. In

qua homo disertissimus, suauissima, vt semper solet, lingua, eloquentissimi hominis, & perdilecti amici dolendum funus sic adornauit, vt neque honestissimi cuiusquam vita, vberioribus laudibus condecorari, nec acerbissima alicuius mors dolentius & amarius deplorari potuisse existimaretur. Deus faxit, vt nos, qui superstites sumus, integerrima eius vita, & Christianissima mortis vestigiis insistentes, similiter viuamus, similiter etiam, cum nostra nos fata tulerint, moriamur.

A vita & obitu, ad scriptionis laudes, & dictionis puritatem meum nunc conuertam sermonem. Tantum ego tribuo semperque tribui Rogeri *Aschami iudicio, & eius scriptionis suauitati, quantum ei tribuendum est, qui in linguarum artiumq; cognitione, in philosophiæ præceptis, dicendi scribendiq; facultate, sacrarum literarum mysteriis, non tàm discendo, quàm agendo exercitandoque magna cum laude est versatus. Neque enim erudita solùm sunt eius scripta & suauia, sed pia etiam & Christiana: vnde apparet, eum & spectasse verum studiorum finem, & assecutum eum esse: vt cum eruditione singulari, & dicendi scribendique admirabili facultate, virtutem, pietatem, morum suauitatem, erga amicos fidem & maximum amorem coniungeret. Quoties igitur has pereruditas eius* Epistolas *iam quartò à me auctas & locupletatas, aliasque lucubrationes*

theo-

theologicas lego (quod sæpissimè quidem facere soleo, & materia illectus, & optimis dicendi luminibus permotus) toties & eum admiror, & illustriss. nostræ Reginæ, quæ eo præceptore est vsa, totique Angliæ gratulor, cui tantum honorem, apud exteros, propter eruditionem, comportauit, tantumque apud suos vtilitatis, propter prudentiam, rerum vsum, & principis institutionem attulit, quantum adferre & vir optimus, subiectus fidelissimus, & homo doctissimus potuerit. Quicquid scripsit, politè scripsit, & legentes omnes summa perfudit iucunditate. Dici vix potest, quantoperè viri summa eruditione præstantes, magna eloquentia ornatissimi, laudarint in Aschami scriptis ciuilitatem, modestiam, humanitatem, & charites innumerabiles, suauitatem in sententiis, elegantiam in verbis, moderationem in numeris, concinnitatem in rebus contexendis, lucem in omnibus, nihil non in eo exquisitum. Sed tamen nihil affectatum, vires insignes sine immanitate, dulcedinem summam sine ignauia, breuitatem cum succulentia, rursus prolixitatem sine luxuria, rotundum quidquam & crispum, sed sine æterna micatione, qua seculum Plinii laborabat: castigatam & enucleatam dictionem, sed sine anxietate scrupulosa, qua Ciceroniani nostro æuo sese emaciant, & quasi compedibus reuinciunt. Ioan. Sturm. testatur in elocutione & dicendi generibus nihil se vi-

disse R. A. scriptis acutius. Sic enim in quadam ait epistola: Literæ tuæ non solum suaues, verum etiã elegantes sunt: tanta enim in illis est flexibilitas verborum, & ad acutas comitatis & ad graues Philosophiæ sentẽtias, talis in collocando ordo, vt tum scriptionis suauitatẽ admirer, tum etiam intelligã à te accuratè esse cõpositas; nisi à te nihil proficiscatur incõpositũ; quãtũuis subitò scriptũ.

Hieronymus Osorius Lusitanus, Syluensis Episcopus, homo laudibus eloquentiæ ornatissimus, qui Rog. Ascham. magno amore complexus est, nihil putauit esse vberius, nihil in hoc genere aptius. Petrus Nannius Alcmarianus, in Collegio Buslidiano, apud Louanienses, Latinus professor dixit, nihil esse disertius, nihil politius Aschami literis. Mihaelus Toxites Rhætus laureatus Poeta, iudicauit esse nihil suauius, nihil eruditius. Hieronymus Wolfius Oetingensis, nihil concinnius esse censuit. Multique alii eloquentia, eruditionis, & dicendi virtutibus perpoliti domi forisque celebres, optime semper de R. A. scriptione & dictionis puritate existimarunt. Taceo nostrates, Cardinalem Polum, Steph. Winton. Ioan. Checum, Thom. Smithum, duo propugnacula, duo ornamenta eruditionis, literarum, Academiæ Angliæ: R. Pemb. Richard Brandubaum, Ioan. Christophersonum, Guilielmum Billum, Gualte-

rum

rum Haddonum, Ia. Pilkintonum, Tho. Wilsonum, N. Carrum, & alios complurimos, qui summa doctrina eluxerunt, & de Aschamo semper praeclare senserunt. Quorum ferè omnium literae ad Ascham missae sunt domi apud me huius rei testes locupletissimae. Ex hiis aliquot nunc primum in lucem eduntur. Hic si se totum ad scribendum tradidisset, & ea quae à Cicer. Platone, Aristotele, Demosth. Isocrate, Thucydide, & Herodoto didicisset, tractare voluisset, quis Bembus ornatius, quis Sadoletus disertius, quis Longolius politius, quis Manutius praeclarius & artificiosius scribendi genus perpolire potuisset?

Duo tantum libri, Toxophilus & Praeceptor, cum paruo quodam tractatu, de rebus in Germania gestis Anglico sermone conscripti, in hominum versantur manibus, qui & ipsi magnam eius eruditionem redolent, & suauem scribendi elegantiam ostendunt: quos si Romano amictu conuestire voluisset, nihil in eo genere illustrius, nihil copiosius, nihil ornatius fuisset. Praeterea, has epistolas variis dispersas locis reliquit, quas, post distracta priorum editionum omnia volumina cum aliis scriptis (quae nunc sunt edita) ad vestram vtilitatem collegi, quae certè non obscure ostendunt, ex cuius artificis officina prodierint. In quibus praeclarum habebitis imitandi exemplum: ad quod, si vestrum vos scribendi episto-

las cursum direxeritis, & puram vobis dictionem, & eximiam scribendi facultatem comparabitis. Quam scribendi & eloquendi præstantiam, vt faciliùs consequamini, ego, pro mea ieiuna & exili facultatula, pauca de eloquentiâ dicam, & viam, qua ad scribendi dicendique elegantiam peruenire possitis, ante oculos vestros dilucidè ponam: in qua re tertium institutionis meæ membrum collocabitur. Magnum est hoc quod suscepi, magisque arduum & difficile, quàm vt perexiguæ ingenii mei vires ferre posse videantur: Nam dicendum mihi est de summa ac diuina virtute, quæ eloquentia nominatur, cuius laudi ac præstantiæ parem orationem vix posse inueniri facilè animaduerto. Sed si vestras aures attentas præbueritis, & hæc, quæ à me arido quodam orationis genere proferentur, humaniter & amicè perlegeritis, efficiam profectò, vt verba mea non solùm iucunda vobis existant, sed etiam, vt intelligatis, nihil vobis tam esse expetendum in hac vita, quàm dicendi copiam, nihilque adolescentulis studiosis magis dignum, quàm sapientem atque ornatam orationem, puram & enucleatam dictionem sibi comparare. Quamobrem, totam hanc orationem meam sic instituam, vt partim ad laudem & præstantiam eloquentiæ, de qua dicere proposui, dirigatur: partim verò in excitandis animis vestris ad illius studium, R. A. exemplo, tota sit occupata.

pata. Quanquam in prima parte non multum mihi elaborandum esse puto: Eloquendi enim elegantia passim, eloquentissimorum virorum encomiis ac laudibus est celebrata: atque multorum literis ac sermone illustrata, vt nihil sit quod aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum à me adferri queat. Idcirco leuiter & strictim attingam.

Est certe vna ex maximis virtutibus eloquentia, quæ ab eloquendo nomen accepit: quod is, qui ea instructus & ornatus sit, sapienter & ornate eloqui possit omnia ea, quæ animo suo comprehensa habet. Quare nihil præstantius, nihil præclarius, nihil diuinius dici aut excogitari potest. Etenim cum inter Deum & belluam homo quasi medius interiectus sit, hinc Deum rationis & orationis præstantia attingens, illinc vel voluptatis titillatione in sensus influente, vel affectionum immanitate in imperium rationis irruente, inter belluas repens, est illud profectò doctrinæ genus studiis nostris aptissimum, & hominibus etiam dignissimum, quo non corporis sensuumque curatio suscipiatur, sed quo sermo ad diserte loquendum, ratio ad diuinitùs intelligendum proueh atur. Et quanquam cæterarum artium, sed illius inprimis præclara laus sit, quæ morbos depellere, & corpus vitamque nostram scienter continere potest, tamen cum ad hoc præstandum infinitæ belluæ, & cautiores, ne lædantur, & peritiores, vt curentur, reperta sint, illam sanè

doctrinam, licèt vita nostra perutilem, vt nimis tamen cum belluis communem, cum dicendi intelligendique præstanti facultate, quâ solâ notâ à belluis discrepamus, quo solo iudicio diuinitatis participes sumus, comparare non audeo. Itaque nihil homini vel ad vsum vtilius, vel ad laudem præclarius, vel ad immortalitatem stabilius video, nec aliquid, vel adolescentium studiis dignius aut accommodatius puto, quam sermonem ad ornate dicendum excolendo, rationem ad prudenter intelligendum instruendo, diuinam illam vim eloquentiæ consectari: ad quam cum peruenire non possumus, quia eius omnis adipiscendæ spem omnem adimit nobis Antonius apud Ciceronem, quam proxime tamen aspicere, & aspirare omni studio & diligentia est elaborandum. Quæ profectò eloquentia (præterquam quod nihil cum bestiis commune habeat, sed tota ex ipsa diuinitate hausta & delibata, & ita cum ea implicata & cohærens sit, vt hæc tria apud Latinos, sermo, ratio & Deus, apud Platonem tantum λόγυ appellatione includantur: quod verbum nos eloquentiam aptissime dicere possumus) non certe ego video, quid & homini ad spem optabilius, ad cognitionem iucundius, ad vsum melius, ad gloriam maius, ad potentiam amplius, ad similitudinem diuinæ mentis propius excogitari possit. Sine qua cæteræ artes non modo suos fines non tueri, sed mutæ, inutiles, nimisque sordidæ esse

dæ esse solent. Vt enim hominis decus ingenium, sic illius ingenii lumen est eloquentia. Huc accedit, quod hominum animos flectere: quò velit impellere: vnde autem velit, deducere: sola oratione homo sapiens & eloquens potest. Hæc admodum laudabilis, hæc præclara & latissime patens, hæc vna, teste Cicerone, in omni libero populo, dum in hominum genere fuit, perhonesta, & mirabilis est visa, maximeque in pacatis tranquillisque ciuitatibus, semper floruit, semperque dominata est. Non ignoro hanc dicendi exercitationem, quibusdam rem valde molestam ac laboriosam videri: ideoque illos difficulter adduci posse, vt se huic rei penitus dedant, atque in ea comparanda summo studio elaborent. Sed qui magnarum rerum gloriam adamarint: illos neque difficultas, quæ huic rei inesse videtur, absterrere: neque labor frangere: neque desperatio auocare vllo modo poterit. Sed hii potius fructus vberrimos, honores amplissimos, gloriam sempiternam, quæ inde paratur, ob oculos sibi semper positam habebunt. Non enim tantæ rei adeptionem, difficultate, labore, & fastidio, quæ momentanea sunt, sed honore, gloria, ac voluptate, quæ perpetuo durant, metiri debent. Cum autem homines naturâ ita comparati sint, vt vtilitate rei plurimum moueantur, ac ante omnia, quid expediat, spectare soleant: non prorsus erit superuaca-

neum, dicendi orationis utilitatem hoc loco breuiter attingere. Equidem ex copia dicendi, fructus copiosissimi, atque infinitæ commoditates proueniunt, non tantum ad eos, qui eam sibi vendicant: sed etiam ad Rempubl. uniuersam. Illi enim habent, quo se & vitam suam contra insidias inimicorum defendere ac tueri possint: hæc vero, subsidio & auxilio illius præstantissimæ virtutis, facilius & gubernari, & amplificari, & conseruari potest: prudentis enim oratoris moderatione ac sapientia, perditi & scelerati homines, è ciuitate pelluntur: boni & salutares reip. ciues in ea retinentur: nocentes plectuntur: innocentes autem conseruantur: ac vt plura, quæ sunt pene innumerabilia, breuiter comprahendam, salus totius reip. hac dicendi facultate continetur. Restat nunc, vt de necessitate aliquid dicam. Sic igitur statuere debemus, sapientiam dicendi, ad retinendam religionem, ad conseruandam libertatem, ad tuendas leges, ad prauas & falsas animis hominum insitas opiniones euellendas, ad afflictos excitandos, ad amicos periculis liberandos, ad literarum monumenta posteritati mandanda, ad amicitias comparandas, ad confirmandam ciuium tranquillitatem summopere necessariã esse. Sine qua non solum hii, qui ad reipublicæ gubernacula accedunt, sed etiam Theologi atque illi qui iura profitentur, locum suum admodum difficulter tueri possunt. Sed quoniam

qui-

quibusdam hæc res maximam in se difficultatem habere videri queat, præsertim illis, qui viam & rationem, qua illam consequi possint, ignorant: idcirco viam quandam breuem, certam, atque compendiariam commonstrabo, vt si eam ingressi fueritis, ad eam dicendi scribendique facultatem, quam Roger. Asch. feliciter est assequutus, peruenire queatis. Quinque igitur numero sunt, quibus omnis dicendi scribendique ratio continetur, perficitur, absoluitur: natura, doctrina, cognitio rerum, imitatio disertorum & probatissimorum authorum, vsus seu exercitatio. Equidem vt à natura exordiar, nemo vestrûm est, qui ingenio vel natura mediocri non valeat, & natura satis bona si non optima, sit præditus. Sed hanc naturæ bonitatem, quæ sæpè exigua videtur, industria ac diligentia excitari oportet: Sæpenumero enim fit, vt etiam optima ingenia socordia atque desidia corrumpantur ac deprauentur. Hoc ita statutum sit, fundamenta seminaque artis dicendi iecisse & inchoasse ipsam naturam. Quoniam vero natura sæpè ordine caret: & se ex difficilibus controuersiis explicare non potest, rectè accedunt theoricæ artis præcepta, quæ etiam erudiunt, ac viam ostendunt, modumque dant, quem sequi oporteat: hæc bonam naturam reddunt meliorem, & vagam moderantur, faciuntque oratorem, vt ab eo, quod proposuerit, minus aberret: hæc sermonem gra-

nibus sententiis illustrant: hac orationem lectissimis verbis expoliunt: hac hominum animos potentius, eô quo velit Orator, impellere docent. Sine his nemo neque bene dicere, neque ornate scribere potest. Hac, inquam, artis rhetorica pracepta, ex optimorum rhetoricorum libris discenda sunt. Huc accedat rerum cognitio, sine qua pracepta illa inania ac prorsus nullius momenti sunt. Quomodo hoc fieri potest non à me, sed à Cicer. audietis, qui in eo libro, qui Orator ad Brutum inscribitur, pracepta & vias ad artem eloquentia proxime ducentes optime tradit. Ciceronis hac quamuis non verba ipsa, tamen mens est, omnem eloquentiam ex duabus rebus, materia & tractatione, efflorescere. Materies in rebus & verbis cernitur. Res ex historicorum, Ethicorum, physicorum, Politicorumq; libris, qui rerum copiam cognitionemque satis magnam suppeditant, haurienda sunt: verba, cum hac propria, illa translata esse debent, vel à Cicerone si Latine, à Platone, Demosth. Isoc. si Gracè malueris, vel ab horum similimis sumenda. Tractatio partim ex dialectica disputandi ratione, partim ex rhetorica amplificandi facultate comparatur. Ex his fontibus totum illud eloquentia flumen effluit, cuius cursu vniuersi sensus atque animi hominũ rapi conuehiq; solent. Itaq; quisquis ille est, qui prudẽter cogitare, & cogitata apte explicare cupit, ab hist. (modo Cic. aliquid videt) ad phy-

sicam

ficam & Ethicen, & ita ad ipsam diuinam eloquentiæ vim, quasi iter quoddam affectare debet. Ad hæc eloquentissimorum hominum scripta nobis proponuntur, vt ad illa tanquam ad regulam atque ideam, compositionem nostram referamus: Ita enim consilium & mens *authoris ostenditur, eiusque tractatio atque compositio, vt etiam simile aliquid effingere non admodum difficile videatur.* Nihil igi*tur est, quod nobis difficile videri queat: nihil quo ignauiæ nostræ excusationem prætexere possimus : nihil denique quo non summo studio ad tantam adipiscendam & dicendi & scribendi facultatem contendere debeamus. Tantum adhuc superest, vt his, de quibus dictum est, vsus & quotidiana exercitatio adiungatur, sine qua omnia mutila & manca existunt. Hæc promptum facit hominem, hæc perfectum reddit, hæc cætera consummat & perficit omnia. Vim aut artis, aut imitationis, aut vsus nulla in re planiùs vel euidentius videre possumus, quàm in his sordibus & rebus mechanicis, quarum rerum experti, cùm omnem in eisdem vitam suam conterunt, ipsa rei veritate persuasi trito illo, & omnibus in ore iactato Prouerbio affirmant*, Vsum facere artifices. *Qui vero in arte imbibenda, & eius abstrusissima cognoscendo, omnem suam operam ponunt, nec vllam vsus exercitationisque curam habent, si forte patrocinium cuiusuis susci-*

piant, adeò frigidi, exangues, eneruatique apparent, vt meritò ab omnibus explodi & exbibilari iudicentur. Id quod olim accidisse constat Hermogeni & Quintiliano, *dicendi artificio instructissimis. Porrò qui aliorum imitatione semper nituntur, & nunquam se scribendo dicendove exercent, perinde miseri & infelices sunt, ac si quis nec cernere, nec audire, nec incedere possit, nisi cum à proximo oculos, aures, & pedes mutuetur. Nec quantum in omnibus rebus vsus possit (viz. quonam modo pluuiarum guttula dura ac horrida saxa crebro dilabendi vsu cauant) nec quomodo ferrei vomeres vel leuiusculo terra mollis attritu consumuntur, nec ingentem vsus potentiam in rebus inanimis nunc declarabo; sed solum quantum inhumana sorte conditioneque potest, commonstrabo. Cum multa, multorum iuxta opinionem, in infantia nostra, nobis à natura beneficia tribuuntur, ego vel ea omnia vel certè meliorem eorundem partem, ab vsu consuetudineque prouenire contenderem. Nam, vt maxime, qua maxima sunt, persequar, putamus ne ipsam fandi facultatem, quâ cæteris præstamus animantibus, à natura nobis concessam, vel vsu & consuetudine potius comparatam fuisse? Fateor, (vt ante commemini) naturam semina iecisse, at maturasse vsum, inchoasse naturam, at profecisse consuetudinem. Nam quis,*

vel

vel vnam voculam quæ rem aliquam significat, exprimere queat, quam non crebra consuetaque auditione ab aliis acceperit? Seponamus puerum statim natum ab humano consortio, quodnam idioma vsurpabit? quales edet sonos? an non vel vlulabit, vel rugiet? cesset ergo natura tantum sibi applaudere propter hoc donum, quod nisi vsus perficit, absoluitque, rude, horridum, incultum, cumque aliis animantibus commune erit. Adeò enim vsus nulla in re à natura separatur, adeoque mutua inter se iunctura copulantur, vt meritò à M.T.C. altera natura appelletur. In liberalibus vero scientiis, vsus vim potius admirari, quàm vllis verbis exprimere cuiquam obuium est. In Grammatica, copiam ac verborum supellectilem parat. In Dialectica, inueniendi acumen excitat, iudicandi prudentiam acuit: In Rhetorica, quibuscunque affectibus concutere, in quamcunque vis animi concitationem rapere, facilè dabit vsus. Quid in cæteris moror, cum M.T.C. vocet vsum optimum dicendi magistrum? Quid quod etiamnum multa sunt quæ nec natura, nec artis, neque imitationis adminiculo, sed solùm vsu & consuetudine peraguntur? Nam Milo ille Crotoniates athleta fortissimus, neque vllius artis præceptione instructus, nec quouis imitationis exemplo adiutus, nec vllo raro naturæ beneficio imbutus, sed assiduo, quotidianoque ferendi

vsu corroboratus, vitulum illum, quantumuis grandem, in montem Olympum asportauit. Huc Demosthenem in medium adducerem, nisi illa historia nimis trita, nimisque decantata fuisset: qui si vlla politiore literatura ornatus erat, vt erat ornatissimus, id totum præcipuè exercitationi acceptum referre debuit. Et quemadmodum ingenium quantumuis eximium aut præstabile, nisi diligenti vsu exerceatur excolaturque, multa obfuscatur rubigine: ita quantumuis tardum hebesque ingenium, impigra exercitatione, solers, sagax, valdeque splendescens esse possit. Ex hiis omnibus scire licet, nihil esse tam arduum aut difficile, quod vsus & exercitatio non superet aut deuincat. Hæc exercitatio variis modis suscipitur, audiendo, discendo, legendo, meditando, scribendo, conuertendo, imitando, declamando: Sed potissimum in hiis tribus versatur, vt vel subitò, vel sumpto spatio ad cogitandum aliquid dicamus: vel stylo ac scribendi consuetudine illud idem efficiamus. Stylo Cicero primas partes attribuit: commentationi secundas; subita verò dictioni postremas: proptereà quòd subita dicendi consuetudo institui non possit vtiliter & cum fructu, nisi diligens scribendi exercitatio antecesserit. In eloquentia enim comparanda caput est, quàm plurimum scribere: atque ob eam causam Cice-

Cicero stylum, effectorem, & vt antea dixi, magistrum dicendi, appellare non dubitauit. Nam & omnes locos, qui modo in eare inessent, de qua scribimus, ostendere se nobis atque occurrere: omnesque sententias graues, atque verba maxime illustria sub styli acumen subire: tum ipsam collocationem, concordiam, conformationemque verborum in sæpè scribendo perfici, constanter affirmauit. Hisce exercitationibus se Rogerus Aschamus, sæpe multumque exercuit: & naturâ habilis, artis præceptionibus potens, rerum cognitione excultus, Ciceronis imitatione adiutus, vsu & quotidiana aliquid scribendi exercitatione corroboratus, ad tantam & tam eximiam scribendi dicendique elegantiam, quam, si quis alius, felicissime est adeptus. facillime peruenit. Quare cum exercitatio styli & scribendi assiduitas, tantas commoditates habeat, tantamque laudem ab eo, qui parens & quasi torrens omnis eloquentiæ dicitur, mereatur: atque cum Rogerus Aschamus, cuius vos iam mea opera suauissimis epistolis aliisque scriptis fruemini, hisce quinque rebus tantam scribendi suauitatem assequutus fuerit, vsu vero & Exercitatione potissimum confirmauerit, & quasi callum illis obduxerit: vos oro, studiosi adolescentes, & si adhortandi locus detur, vos adhortor, vt in hanc rem diu multumque incumbatis:

& scribendi crebritate vos sic exerceatis, vt cum subito dicendum sit, ea quæ dicuntur, similima scriptis esse videantur. Quæ res summam admirationem, maximam laudem, sempiternam gloriam merebitur. Quapropter, cum neminem remoretur difficultas, sed alliciat facilitas, moueat dignitas, hortetur vtilitas, vrgeat necessitas, vos iterum hortor, ingenui adolescentes, vt eam virtutem, quam summus honor, gloria, ac præclaræ laudes comitantur, vobis longo vsu, ac diuturna exercitatione admodum reddatis familiarem. Sic enim fiet, vt vobis atque vestris honori, Reipublicæ autem & patriæ emolumento esse possitis: quæ præclara dignitatis præmia, & eximia patriæ ornamenta, ad maximum suum decus, ad Reipubl. summam vtilitatem Rogerum Aschamum consequutum esse, animaduertistis.

FINIS.

W

INDEX

INDEX EORVM AD QVOS,

ET IN QVORVM GRATIAM *conscriptæ sunt à Rogero Aschamo Epistolæ.*

A

B

C

G

H

I

L

M

O

P

Pro-

W

INDEX EORVM QVI AD ROGERVM ASCHAMVM aliosque Epistolas scripserunt.

Rog. Asch.

INDEX.

FINIS.



HANOVIÆ

Excudebat Guilielmus Antonius,

MDCX.